DE DVCIBVS, ET COMITIBVS PROVINCIALIBVS GALLIÆ,

LIBRI TRES:

In quibus eorum origines, incrementa, & cum his Regalium vſurpatio, & caſus illuſtrantur.

ACCESSIT
De origine & ſtatu Feudorum, pro moribus Galliæ
LIBER SINGVLARIS.

Autore ANT. DADINO ALTESERRA.



TOLOSÆ,
Apud ARNALDVM COLOMERIVM, Regis, & Academiæ Toloſanæ Typographum.

M. DC. XLIII.
Cum Priuilegio.

ILLVSTRISSIMO VIRO DOMINO,
D. IOANNI BERTERIO,
BARONI DE MONRABE' ET DE LAVNAGVET,
COMITI CONSISTORIANO, TOLOSANI SENATVS PRINCIPI.

RERVM vices, & fortunæ luſus cogitanti, ILLVSTRISSIME PRÆSES, non leue argumentum occurrit Ducum Comitúmque Prouincialium Galliæ clades, quæ non ſinè miraculo, & certo Dei de Regum majeſtate ſoliciti iudicio contigiſſe viſa eſt. Hinc natum conſilium eorum ortus, incrementa, & lapſus explorandi. Principum ſub quibus hi nimiùm aucti, pudori parco:

Regnorum excidia penitiori numinis conſilio, quàm Principum ſocordiâ ſæpiùs euenire ſatîs intelligo. Minorum Principum ætates lugeo, deſæuientem ſub his Regulorum tyrannidem exſecror, & poſteris qui hanc è Republica labem eluerunt, ſuas laudes, & trophæa rependo: ingens certè opus, animos viréſque ſuperans, ſed iubentis imperio, & genio præformatum. Per te cum Regno in gratiam redire, per te ſuo Principi & Domino conciliari ſtudent noſtri Duces & Comites, Reges vltrò agnoſcunt iuſtos majeſtatis contemptæ vindices. Quæ fuerit eorum poteſtas palàm fiet, vt victoris decus clariùs eluceſcat, abſciſſas regno Prouincias leges, Regibus præter nomen nihil ferè reliquum: ſed actutùm ſu-

blatos prouinciales tyrannos, tot monſtra regiâ manu proſtrata ridebis : vtcumque indulgendum ſceleri quod Principi gloriam parat,& virtutis experimentum:ſpirantem in te imperij vim ſentiunt Duces & Comites,peccandi impotes ſe futuros fatentur, ſi te infelici ſeculo natum,aduerſarium nacti eſſent, & regiæ mentis participem. Melioris ſeculi laudi feliciter conſuluit ſors, quæ in hæc tempora te ſeruauit, & iuſtiſſimum edidit in decus regni LVDOVICI principum Iuſtiſſimi,& cognominis cœlo lapſi, votíſque magis, quàm nuptijs quæſiti filij,quem generoſa indoles, & ſedula Auguſtæ parentis educatio,iuſtitiæ, armorúmque laude cum patre certaturum augurantur. Meritò Iuſti titulos impleuit ille

æternùm lugendus princeps, te, iudicio veriùs quàm ſuffragio ad vicarium jurisdictionis apicem lecto. Non in purpura ſcilicet, ILLVSTRISSIME PRÆSES, iuſtitiæ ſpeciem oſtentas, ſed in æqua iudiciorum, & Reipublicæ gubernandæ ratione: propria tibi laus eſt, quòd rei etiam damnati non indignantur, triſtem ſententiam venerabūdi ſubeunt; boni velut præſens in te iuſtitię numen adorant, iudicio, teſtimonióque tuo ſoluti gloriantur. Qualem audimus eloquentiæ magiſtrum, cùm ſolenni oratione fori Encænia repetis, & lege agēdi præcepta, non fuco, ſed iuſto decore exornas. Quot nutu & exemplo tuo fiunt oratores, cùm placere & probari gaudent, quàm breui compendio diſcunt, quæ vix longæua exercitatio

præſtat. Quas animorum prædas agis, cùm iuſtitiæ cultum, ſtudia erga Regem, affectúſque inſinuas? Agnoſcit liuor ipſe diuinas dotes, quæ totius aulæ oculos animóſque in te conuerterunt fortunâ majorem oſtendere, & regale hoc iudicium promeruerunt purpuram plus à te accipere, quàm conferat ſplendoris & gloriæ. Nec eſt quòd tibi gratificer honore Comitiuæ, iam olim partus honos BERTERIIS, PAVLISQVE gentilibus tuis, qui ſummis longo ſtemmate tribunalibus præſederunt: ciuilibus & ſacris Inſulis plena domus, & vna læto fœdere diuiſum iunxit imperium. Ac ne quid laudi tuæ deſit, Maternæ genti acceptum debet orbis Chriſtianus ſacræ Militiæ Principem, hoc eſt virorum Regem, Maris Dominum, &

Chriſti vltorem. Aliena minimè laudo, quũ auitas virtutes omnino tuas feceris, longéque majorum ſemina ſpargas in poſteros. Harum admiratione defixi noſtri Duces & Comites, ſe tibi in fidem & clientelam commendant, Prouinciales, Palatini Comitis manu in aulam deduci geſtiunt: tot illuſtrium vota ne reſpuas, ILLVSTRISSIME PRAESES, & votorum interpretem quâ ſoles benignitate excipias foueáſque obſecrat

AMPLITVDINI TVÆ

DEDITISSIMVS

A. DADINVS ALTESERRA.

Idib. Septemb. 1643.

EXTRAICT DU PRIVILEGE *du Roy.*

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre; A nos amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Preuoſt, Baillifs, Seneſchaux, & tous autres nos Officiers & Iuſticiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre bien-amé ARNAVD COLOMIEZ noſtre Imprimeur & Libraire en noſtre bonne ville de Tolose, nous a fait remonſtrer qu'il a recouuré vn Liure intitulé *De Ducibus & Comitibus Prouincialibus, Galliæ Auctore* ANT. DADINO ALTESSERRA, lequel il deſireroit faire imprimer; mais il craint qu'aprés auoir fait de grands frais & deſpens pour l'impreſſion d'iceluy, quelqu'autre ne le vouluſt contrefaire, à ſon prejudice, s'il n'eſtoit pourueu de nos lettres à ce neceſſaires, requerant humblement icelles. A CES CAVSES, deſirant fauorablement traiter ledit expoſant, luy auons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces preſentes, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & diſtribuer ledit Liure, en tel volume & charactere que bõ luy ſemblera, & ce durant le temps & eſpace de cinq ans, à compter du iour que ledit Liure aura eſté acheué d'imprimer, faiſant defenſe à toutes perſonnes de quelque qualité qu'ils ſoient, d'imprimer, vendre & debiter ledit Liure, & aux eſtrangers ou forains d'en apporter ny enuoyer en quelque façon & maniere que ce ſoit en ceſtuy noſtre Royaume, & autres terres de noſtre obeyſſance, à peine de trois mil liures d'amende, applicable vn tiers à Nous, vn tiers à l'Hoſtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit expoſant, auec

confiſcation de tous les exemplaires qui ſe pourront trouuer, deſpens, dõmages & intereſts, à la charge d'en mettre deux exemplaires en noſtre Bibliotheque, & la troiſiéme en celle de noſtre tres-cher & feal le Sieur Seguier, Cheualier, Chancellier de France, Comte de Gien, auant de l'expoſer en vente, à peine de nullité des preſentes, du contenu deſquelles nous vous mandons faire jouyr & vſer pleinement & paiſiblement ledit expoſant, & tous ceux qui auront droict de luy, ſans qu'il ſoit donné aucun trouble ou empeſchement. Voulons auſſi qu'en mettant au commencement ou à la fin deſdits Liures vn extraict des preſentes, qu'elles ſoient tenuës pour deuëment ſignifiées, & que foy ſoit adiouſtée aux copies, collationnées par vn de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, comme à l'original. Mandons en outre au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des preſentes tous exploits neceſſaires, ſans demander autre permiſſion : Car tel eſt noſtre plaiſir, nonobſtant clameur de Haro, Chartre Normande, & autres lettres à ce contraires. Donné à Paris le 14. iour de Nouembre, l'an de grace 1643. Et de noſtre regne le premier. Signé, Par le Roy en ſon Conſeil, Cramoisy. Et ſeellées du grand ſeel de cire jaune.

ELENCHVS LIBRORVM, CAPITVM, & argumentorum huius Operis.

LIBER I.

Cap. I. Vces ſub Romanis, pag. 2.
II. Comites ſub Romanis. 5.
III. Duces & Comites ſub Gothis, & Francis in Gallia, 8.
IV. Munia Ducum & Comitum rei militaris, iuris dicundi, & vectigalium. Modus Ducatuum, 10.
V. Duces, & Comites primùm temporarij, tum perpetui, & hereditarij, 16.
VI. Aduocatia, & defenſio Eccleſiarum, 20.
VII. Nominatio Epiſcoporum & Abbatum, 33.
VIII. Cuſtodia, ſeu Guardia vacantium Eccleſiarum, 44.
IX. Collatio præbendarum vacante ſede. Collatio primò vacaturæ præbendæ pro iucundo aduentu. Collatio plena præbendarum iure patronatus, 52.
X. Ius patronorum illuſtrium in electionibus, 55.
XI. Ius veteranum militem cœnobio in alimentarium offerendi. Oblati. Præbenda laïca, 57.
XII. Canonici Honorarij, 60.
XIII. Abbates laïci, 64.
XIV. Erectio Epiſcopatuum, 69.
XV. Fundatio Monaſteriorum, 76.
XVI. Ius metati in Epiſcopijs, 79.
XVII. Honores in Eccleſia. Relatio nominis in ſacris. Honor proceſſionis. Thuris ſuffitus, 84.
XVIII. Ius amortizationis, 98.

5

LIBER II.

Cap. I. IVs belli, 107.
II. Ius vectigalium. Indictio quatuor caſibus. focagium. Vectigal ſolis. Pedagium, 115.
III. Ius condendarum legum. Ius conſuetudinarium in Gallia, 128.
IV. Ius creandorum magiſtratuum. Ius Vniuerſitatis, ſiue Communiæ, 132.
V. Ius cudendæ monetæ, 138.
VI. Ius remiſſionis criminum, 145.
VII. Ius peregrinos, ſeu aduenas ciuitate donandi. Ius Albinagij, id eſt ſucceſſionis peregrinorum. Peregrini in Gallia incapaces officiorum & ſacerdotiorum. Reſeruationes beneficiorũ exploſæ, 152.
VIII. Ius plebeios nobilitandi. Nobilitas valde ſpectata in Gallia. Canonici ex Nobilibus. Milites. Scutiferi. Bacularij, 161.
IX. Ius legitimandi, ſeu natalibus reſtituendi, 171.
X. Ius confiſcationis bonorum, 178.
XI. Ius caduci, 181.
XII. Ius Theſaurorum. Ius Metallorum, 186.
XIII. Ius Naufragij, 189.
XIV. Ius Nundinarum, 192.
XV. Ius pignorationis, ſeu Repreſaliarum, 194.
XVI. Ius tuitionis, 196.
XVII. Ius reſſortus, 199.

LIBER III.

Cap. I. IVs in connubia, 201.
II. Corona Patriciorum, Ducum, & Comitum, 210.
III. Ius armorum, ſiue inſignium. Ius Lithræ, 212.
IV. Ius ſigilli authentici, 216.
V. Elogia Ducum & Comitum. Principes Dei gratia. Meſſires. Dux & Comes. Conſules. Palatini Comites. Barones, 221.
VI. Epiſcopi & Comites, 226.
VII. Ius gladij, 230.

VIII. Ius majorum Officialium, 234.
IX. Pares Galliæ, Pares Curiæ, ſiue curtis, 236.
X. Pædagogiani. Libratæ, 240.
XI. Ius Curiæ, ſiue Tinelli, 242.
XII. Veſtis Ducum, & Comitum. Pelles pretioſæ, 245.
XIII. Inſignia illuſtrium Domuum. Faſtigium. Ius gyroëtæ. Turres. Ferarum cornua, vel capita præfixa foribus. Vvarennæ, ſiue Luci, 249.
XIV. Ius venationis, 253.
XV. Latifundia Ducum & Comitum. Dignitas & pompa eorum. Iuſiurandum Regum per Comites, 260.
XVI. Lex Salica. Succeſſio iure Francorum, 264.
XVII. Marchiones, 266.
XVIII. Vicecomites, 268.
XIX Caſus Ducum & Comitum. Eccleſiæ vindicatæ. à Ducibus & Comitibus, 270.
XX. Lapſus Ducum & Comitum ob ſumptus ſacrarum expeditionum, 272.
XXI. Reünio Ducatuum & Comitatuum, ex pacto, emptione, vel nuptiis, 275.
XXII. Proſcriptio Ducatuum, & Comitatuum. Reſtitutio electionum, 277.
XXIII. Inſtitutio Seneſcallorum & Bailliuorum, 280.

ORIGINES FEVDORVM, PRO MORIBVS Galliæ, Liber ſingularis.

Cap. I. Feudorum origo, 283.
II. Feuda patrimonialia in Gallia, 289.
III. Feudum de Camera, ſeu de Caneua, Feudum Guardiæ, ſeu Gaſtaldiæ, officia feudalia, 293.
IV. Feuda Eccleſiaſtica, 297.
V. Decimæ infeudatæ, 301.

VI. *Retrofeuda,* 305.
VII. *Inueſtitura feudi,* 307.
VIII. *Hominium,* 311.
IX. *Seruitium feudi. Bannus. Retrobannus,* 317.
X. *Feudorum conditio militaris. Franca feuda. Ruptarij,* 321.
XI. *Iuriſdictio feudalis,* 323.
XII. *Iudicium de feudo,* 325.
XIII. *Iuriſdictio temporalis Eccleſiarum,* 328.
X*IV*. *Releuamentum feudi,* 330.
X*V*. *Alienatio, & diuiſio feudi,* 331.
X*VI*. *Commiſſum & Reuerſio feudi,* 334.

FINIS.

ERRATA.

PAg. 22. lin. 2. officijs *lege* officij. p. 32. lin. 3. exillium l. exilium. p. 25. lin. 22. Epiſcoporum l. Epiſcopum. p. 56. l. 11. Collegratæ l. Collegiatæ. p. 75. l. 21. *θεοσεβάστατε* l. *θεοσεβέστατε*. p. 80. l. 18. *μεταλόμιον* l. *μεταλλεῖον*. p. 116. l. 10. corroderet. l. corraderet. p. 12. l. 14. proua. l. pro. p. 123. l. 11. exhiberes l. exhibere, l. 29. *δεσπότας*. l. *δεσπόταις* p. 123. l. 30. *δεσμότας* l. *δεσμώταις* p. 146. l. 13. humoque l. humique. p. 170. l. 6. pater l. patre. p. 185. l. 12. ademptarent l. adtemptarent. p. 186. l. 15. Euutius l. Euurtius. p. 190. l. 5. *ναῦς* l. *ναῦς*. p. 198. l. 23 iane l. ſane. p. 203. l. 8. & 9. *χρυσικὸν* l. *συνετικὸν* p. 216. l. 23. *σφαγίδι*. l. *σφραγίδι*. p. 223. l. vlt. in fine & vt. l. & in. p. 226. l. dnum. l. dominum. p. 231. l. 18. *συναρχεῖς* l. *συναρχεῖς*. p. 200. l. 21. gemanus. l. germanus. p. 264. l. 5. verra. l. terra. p. 269. l. 22. poſt vocem quæ deſunt hæc verba eſt *Iuſtitiæ errant*. p. 272. l. 12. tam l. jam. p. 335. l. 14 decerit. l. deſerit.

DVCES, ET COMITES PROVINCIALES.

Liber I.

PROOEMIVM.

AEtates ſuas habent terrarum regna, & Imperia, paruis creſcunt initijs, diúque auĉta vix conſiſtunt, ſed triſti rerum fluxu prona vergunt in ſenium. Has vices olim experta Francia doluit imminutam regni majeſtatem, remiſſione Regum, an fato: doluit ſummæ potentiæ, dignitatíſque principes in priuatos penè prolapſos, ceruicibúſque ſuis inſultantes tot regulos, quot Duces & Comites: ingemuit antiqui decoris memor, ſe fœdâ prouinciarum laceratione ſuis, exteríſque vileſcere; exhibuit vulnera, & maternos ſinus cruentos, téque, Hugo Magne, ad illuſtres vindicias amore patriæ & coronæ præmio ſolicitauit. Parentis vota audijt pijſſimus Princeps. Regnum iacens ſuſcepit, prouinciales Tyrannos ſi non perdomuit, ſaltem coërcuit, & deſuetum ad obſequium reuocauit. His veſtigijs poſteri Reges regnum ſibi, & ſuæ dignitati feliciter reſtituerunt, prouincias recepêre

ab iniuſtis poſſeſſoribus : tandémque eorum operâ vnum Regis nomen auditum in Gallia: his libertatem acceptam debet Eccleſia, dudum laboranti ſub his prædonibus fortiter ſubuenêre Chriſtianiſſimi Principes, & *ancillatam exancillarunt*, vt Sugerij teſtimonio, & verbis vtar. Magna hæc profectò, nec ſinè admiratione memoranda, animum, ſtylúmque excitarunt, vt Ducum, Comitúmve prouincialium Galliæ cunabula, incrementa, & caſus in publicum prodam : ex quo pateat vnde orti, quâ arte præfecturas in ditiones hereditarias commutarint, Regaliáque ſibi adſcripſerint, ac quibus demum conſilijs in ordinem redacti, & antiquum Regni faſtigium inſtauratum. De ſingulis ſingulatim enitar dicere hiſtoricâ fide, & diligentiâ.

CAPVT I.

Duces ſub Romanis.

OLIM ſtante Republicâ, etſi frequentiùs Imperatores, tamen & Duces à Romanis appellati qui exercitibus præfuerunt. Liuius : *Nec ducem nouimus, niſi cuius auſpicio bellum geritur.* (Lib. 4.) Poſteà rerum ſummâ à populo tranſlatâ in Cæſares, & Imperatoris nomine proprio facto Principis, præfectos belli, non aliter quàm Duces ſalutatos conſtat. Vlpianus: *Publica conuentio eſt, quæ fit per pacem quotiens inter ſe Duces belli quædam paciſcuntur*: (l. 5. ff. de pact.) idémque alio loco ; *Ergo etſi dux cùm exercitui præeſt, dimiſſus erit, notatur.* (l. 2. ff. de his qui not. infam.) Suetonius in Iulio ; *Epiſtolæ quoque eius ad Senatum exſtant, quas primùm videtur ad paginam, & formam memorialis libelli conuertiſſe, cùm anteà Coſſ. & duces nonniſi tranſuerſâ chartâ ſcriptas mit-* (Cap. 56.)

terent. Et Zozimus : ἐφεςώτων γὰρ τοῖς ἁπανταχȣ̃ ςρατιώταις ȣ̓ μόνον ἑκατοντάρχων, ἢ χιλιάρχων, ἀλλὰ καὶ τῶν λεγομένων δȣκῶν οἱ ςρατηγῶν ἐν ἑκάςῳ τόπῳ τάξιν ἐπεῖχον : *nam quum præeſſent vbique militibus non modò Centuriones & tribuni, verùm etiam Duces (ſic enim appellabantur qui quolibet in loco præfectorum militum vicem gerebant.)* Tum Ducum nomen tranſlatum ad præfectos militum, & prouinciarum limitanearum Imperij, quòd impacatas non ſinè manu militari tuerentur : Lãpridius; *Sola quæ de hoſtibus capta ſunt limitaneis Ducibus & militibus donauit.* Vopiſcus : *Aſſidentibus Æmilio Saturnino, Scythici limitis duce, Murentio ad AEgyptum deſtinato, Iulio Tryphone Orientalis limitis duce, Vlpio Crinito duce Illyriciani limitis & Thracij, & Fuluio Boio duce Rhetici limitis.* Trebell. Pollio, ex Epiſtola Valeriani ad Ablauium P P. *Deſine autem conqueri quòd adhuc Claudius eſt Tribunus, nec exercitus ducem loco accepit, vnde etiam Senatum & populum conqueri iactabas dux factus eſt, & dux totius Illyrici habet in poteſtatem Thracias, Mæſias, Dalmatas, Pannonias, Dacos exercitus.* De hoc genere Ducum, Euſebius in vita Conſtantini : πλείȣς δὲ ἡγεμόνες ἐχρημάτιζον : *Multos verò duces conſtituit.* Procopius de ædificijs Iuſtiniani ; καὶ ςρατιωτικȣ̀ς καταλόγȣς τῇδε ἱδρύσατο, οἷς δὴ ἄρχοντα ἐςαεὶ ἐφεςάναι διώρισεν, ὃν ῥωμαῖοι δȣ̃κα τῇ λατίνῃ καλȣ̃σι φωνῇ : *Præſidium militum ibi collocauit, quibus præfectum præfecit, quem Romani Latinâ voce ducem vocant.* Veteres gloſſæ, Dux, ἀνθύπατος ὁ σήμερον. & Iulius Firmicus: *Faciet Præſides riparum Duces, Vicarios Præfectos Prætorio, & quibus frequenter committatur imperium.* Hâcque ſignificatione frequens mentio ducum in vtroque Codice.

lib.

In Alexandro.

In Aureliano.

lib. 4. cap. 1.

lib. 3.

l. 7. C. vbi cauſ. fiſc. l. 1. C. ad. l. Iul. rep. l. 3. C. Theod. eod.

3. matheſ. 4.

Quæ fuerit Ducum dignitas, ſi quæris; varia, nec ſibi
lib. 10. conſtans. Olim Perfectiſſimi, auctore Ammiano : *Nec ſub eo* (Conſtantio) *Dux quiſquam cum Clariſſimatu prouectus eſt, erant enim, vt nos quoque meminimus, Perfectiſſimi, poſteà Clariſſimi, vel etiam Spectabiles.* Ducum inſignia tunicæ. ruſſæ, id eſt purpureæ. Vopiſcus : *Vexilla bicolora quatuor, tunicas ducales ruſſas quatuor.* Et apparitio militum. Lampridius : *Apparitores denique nullos eſſe paſſus eſt Tribunis, aut Ducibus niſi milites anteire voluit, iuſsitque vt ante tribunum quatuor milites ambularent, ante Ducem ſex, ante legatum decem.* Procop. de bello Vandalico : ἀρχόντων γὰρ ἑστιωμένων ὄπιθεν ἑστάναι τοὺς δορυφόρους νόμος. Et paulò pòſt. ἄλλῳ γὰρ οὐδενὶ τοὺς τοῖς ἄρχουσιν ἐν πόλει ἑπομένους ὁπλίζεσθαι θέμις : *Ducibus diſcumbentibus retrò conſiſtere haſtatos mos erat, nec vllis quàm ducibus ſecum armatos ducere fas erat.* A Tribunatu gradus erat ad Ducatum. Capitolinus ex perſona principis ad Tribunum : *Quid tantùm laboras, cùm eius loci iam ſis, vt Ducatum poſſis accipere?* Et Trebellius Pollio ex Epiſtola Valeriani ad Zozimionem Procuratorem Syriæ : *Hæc autem omnia idcirco ſpecialiter non quaſi Tribuno, ſed quaſi Duci detuli.* Conueniebantur Duces apud Magiſtrum Officiorum, niſi aliud moribus receptum eſſet, vt in Orientis, Illyrici, Thraciarúmque limitis Ducibus, quos apud Magiſtrum militum conueniri moris erat : at in Occidente limitanei Duces, Comitéſque Magiſtro Militum Præſentali paruerunt. Olim autem à Ducibus, & Comitibus prouinciarum appellabatur ad Præfectum Prætorio, adjuncto Quæſtore Palatij; ſed conſtitutione Iuſtiniani actum, vt à Ducibus appellaretur ad

l. pen. C. de appell. l. viros C. de diu. off. l. 27. C. Th. de cohort. princ. l. 9. C. de re milit. l. 113. C. de decur.

In Aureliano.

In Alexandro.

lib. 2. circ. fin.

In Maximino.

In Claudio.

l. viros. C. de diu. offic.

l. curr. l. vlt. C. de off. Mag. offic.

Magiſtrum Officiorum, adhibito Quæſtore palatij. l. præcipimus. l. pen. C. de appel.
Nunc tranſeamus ad Comites.

Cap. II.
Comites ſub Romanis.

PRo ætatum diſcrimine varij generis fuere Comites: ante Conſtantini tempora hi dicebantur Comites, qui Procoſſ. Præſidéſque in prouincias proſequebantur, officij gratiâ. M. Tullius: *Comites illi tui delecti manus erant tuæ, Præfecti, ſcribæ, Medici, Accenſi, haruſpices, præcones, manus erant tuæ.* Verrin. 2. Præcipuum Comitum locum tenebant Aſſeſſores Præſidum, qui eis in iudicijs aſſidebant, de quibus Papinianus: *Defuncto Præſide ante diem, reſidui temporis ſalarium deberi ait Comitibus.* In l. 4. ff. de offic. adſeſſ. Et de his idem Tullius, ad Atticum: *Quid dicam de illius præfectis, Comitibus, legatis?* lib. 6. ep. 1. Et Plinius: *Non ſunt prætereunda & L. Lucullo Proconſule Bæticæ comperta de Polypis, quæ Trebius Niger è Comitibus eius prodidit.* lib. 9. c. 30. A Conſtantino Comitis nomen omnibus Magiſtratibus additum, qui ſacrum comitatum obſeruarent, vel ex eo prodirent quaſi ſocij laborum. Imò & honorarij tituli vice fuit, ſinè actu, ſinè adminiſtratione, Comitibus triplicis ordinis, primi, ſecundi, & tertij ab Imperatore excogitatis, quò plures honoribus ſibi conciliaret ſinè fiſci diſpendio: Euſebius de Vita Conſtantini: κομήτων ὧ οἱ μὲν πρώτου τάγματος ἠξιοῦντο, οἱ δὲ δευτέρου, οἱ δὲ τρίτου. lib. 4. c. 1. *Iam Comitum alios in primo ordine collocauit, alios in ſecundo, alios item in tertio.* Auſonius: *Procurrunt & aliæ dignitates, atque in vocem gratulationis erumpunt, ac ſe prius* In Panegyr. ad Gratian.

debere profitentur, tot gradus nomine Comitis propter tua incrementa congeſti ex tuo merito. Comites primi ordinis fuere Comites Conſiſtoriani, id eſt à ſecretis principis. Caſſiodorus; *Spectabilitas clara & Conſiſtorio noſtro digniſſima quæ inter illuſtres ingreditur, inter proceres aduocatur, quocirca prouocati moribus tuis Comitiuam tibi primi ordinis ab illa indictione Majeſtatis fauore largimur, vt Conſiſtorium noſtrum ſicut rogatus ingrederis, ità moribus laudatus exornes.* & in veteri inſcriptione: *Memmio Vitraſio, Comiti in Conſiſtorio.* Primi ordinis fuere & Præpoſiti Scholarum Palatij, & Comites Rei militaris, qui Magiſtrorum militum vicem geſſerunt, prouinciarum ducibus dignitate pares. Ammianus: *Equitius Illyriciano præponitur exercitui, nondum Magiſter, ſed Comes.* Et ideò poſterioribus etiam Græcis præfecti militum Comites dicti. Nicetas in Andronico Comneno: ὐκ ὖν τοῖς ϛρατηγοῖς ὀπλανόμενος ὓς κόντυς ἔιπη τὶς ἂν λατίνῃ διαλέκτῳ χρώμενος ἐμέτριαζε τὰ χέιρω τοῖς πεπονθόσιν: *Is igitur Duces exercitus, qui Latinè Conti dicuntur, adiens imponebat edicta quibus ærumnæ leniebantur.* Eiuſdem ordinis Comites qui prouincias regunt, vnde & Suidæ definitur, κόμης ὁ λαῦ ἄρχων: *Comes princeps populi.* & paſſim præfectis prouinciarum Comitum nomen adijcitur: Nicephorus. καὶ τὴν τῆς Φρυγίας ἐνεχείριζε τύτῳ ἀρχὴν Κόμητος ἀξίαν ἀυτῷ περιθέμενος: *Eidémque Phrygiæ adminiſtrationem cum Comitis dignitate conceſſit.* Eiuſdem ordinis Comites Profeſſores artium liberalium, maximè Iuriſperiti, & Aduocati poſt expletum vicennio docendi & aduocationis officium. Sidonius ad Montium: *Numerariorum more, ſeu potiùs Aduocatorum, quorum cùm finiuntur actiones incipiunt dignita-*

l. vn. C. de Comit. Cóſiſt.
6. Var. 12.
l. 1. & 2. C. de Com. rei milit.
lib. 26.
lib. 1.
lib. 13. c. 5.
l. vnic. C. Th. de Profeſſ. qui in vrb. Conſt.
l. 1. C. de Adu. diu. iud.
lib. 1. ep. 11.

tes. In Comitiua primi ordinis ſpectantur & Archia- — l. vnic. C. Th. de Com. & arch. ſacr. palat. l. 18. C. Th. de Med. & proſeſſ.
tri ſacri palatij. Caſſiodorus: *Cauſarum periti palmates* — lib. 6. Var. 19.
habentur, cùm magna negotia defenderint ſingulorum; ſed
quantò glorioſius eſt expellere, quod mortem credebatur inferre,
& ſalutem periclitanti reddere, de qua coactus fuerat deſpe-
rare? quapropter à præſenti tempore Comitiuæ Archiatrorum
decorare, &c. Et ideò inter amicos principis numeran-
tur: Gregorius Nazianzenus, in Oratione funebri Cæ- — Orat. 10.
ſarij fratris: *τάττεται μὲν γὰρ τὴν πρώτην ἐν ἰατροῖς*
τάξιν. & paulò pòſt. *καὶ τοῖς φίλοις τοῦ βασιλέως ἐν-*
θὺς ἀριθμούμενος. Primum ſtatim inter Medicos dignitatis
gradum obtinuit, atque in amicorum numero apud Imperato-
rem habitus. Interdum & Comitiuam primi ordinis me-
ruerunt mechanici Architecti, vel Curatores operum
publicorum, quos artis & operum præſtantia com-
mendaret. Sic Ioſeph Tiberiadenſis ſimul cum pote- — l. vn. C. Th. de Comit. ord. prim. art. diu.
ſtate ſacras ædes exſtruendi, tum in ipſa vrbe Tyberiadis,
cùm alijs locis, honorem Comitiuæ accepit à Conſtan-
tino Imperatore: *ἀξιώματος κωμήτων ἔτυχε*, auctore — lib. hæres. 30 art. 5.
Epiphanio in Panario. Memoratur & Symmacho duo- — lib. 5. ep. 74. lib. 10. ep. 39.
bus locis, *Cyriades V. C. Comes, & Mechanicus.* Eodem
numero ſunt & Comites Vacantes, qui poſt probatos
labores, codicillos dignitatis à principe meruerunt — l. vn. c. Th. de Comit. vac.
ſinè actu, ſinè adminiſtratione. Comitiuâ primi ordinis
inprimis inſignes fuêre Præfecti, ſingularum legionum.
Vegetius: *Proprius autem iudex erat Præfectus legionis,* — lib. 2. de Re milit. c. 9.
habens Comitiuam primi ordinis dignitatem, & qui abſente
legato tamquam vicarius ipſius poteſtatem maximam reti-
nebat. Secundi ordinis Comites fuerunt Palatini agen- — l. 17. & 18. C. Th. de prox. Com. diſp.
tes ſub principe officij, vt militantes in ſacris ſcri-
nijs; imò & à Theodorico in Comites ſecundi or-

7. Var. 16. dinis allecti iudices ciuitatum. Caſſiodorus : *Propterea per illam indictionem in illa ciuitate Comitiuæ honorem ſecundi ordinis tibi propitiâ diuinitate largimur ; vt & ciues commiſſos æquitate regas, & publicarum ordinationum iuſſiones conſtanter adimpleas.* Tertij ordinis Comitiua defertur principibus Decurionum, Præpoſitis nauiculariorum, Tribus primis corporis Suariorum, & hos vocarunt Comites minores. Spectabiles fuere Comites primi ordinis.

l. 127. C. Th. de Decur. l. 9. & 10. C. Th. de ſuar & pecuar. l. 1. & 2. C. Th. ne Comit. vel Tribun. l. 3. C. de off. mag. off. l. 1. C. de princ. ſchol. l. fin. C. de Silentiar.

CAP. III.

Duces & Comites ſub Gothis & Francis in Gallia.

GAlliarum partem poſtquàm inſedêre Gothi, etſi Romani nominis infenſiſſimi hoſtes, ſtatum prouinciarum non innouarunt, Duces prouincijs, Comites ſingulis ciuitatibus, exemplo Romanorum præfecerunt: ſic deditis Aruernis Victorius dux ab Eurico Rege impoſitus. : Gregorius

lib. 2. hiſt. c. 20. Turonenſis; *Eoricus autem Gothorum Rex Victorium Ducem ſuper ſeptem ciuitates præpoſuit, qui protinus Aruernos aduenìens ciuitatem addere voluit.* Sidonius Comitem

lib. 7. ep. 17. vocat. Eâdem tempeſtate Maſſilia ſub Gothica ditione parebat Comiti, cuius ſuffragio Aruernum quendam puellæ Maſſilienſis nuptias captaſſe ſcribit idem Sido-

lib. 7. ep. 2. nius. Sed & poſteriori æuo celebrantur Goiaricus & Timotheus Comites, ad quos Theodoſiani Codicis Breuiarium ab Alarico Gothorum Rege emiſſum, conſtat ex ipſius Alarici Commonitorio Operi præfixo, vt ex eo ius diceretur prouincialibus. Aequè & Franci profligatis

profligatis Romanis, Burgundionibus, & Gothis rerum domini facti in Gallijs, ſtatum prouinciarum à Romanis inſtitutum non attigerunt, nec Duces, Comitesve è republica ſuſtulerunt, ne rerum nouarum facie, animos prouincialium percellerent, & durioris ſeruitutis metum incuterent, imò & ipſi Romanos mores facilè hauſerunt, teſte Procopio & Agathiâ: ex quo factum vt victi victoribus leges darent. Nec eſt quòd miremur; iam enim ab æuo Francis libati Romanorum mores ex commilitio, & ſatellitio Principum. Ammianus: *Adhibitis Francis, quorum ea tempeſtate in palatio multitudo florebat.* Et Gregorius Turonenſis: *In Gallia ſtatus publicus perturbabatur, clauſo apud Viennam palatij ædibus Valentiniano principe, & penè intrà priuati modum redacto, militaris rei cura Francis ſatellitibus tradita.* Frãcis igitur armis partâ Galliâ, Duces, & Comites, ortu Romanos, vſu ſuos fecerunt, & quidem ab ipſis cunabulis regni: iã enim à Childerico Aymoinus celebrat Vuinomadum Ducem, & ſub Clodouęo Aurelianum Ducem, cui Ducatũ Milidunenſem ab illo tributum ait in beneficium. Non deſunt qui Comites perueniſſe ad Frãcos à majoribus Germanis velint, ex illo loco Taciti: *Eliguntur in ijſdem concilijs & principes, qui iura per pagos, vicóſque reddunt. Centeni ſingulis ex plebe Comites, conſilium ſimul & auctoritas adſunt*: ſed magis eſt vt à Romanis repetamus, cum vniuerſitate Galliarum Franciſ tranſmiſſos: quæ enim ratio noſtrorum Comitum, qui præerant rei militari & ciuitatibus, cum Germanis illis, quibus nudum erat adſeſſorum officium, quales erant Comites Romanis ante Conſtantinum?

lib. 1. de bell. Gothic.

Hiſt. Iuſt. lib. 1.

lib. 15.

lib. 1. hiſt. c. 9.

lib. 1. c. 17. & 24.

Cap. IV.

Munia Ducum & Comitum rei militaris, juris dicundi, & vectigalium: modus Ducatuum.

AB ortu imperij Francici Comitum & Ducum hoc diſcrimen certum fuit, quòd Comites ſingulis ciuitatibus præerant, Duces pluribus, quæ ſingulæ ſuos Comites haberent: id eſt Duces præerant vniuerſis prouincijs, Comites ſingulis ciuitatibus: Gregorius Turonenſis: *Nicetius per emiſſionem Eulalij à Comitatu Aruerno ſubmotus, Ducatum à Rege expetijt, datis pro eo immenſis muneribus, & ſic in vrbe Aruerna, Ruthena, atque Vcetica Dux ordinatus eſt.* Et alio loco: *Turonicis verò, atque Pictauis Ennodius Dux datus eſt.* Et rurſum alio loco: *Ennodius cùm Ducatum vrbium Turonicæ, atque Pictauæ miniſtraret, adhuc & vici Iulienſis, atque Benarnæ vrbium principatum accepit.* Inde memoratur Lupus, Dux Campaniæ Greg. Turon. lib. 6. c. 4. De Comitibus idem Gregorius Turonenſis: *Igitur peruaſis Chilpericus Rex ciuitatibus fratris ſui, nouos Comites ordinat.* Inde eſt quòd Comites Epiſcopis, Duces Archiepiſcopis æquantur; quia Epiſcopi ſingularum Ciuitatum ſunt, Archiepiſcopi vniuerſæ prouinciæ. Vualafridus Strabo: *Metropolitanos autem Ducibus comparemus, quia ſicut Duces ſingularum ſunt prouinciarum, ità & illi in ſingulis prouincijs ſinguli ponuntur.* Et paulò pòſt: *Quod Comites vel præfecti in ſeculo, hoc Epiſcopi ceteri in Eccleſia explent.* Ducum poteſtas latior quàm Comitum, ſed officium & munus idem. Duces rei militari præ-

lib. 8. c. 18.

eod. lib. c. 26.

lib. 9. c. 7.

lib. 6. c. 26.

De reb. Eccleſ. cap. 31.

rant, delectum imperabant Comitibus, & copias per pagos diuiſas producebant ad bellum. Gregorius Turonenſis : *Berulphus verò Dux cum Turonicis, Pictauis, Andegauiſque, atque Nanneticis ad terminum Bituricum venit.* Et alio loco : de Anteſtio Duce : *Ipſe cum Santonicis, Petragoricis, Burdegalenſibúſque, Agennenſibus etiam ac Toloſanis illuc direxit.* Fortunatus ad Lupum Ducem. lib. 6. c. 31. lib. 9. c. 31. lib. 7. c. 7.

Antiquos animos Romanæ ſtirpis adeptus
Bella moues armis, iura quiete regis.

Eorumdem erat munire & tueri ciuitates. Gregorius Turonenſis : *Miſitque ad Duces & Comites ciuitatum nuncios, vt muros componerent vrbium.* In pace Duces iuri dicundo præerant. Fortunatus, (præter locum iam citatum) ad Bodeſigilum, Ducem Maſſiliæ. lib. 6. c. 41.

Iuſtitiam pauper nunquam te iudice perdit,
Nec poterit pretio vertere vera potens.

Et paulò pòſt.

Qui patrias leges intrà tua pectora condens,
Implicitæ cauſæ ſoluere fila potes.

Inde eſt quòd in formula Ducatus apud Marculfum Ducibus mandatum, vt populos ſibi creditos, Francos, Romanos, vel Burgundiones ſecundùm legem & conſuetudinem ſingulorum regerent. Romanis præſides, & Rectores prouinciarum, vectigalium poteſtatem habuere. De præfecto Aegypti teſtis Philo Iudæus in Flaccum : ἀμήχανον μὲν γὰρ ἦν τὺς ἡγεμόνας τοσαύτης χώρας ἐπιτροπεύοντας ἁπάντων μεμνῆσθαι, καὶ ταῦτα ὐ δικάζοντας μόνον ἀλλὰ καὶ λογισμὺς τῶν προσόδων καὶ δασμῶν λαμβάνοντας : non enim erat poſſibile prouinciæ ampliſſimæ Præſides omnium meminiſſe, præſertim cùm non iudicijs tantùm præeſſent; l. pen. §. 1. C. de can. largit. titul.

ſed etiam rationibus tributorum & vectigalium. Penès Duces etiam in Galliæ fuit ſumma ratio vectigalium totius prouinciæ. Marculfus in formula Ducatus : *Et quicquid de ipſa actione in fiſci ditionibus ſperatur , per voſmetipſos annis ſingulis noſtris ærarijs inferatur.* Comites ciuitatum delectus militum conſcri-
lib. 4. c. 30. bebant, eíſque præerant ſub Duce prouinciæ. Gregorius Turonenſis : *Sigibertus verò Rex Arelatenſem vrbem capere cupiens Aruernos commoueri præcepit; erat enim tunc Firminus Comes vrbis illius, qui cum ipſis in capite abijt.* Præceptum conceſſionis quod fecit Ludouicus P. Hiſpanis perfugis : *Eoſdem homines ſub protectione & defenſione noſtra receptos in libertate conſeruare decreuimus , eo videlicet modo , vt ſicut ceteri liberi homines cum Comite ſuo in exercitum pergant , & in marcha noſtra iuxta rationabilem eiuſdem Comitis ordinationem atque admonitionem , explorationes & excubias , quod vſitato vocabulo vuactas dicunt , facere non negligant.* Non reſpondentes ad delectum , Comites
lib. 7. c. 42. coërcebant. Gregor. Turonenſis : *Poſt hæc edictum à iudicibus datum eſt , vt qui in hac expeditione tardi fuerant damnarentur. Biturigum quoque Comes miſit pueros ſuos , vt in domo beati Martini, &c.* In pace Comites juri dicun-
lib. 8. c. 18. do operam dabant. Gregorius Turonenſis : *Gundoualdus autem Comitatum Meldenſem ſuper Vuerpinum competijt , ingreſſúſque vrbem cauſarum actionem agere cœpit.* Et idem :
lib. 10. c. 6. *Reſponderunt hoc Animodi Vicarij dolo , qui pagum illum iudiciariâ regebat poteſtate , factum fuiſſe , protinúſque directis rex litteris ad Comitem vrbis iubet , vt eum vinctum in præ-*
lib. 2. c. 16. *ſentia regis dirigeret.* Idem de miraculis Sanctorum : *Quid etiam ad Becconis Comitis confutandam ſuperbiam beatus Martyr ſit operatus , euoluam. Hic cùm actiones ageret*

publicas, & elatus jactantia multos contra iuſtitiam aggrauaret, caſu contigit vt dimiſſum accipitrem diu per diuerſa vagantem perderet. Idem de vita Patrum, in Nicetio Lugdunenſi: *Nam vidi ego quodam tempore Baſilium Presbyterum miſſum ab eo ad Armentarium Comitem, qui Lugdunenſem vrbem his diebus poteſtate iudiciariâ gubernabat. Dixitque ad eum; Pontifex noſter cauſæ huic quæ denuò mouetur dato judicio terminũ fecit, ideóque commonet ne eam iterare præſumas.* Fortunatus ad Galactorium; Comitem Burdigalenſem. Apud Sur. tom. 2. Apr. 2. lib. 10. c. 25.

Veniſti tandem quòd debebaris amice,
Antè Comes merito quàm datus eſſet honor.
Iudicio Regis valuiſti creſcere Iudex,
Famáque quod meruit regia lingua dedit.

Conc. Vernenſe: *Vt Comites, vel iudices ad eorum placita primò viduarum, orphanorum, vel Eccleſiarum cauſas audiant, & definiant in eleemoſyna Domini regis, & poſteà alias cauſas cum juſtitia rationabiliter iudicent.* Cabillonenſe II. *Comitibus verò & judicibus hoc ſummopere obſeruandum eſt, vt jure judicent, & nequaquam in iudicio munus, ſeu perſonam accipiant.* Triburienſe: *Si Epiſcopus Eccleſiaſticum, & Comes ſeculare placitum eâdem die condixerint, placitum Comitis poſtponatur.* Comitum etiam fuit pacatam prouinciam habere: Gregorius Turonenſis, de turbis Monaſterij Sanctæ Crucis Pictauienſis: *Pro hac cauſa Maccouo tunc temporis Comiti perlata præceptio eſt, in qua iubebatur vt hanc ſeditionem ſi reſiſterent, vi opprimeret.* Denique Comitum munus in pace & juſtitia facienda, imprimis diſtrixerunt Capitularia Caroli M. Comitum fuit etiam vectigalium exactionem curare. Gregorius Turonenſis: *Præſenti quoque anno Armentarius Iudæus ad* Cap. 23. Cap. 21. Cap. 9. lib. 5. c. 15. lib. 2. c. 6. lib. 4. c. 5. lib. 7. c. 23.

exigendas cautiones quas ei propter tributa publica Injurioſus ex Vicario, ex Comite verò Eunomius depoſuerant Turonos lib. 9. c. 31. *aduenit*. idem: *Garſo verò Comes eiuſdem temporis accepto Capitulario, quod anteriores ſcriptores feciſſe commemoraui-* lib. 10. c. 20. *mus, tributa cœpit exigere*. Idem alio loco: *Eunte Comite vt debitum fiſco ſeruitium ſolitè deberet inferre*. In hac add. 4. c. 85. re Comites vſi Vicariorum operâ. Capitulare Ludouici P. *Quicumque Vicarij, vel alij miniſtri tributum, quod inferenda vocatur, majoris pretij à populo exigere præſumpſerint, quàm à miſſis bonæ memoriæ genitoris noſtri conſtitutum fuit, &c.* Et paulò pòſt: *His quibus hoc tulit cum ſua lege reſtituat*. Comitum vicē geſſere Vicarij Centenarij, & Scabinei in minoribus municipijs & vicis: pręter Gregorium Turon. loco iam citato, de Animodo Vicario, Ca- lib. 1. c. 28. pitulare Caroli M. *Habeat vnuſquiſque Comes communes Vicarios & Centenarios ſuos ſecum, nec non & de primis Sca-* c. 23. cui coniunge mogunt. c. 7. *bineis ſuis tres aut quatuor*. Concil. Arelatenſe IV. *Nec Comites, vel Vicarij, ſeu judices, vel Centenarij ſub mala occaſione vel ingenio res pauperū emant*. & Cabillonenſe II. *Comites, miniſtros quos Vicarios & Centenarios vocant, iuſtos habere debent*. Penès Comites fuit cognitio majorum cauſarum, minorum penès Vicarios, & Centenarios. lib. 3. c. 79. Capitulare Caroli M. *Vt nullus homo in placito Centenarij neque ad mortem, neque ad libertatem ſuam amittendam, aut ad res reddendas vel mancipia judicetur; ſed iſta aut in præſentia Comitis, vel miſſorum noſtrorum iudicentur*. Sangal- lib. 1. c. 31. lenſis de geſtis Caroli M. *Fuit conſuetudo in illis temporibus, vt vbicumque aliquod opus ex imperiali præcepto faciendum eſſet, ſi quidem pontis, vel nauis, vel trajecti, ſiue purgatio, ſeu ſtramentum, vel impletio cœnoſorum itinerum, ea Comites per Vicarios, & officiales ſuos exſequerentur, in minoribus*

dumtaxat laboribus; à majoribus autem, & maximè nouiter exſtruendis nullus Ducum vel Comitum, nullus Epiſcoporum vel Abbatum excuſaretur aliquo modo. Scitè ideò Vicarij Comitum & Centenarij comparantur Presbyteris Parochis. Vualafridus Strabo: *Porrò ſicut Comites quidam, miſſos ſuos præponunt popularibus, qui minores cauſas determinent, ipſis majora reſeruent: ita quidam Epiſcopi Coëpiſcopos habent, qui in rebus ſibi congruentibus quæ injunguntur efficiunt. Centenarij qui & Centenariones, vel Vicarij qui per pagos ſtatuti ſunt, Presbyteris vrbium, qui Baptiſmales Eccleſias tenent, & minoribus Presbyteris præſunt, conferri queunt.* A Comitatu gradus erat ad Ducatum, Ducatus votum Comitum, & apex dignitatum. Fortunatus ad Galactorium Comitem. de reb. Eccleſ. c. vlt. lib. 7. c. vlt.

Viue Comes cui ſint iura regenda Ducis.

Et rurſus ad eundem.

Debet & ipſe potens, vt adhuc bene creſcere poſſit lib. 10. c. 25.
Præſtet vt arma Ducis qui tibi reſtat apex.

Idem ad Sigoaldum Comitem.

Rex Childebertus creſcens te creſcere cogat, lib. 10. c. 22.
Qui modò dat Comitis, det tibi dona Ducis.

Ducatus autem, vt dixi, plures continebat ciuitates, ſed in numero paſſim variatum pro arbitrio principis: nec certus fuit modus Ducatuum. Malè Pithœus duodecim Comitatus Ducatui velut neceſſarios adſtruit, ſecutus annalem Pipini & Aymoinum Monachum, vbi Pipinum bello captum Griffonem fratrem duodecim Comitatibus ornaſſe ſcribunt, ídque more Ducum: reclamant enim infiniti Gregorij Turonenſis loci, qui vix plures tribus, aut quatuor Comitatibus Ducatui affigunt, & nihil certi habent. Cautiùs H. Bi- 1. Aduerſ. 8.

gnonius, ne ab Aymoini fide recederet, Pipini æuo id obſeruatum tentat, vt duodecim Comitatibus Ducatus conſtaret. At ego, ſi quid aſſequor, τὸ, Ducum, more planè imperiti Monachi commentum eſſe auſim affirmare; nullum enim aliud hoc æuo huius moris veſtigium apparet; imò verò proximâ Ludouici P. ætate, Ducatum Forojulienſem in quatuor Comitatus ſectum lib. 5. c. 11. is agnoſcit: ex quo ſatis colligitur veterem modum Ducatuum hoc ſeculo non defeciſſe: vel Aymoinum can. ſcitote, 6. qu. 3. fortè feſellit quòd vidit Conſtitutionem Pelagij II. quæ prouinciæ tribuit decem aut vndecim ciuitates, vnde Ducatum totidem ciuitatibus, vel vnâ ampliùs ornandum duxit; ſed obſeruare debuit prouinciam hîc magis quoad Eccleſiaſticum, quàm ciuilem ſtatum definiri, nec certum vſpiam in Gallia fuiſſe modum Ducatuum.

Cap. V.

Duces & Comites primùm temporarij, tum perpetui, & hereditarij.

lib. 5. c. 14. OLim Duces & Comites nudi erant magiſtratus ad certum tempus. Gregorius Turonenſis de Leudaſte, Comite Turonenſi: *Tu verò ducatum totius regni eius, annis quinque* lib. 9. c. 7. *tenebis.* Idem: *Ennodius cùm Ducatum vrbium Turonicæ atque Pictauæ miniſtraret, adhuc & vici Iulienſis, atque Benarnæ vrbium principatum accipit; ſed euntibus Comitibus Turonicæ, atque Pictauæ vrbis ad Regem Childebertum, obtinuerunt eum à ſe remoueri: ille verò vbi ſe remotum de his ſenſit ad ciuitates ſuperiùs memoratas properat; ſed dum in illis commoraretur,*

commoraretur, mandatum accepit, vt ſe ab eiſdem remoueret; & ſic, accepto ocio, ad domum ſuam reuerſus priuati operis curam gerit. idémque: *Major domus autem Vuaddo, qui olim Santonicum rexerat Comitatum.* Vnde frequenter eidem Turonenſi memorantur ex Duce, ex Comite, ex Vicario illis magiſtratibus defuncti. Ludouico adhuc à matre ſanguinolento, Aquitaniæ regno donato, Carolus ſingulis ciuitatibus Comites impoſuit; nempe Biturigibus Humbertum, Pictauis Abbonem, Petrocorijs Vuitbodum, Aruernis Itherium, Vuallagiæ, id eſt, Vellaunis Bullum, Toloſæ Corſonem, Burdigalæ Seguinum, Albigenſibus Haymonem, cuius filios Heroës Gallica canunt carmina, Lemouicibus Heorgarium, ſiue Rogerium, ſed & Aurelianenſibus Rahonem Comitem, aliíſque vt viſum eſt ciuitatibus alios præfecit. Sed hi Comites nudi & meri erant officiales, quos ad nutum Princeps inſtitueret vel abijceret: ſic Humberto Biturigum Comiti, Sturminium: Itherio Aruernorum Bertmundum paulò pòſt à Carolo ſuffectos conſtat, & Corſoni Comiti Toloſano Vuillelmum, vt expiaretur publicũ dedecus à Corſone paſſum, præſtito è vinculis ſacramento fidei Adelrico Vaſconum Duci. Aymoini Continuator: *Chorſone porrò à Ducatu Toloſano, ob cuius incuriam tantum dedecus Regi & Francis acciderat, remoto, Vuillelmus pro eo ſubrogatus eſt.* Aequè Narbonâ à Sarracenis receptâ Aymericum ei Comitem, ſeu Vice-Comitem dedit Carolus. Occupatâ Aquitaniâ, aduersùm Pipini liberos Carolus Caluus, vt Aquitanos in obſequio contineret, inſignioribus ciuitatibus Comites impoſuit cum præſidio militari, nempe Aruernis Modoïnum Auguſtodunenſem

lib. 6. c. 45.
lib. 4. c. 36.
eod. c. 15.
lib. 8. c. 26.
lib. 6. c. 11.
lib. 7. c. 23.
Cont. Aymoini, lib. 5. c. 1.
Adreualdus Floriac. 1. de mirac. S. Bened.
Aymoin. & Adreualdus loc. citat.
lib. 5. c. 3.
Marin. lib. 9. de reb. Hiſpan.

Epiſcopum & Aubertum, Lemouicibus Gerardum, Engoliſmæ Reindardum Comitem, Auctore Lupo
ep. 28. Ferrarienſi: Idémque nî fallor Siguinum alterum Bur-
ep. 31. Ademarus in Chronico. digalenſibus Comitem dedit, Ferrarienſis Ducem Vaſconum vocitat, quem à Normannis in prælio cæſum ferunt. Adhuc Comites fungebantur ad certum tempus; ſubinde enim mutatos animaduerto, vt Reindardum Comitem Engoliſmenſem cum Turpione.
in Chron. Ademarus: *Rex Carolus Caluus congregato concilio Aquitaniam per Comites diſpoſuit, Turpionem verò in Engoliſma ciuitate miſit, propter infeſtationem Normannorum.* Quòd ſi Comites ad vitæ finem haberentur, princeps quos ei viſum eſſet ſucceſſores eligebat. Sic Boſoni Richil-
Aymoin. Cont. lib. 5. c. 27. dis conjugis fratri Carolus Caluus honores Gerardi Comitis Bituricenſis dedit: ſic & Ludouicus Balbus
Idem lib. 5. c. 37. honores Bernardi Gothiæ Marchionis diuiſit. Primus è noſtris Bernardus Dux Septimaniæ altiores ſpiritus ſumpſit, ciuili bello flagrante Galliâ, Lothario aduersùm Carolum & Ludouicum fratres de ſumma rerum certante: fiduciâ ſuarum virium medius ſedit ſpectator belli: vix demum audito euentu prælij Fontane-
Nithard. lib. 3. tici, victorem Caluum per Vuillelmum filium conuenit, vt ſe ei commendaret iuſſum, ſi quos in Burgundia honores habuit, ei ratos faceret. Labente Regum ſecundæ ſtirpis Imperio, ac Carolo Simplici ob ætatem precariò fere regnante, facilè Duces & Comites prouinciales præfecturas iure dominij ſibi vindicauêre, eáſque tranſmiſêre ad ſuos heredes, & Regios vaſſos, ſuos
lib. 1. c. 32. fecere: Odo Cluniacenſis, de vita S. Geraldi: *Geraldus quoque ſicut Iob frater draconum, & ſocius ſtruthionum fuiſſe monſtratur, frequenter à quibuſdam prouinciarum la-*

ceſſitus eſt; nam reipublicæ ſtatu iam nimis turbato, regales Vuaſſos inſolentia Marchionum ſibi ſubiugauerat. Hoc ſcelere, Odoni ſucceſſit Robertus eius germanus in Ducatu Francorum, adeóque cùm non redderetur ei pars principatus, quam Odo frater antequàm eligeretur in Regem tenuerat, tumultuari aduersùs Carolū Simplicem, & tyrannidem affectare non dubitauit. Richardus itidem Dux Burgundiæ ſucceſſorem nactus eſt Rodulfum filium, & Herbertus Comes Viromanduenſis filium cognominem. Hoc quaſi iure, Comites regiæ majeſtatis obſeruantiores præfecturas inter liberos diuiſere, quæſito aſſenſu principis. Regino: *Anno Dominicæ Incarnationis IXCXXXX. Vto Comes obijt, qui permiſſu Regis quicquid beneficij aut præfecturarum habuit quaſi hereditatem inter filios diuiſit.* Iiſdem temporibus in Dynaſtas & regulos ſurrexêre ſeptem Duces, aut Comites prouinciales, Dux Francorum, ſeu Comes Pariſienſis, Duces Burgundiæ, Normanniæ, Aquitaniæ, Comites Flandrenſis, Campanienſis, Toloſanus: hi de dignitate fere cum Regibus certabant, de bello & pace, quaſi æquo iure per legatos agebant: quàm thraſonicè ſe haberent exemplo docet Vuillelmus Pius, Dux Aquitaniæ, quem vix adduci potuiſſe, vt Rodulpho Regi ſe in fidem daret, narrat Frodoardus. *Rodulfus Rex profectionem parabat in Aquitaniam, quia Vuillelmus eiuſdem regionis princeps ſubdi ſibi differebat, qui comperto quòd Rodulfus in Aquitaniam cum hoſtili manu properaret, ei obuiam ſuper* Ligerim *venit, & intercurrentibus alternatim legatis, tandem ad colloquium ſuper ipſum flumen* Ligerim, *infra pagum Auguſtidunenſem conuenere, vbi totâ die immorati Rodulfus ex hac, Vuillelmus ex illa fluminis ora, nuncijs*

Aymoin. Cont. lib. 5. c. 41. Vuillelm. Gemitic. lib. 8. c. 16.

in Chronic. ad ann. 924.

vtrinque progredientibus, ſicque die conſumptâ flumen tandem Vuillelmus tranſiens ad Rodulſum iam noctu peruenit, & equo deſiliens ad Regem equo inſidentem pedibus acceſſit, quem poſtquam Rex oſculatus eſt vtrinque diſceßum, &c. Tandem ſummam rerum adeptus Hugo Capetius regni quidem ruinas ex parte inſtaurauit, at cautioris conſilio medici vſus, nimiùm alta reipublicæ vulnera pendente manu tractauit, temporibus ſubmiſit animum, adultas poteſtates omiſit, ne ſe imparem proderet, Ducatus, Comitatus & minora feuda in perpetua & hereditaria beneficia addixit, ſaluo iure ſummi imperij, fidei, & obſequij militaris. Hoc velut fœdere amota regno inuidia, fides integra manſit Ducibus & Comitibus; ſed nondum reſtituta regno majeſtas impatiens conſortis, nondum proceres abſtinuêre Regalibus, quibus manum injecerant laborante Republicâ. Ne erubeſcant reges labem illius ſeculi, quæ ſequentibus patebit diſſertationibus inſigne illis trophæum poſitum iuſta, quæ ſecuta eſt Ducum & Comitum expugnatio, nec minor his inſtaurati, quàm majoribus conditi laus imperij.

Cap. VI.

Aduocatia, & defenſio Eccleſiarum.

car. tributũ. 23. q. 8. Io. Sariſber. ep. 54.

Regibvs maximè incumbit aduocatia, ſiue mundeburdium, id eſt tuitio, & defenſio Eccleſiarum Cathedralium, & Conuentualium totius Galliæ : inde concepta formula

lib. 1. c. 24. apud Marculphum, de mundeburde regio Eccleſiarum: *Igitur cognoſcat magnitudo, ſeu vtilitas veſtra, quòd nos apo-*

ſtolicum & venerabilem illum Epiſcopum, aut Abbatem Eccleſiæ, vel Monaſterij in honore illius ſancti conſtructi, cum omnibus rebus vel hominibus, aut gaſindis, vel amicis, ſeu vndecumque ipſe legitimo reddibit initio, iuxta eius petitionem propter malorum hominum inlicitas infeſtationes ſub ſermonem tuitionis noſtræ niſi fuimus recepiſſe, vt ſub mundeburde, vel defenſione inluſtris viri illius Majoris domus noſtri cum omnibus rebus præfatæ Eccleſiæ aut Monaſterij quietus debeat reſidere, & ſub ipſo viro illo inluſtris vir ille cauſas ipſius pötificis, aut Abbatis, vel Eccleſiæ, aut Monaſterij, vel qui per eum ſperare videntur, vel vndecumque legitimo reddibit initio tantùm in palatio noſtro ſequi deberet. Conſentit Synodus Confluentina. *Volumus vt Eccleſiæ, & caſæ Dei & Epiſcopi, & dei homines clerici, & monachi, & nonnæ, talem mandeburdem & honorem habeant, ſicut tempore anteceſſorum noſtrorum habuerunt.* Eccleſiæ, inquam, poſitæ ſub mundeburde regio, tum quòd Eccleſia eſt in Republica, quæ vniuerſa principis tutelâ & præſidio fouetur: tum quòd Reges noſtri Eccleſias Cathedrales, & pleraſque Abbatias, & Prioratus fundauerunt, dotauerunt, aut ſaltem beneficijs ſuis adornarunt; vel quia ab initio fundatores priuati, Eccleſias, & cœnobia à ſe poſita, vt in tuto eſſent, aduocatiæ & tutelæ principum paſſim commendarunt. Synodus Meldenſis : *Prouidendum eſt Regiæ* can. 41. *majeſtati vt Monaſteria quæ ab hominibus Deum timentibus, in ſua proprietate conſtructa, prædeceſſores illius cauſâ defenſionis & Mũdeburdi ſuſceperũt, vt libera libertate remota ſpe hereditariâ de illorum propinquitate ibidem religio obſeruaretur, & nunc in allodium ſunt data.* Et paulò pòſt : *qualiter vota fidelium inconuulſa permaneant.* Et Synodus Ticinenſis : can. 16. *Suggerendum eſt beatiſſimis Imperatoribus, quia hi qui Mo-*

naſteria & Sinodochia ſub defenſione ſacri palatij poſuerunt, ideò feciſſe probantur, quòd à nullo meliùs, quàm à ſummis poteſtatibus protegenda crediderint. Sic Vuifredus Comes Bituricenſis & Oda eius coniux fundatores Monaſterij Stradenſis, Pipini Regis tuitioni id crediddiſſe celebrantur: Auctor vitæ S. Genulfi: *Quibus*, inquit, *vt ſe tempus obtulit opportunum, continuò de rebus eidem loco delegandis teſtamentum faciunt, Domnique Pipini Regis adeuntes præſentiam vota ſuggerunt, & locum ſibi rebus decretis per teſtamentum eius poteſtati committunt, vt ipſius auctoritate, atque Francorum deinceps regum prouidentiâ tueretur.* Sic eidem Pipino regi Monaſterium S. Galli ſecuritatis gratiâ tradidit Vualtramus Comes. Ratpertus Monachus: *Poſteà verò tempore procedente, atque ſtatu Monaſterij in meliùs proficiēte, præfatus Vualtramus eundē Abbatem Othmarum Pipino Regi præſentauit, ipsique Regi Monaſterium, quod adhuc hereditario iure in ſua tenebat poteſtate; cum ipſo pariter Abbate contradidit; eâ videlicet causâ, vt ipſe Abbas, eiúſque ſucceſſores idem Monaſterium regiâ auctoritate retinentes, nullius deinde violentiâ premerentur ſed tantummodò regum iuſſionibus obedirent.* Nonnumquam etiam Aduocatia regia inde prognata quòd ipſæ Eccleſiæ, vel Monaſteria vltrò ſe regibus in tutelam dederunt, vt Carolo Magno Laurishamenſe Monaſterium. Chronicon Laurishamenſe: *Gundelandus igitur Abbas in iuris ſui quieta poſſeſſione tunc dictāte iuſtitiâ tum regiâ auctoritate confirmatus Laureshamenſe Monaſterium cum omnibus illuc pertinentibus in manus, & mundeburdem glorioſi Regis Caroli tradidit, quatenus priuilegijs inſigniretur regalibus, &c.* Imò & ipſum Monaſterium S. Galli Ludouici Pij primùm tuitionem expetijt, ſi fides Sangallenſi; *Quod adeò verum eſt,*

lib.2.c.8.

de Caſib. Monaſt. S. Galli. cap.1.

Anno Chriſti 776.

lib1. de geſt.

vt cùm fidelis eius Abba noſter Hart. nunc autem veſter incluſus ei retulerit, quòd reiculæ S. Galli, non ex regalibus donarijs, ſed ex priuatorũ traditiũculis collectæ, nullũ priuilegium aliorum Monaſteriorũ, vel communes cunctorũ populorum leges haberet, & ideò neminem ſui defenſorem, vel aduocatum reperire potuiſſent, ipſe cunctis aduerſariis noſtris opponens aduocatum ſe vilitatis noſtræ, coram cunctis principibus ſuis profiteri non erubuerit. Regiæ aduocatiæ inſigne fuit, quòd Eccleſiarum quæ illâ fruerentur cauſæ referebantur ad palatium principis, vt ex Marculphi formula & Synodo Ticinenſi ſuprà obſeruatum eſt: quo pacto cauſam de rebus Monaſterij Laurishamenſis aduersùs Heimericum Comitem, deductam ad audientiam Caroli M. recenſet Chronicon Laurishamenſe. *Heimericus Comes, filius Cancronis, mortuis patre & auia, cernens præfatum locum ex paruo & modico ad tantam rerum & famæ prouectum eminentiam, nitebatur eum ſibi proprietatis titulo vendicare; cuius rei actione ad palatium delatâ, & allegatione vtriuſque partis auditâ, iuxta legem Francorum diffinitum eſt Gundelandum (Abbatem) iure poſſidere, quod ſibi fuerat à fratre ſinè contradictione collatum, nec Heimericum poſſe repetere, quod pater eius & mater probantur ſoſpites in ſcriptis tradidiſſe.* Adfuit & aliud dignitatis argumentum, quòd Eccleſiarum cauſæ etiam apud Comites, vltrò aditos, priores audirentur, & in eleemoſyna regis, vt loquuntur, id eſt ſinè ſportulis. Concilium Vernenſe: *Vt Comites, vel iudices ad eorum placita primò viduarum, orphanorum, vel Eccleſiarum cauſas audiant, & definiant in eleemoſyna Domini Regis, & poſteà alias cauſas cum iuſtitia rationabiliter iudicent.* Pro aduocatia, Eccleſijs ſolenne fuit annua regibus dona inferre: de Monaſterio S. Galli auctor eſt

Caroli M. cap. 5.

A. C. 776.

can. 23.

de Caſib. Monaſt. S. Galli, c. 8. Ratpertus : *Præterea Rex piiſſimus Ludouicus in eadem charta conſcribi iuſſit regia dona ſibimetipſi ſecundùm conſuetudinem aliorum Monaſteriorum ſecuritate præditorum quotannis ventura, id eſt duos caballos, & duo ſcuta cum lanceis.* Nec non ſecutis temporibus, regium patrocinium pecuniario ſubſidio ſibi conciliarunt Eccleſiæ : Guillielmus Brito. lib 1. Philippid.

Tempore cuiuſdam guerræ Rex prodigus æris
Cùm res exigeret numerare ſtipendia multis
Clerum Remenſem petiit, ſcriptóque rogauit,
Vt ſibi ſubſidium fieret, quo gratior illi
Ad tantos vellet ſumptus impendere gratis,
Vt ſoles Eccleſia patronos ſæpe iuuare.

Haud ſecus Germani Imperatores Eccleſiarum aduocatos ſe egerunt. Bernardus ad Lotharium Imperatorem : *Non eſt meum hortari ad pugnam, eſt tamen Aduocati Eccleſiæ arcere ab Eccleſiæ infeſtatione ſchiſmaticorum rabiem.* Idémque ad Conradum Regem Romanorum: *Vtrumque intereſſe Cæſaris conſtat, & propriam tueri coronam, & Eccleſiam defenſare ; alterum Regi, alterum conuenit Eccleſiæ Aduocato.* Ac primus Imperatorum, Carolus M. Aduocatum S. Petri ſe inſcripſit. Et quidem hi melioribus ſeculis gratuitam Eccleſijs aduocatiam impenderunt ; ſed poſterioribus, eius nomine annonas Eccleſijs imponere non dubitarunt, vt prodit Abbas Vrſpergenſis : *Narratur quòd olim præſidente Grimone Præpoſito in Eccleſia Vrſpergenſi, regnante Chunrado Rege, & ſibi ſuccedente nepote ſuo imperatore Friderico, propter reuerentiam & autoritatem præfati Grimonis ipſi imperatores nihil huiuſmodi iuris præſumpſerunt ſibi vendicare, præterquàm illud quod pertinet ad dominium totius terræ, vt ſub protectione ſua*

ep. 139.
ep. 243.
pag. 311.

ſua eas ſuſciperent, & priuilegiis ſuis munirẽt & fideliter defenderent. Contigit autẽ quòd mortuo prædicto Grimone, Canonici Vrſpergenſes elegerunt ſibi in rectorẽ quendã de fratribus ſuis, hominẽ nullius intelligẽtiæ, aut valentiæ & adeò hebetis eloquẽtiæ, vt nec verbũ de ore ipſius, niſi cum difficultate poſſet intelligi. Cúmque talis prælatus coram inclytæ recordationis Imperatore Friderico comparuiſſet, ipſe cum tota curia ſua ſpreuit eundem, odióque ſui nobili viro Degenhardo de Hellinſteyn, procuratori ſuo per omnia regalia prædia Sueuiæ iniunxit, quatenus perſonaliter accederet ad Eccleſiam Vrſpergenſem, & de voluntate fratrum in prædijs ipſorum ſtatueret, extra Abbatiam & grangias ſtatutis apponeret annuũ, quod ſibi pro aduocatia, & defenſione ſolueretur, vt videlicet quilibet manſus ruſticanorum prædiorum ſolueret maltare vnum auenæ, vt officiales ſui equis ipſorum ex hoc haberent annonam, & ipſa Eccleſia ſinè præiudicio omnis grauaminis Imperialem haberet defenſionem. Singulare & huiuſmodi Eccleſiarum obſequium fuit, ne res earum alienari poſſent ſinè conſenſu regis. De rebus Eccleſiæ ſuæ MONaſterium dotauit S. Domnolus Cenomanenſis Epiſcopus, ſed non ſinè conſenſu Chilperici Regis, vt legitur in eius vita apud Surium. 16. Maij. tom. 3. *Exſtruxit autem Monaſterium in ſuburbio ciuitatis ſuæ, in eius verò conſecratione de rebus Eccleſiæ multa teſtamento ei legauit atque confirmauit, permittente & fauente Chilperico Francorum rege, eiúſque principibus, multis etiam id ei ſuggerentibus Epiſcopis, imprimis ſancto Germano, clero quoque populóque vt id faceret adhortante.* Nec niſi conſenſu Caroli M. tertiam de rebus mobilibus Monaſterij legauit pauperibus Gundelandus Abbas Laurishamenſis. Chronicon Laurishamenſe ſuprà laudatum: A. C. 777. *Breui dehinc interiectu temporis Gundelandus, inſtante ſibi diuino vocatio-*

nis brauio, miſit ad Regem Aquiſgrani conſulens & obſecrans, quatenus ei liceret extremum vitæ curſum iam peragenti aliqua de Monaſterij rebus impendia pro animæ remedio pauperum indigentiæ prærogare, qui indulſit ei tertiam partem rerum dumtaxat mobilium in pauperum pro arbitrio ſuo diſtributionem: inſtruantur hoc exemplo noſtri temporis Eccleſiarum prælati, qui rebus earum & poſſeſſionibus ſibi creditis inſolenter abutuntur, cùm pater ille Imperialis Abbas regni princeps diues, & præpotens, magnæ famæ, clari generis nihil præſumpſerit abſque regis vel conſilio, vel præcepto: etiam in ipſo mortis articulo de rebus Monaſterij diſponere. Nec ſolùm facto, ſed etiam lege conſenſum regium exegerunt patres in alienandis rebus Eccleſiarum. Conc. Matiſcenſe can. IV. ex Burchardo. *A Synodo decretum eſt, & Imperialis autoritas denunciat, ne commutationes rerum, vel mancipiorum Eccleſiaſticorum qualibet perſona ſinè licentia & conſenſu regio præſumat facere.* Capitulare Caroli Calui in Synodo Sueſſionenſi: *Ne commutationes rerum vel mancipiorum quilibet prælatus earumdem rerum Eccleſiaſticarum ſinè licentia vel conſenſu noſtro facere præſumat.* Sic nonnullas res Eccleſiæ commutauit Ebo Rhemenſis, ſed impetrato reſcripto Ludouici P. *Sed & Imperialia*, inquit Flodoardus, *ſuper eiſdem commutationibus præcepta obtinuit.* Eccleſiarum autem aduocatia adeò coronæ regiæ inhæret, vt Cathedralium, vel aliarum regiæ fundationis patrocinium cum vniuerſitate, id eſt conceſſione Ducatus vel Comitatus in quibus Epiſcopatus, vel regales Abbatiæ poſitæ erant, non tranſirent in alium. Hinc conceſsâ Neuſtriâ Hugoni Abbati ſub Carolo Simplici ante irruptionem Normannorum, non venêre Epiſcopatus. Chronicon Andegauenſe: *Iſte itaque tractus cùm ei da-*

Lib. 3. decret. c. 172.

Capitul. Carol. Calui cap. 12.

Lib. 2. hiſt. Rhem. c. 19.

tus eſſet ad integrum cum ciuitatibus & Comitatibus & Abbatijs, caſtelliſque præter Epiſcopatus ſolos, qui in regia Domini cura retenti ſunt. Eodem iure aduocatiam Eccleſiarum Burgundiæ armatâ manu euindicauit Philippus Auguſtus aduersùm Hugonem Ducem Burgundiæ. Rigordus : *Igitur Reges Francorum, prædictas Eccleſias in ſua libertate ſemper cuſtodire cupientes, quibuſcumque principibus terras cuſtodiendas tradidiſſent, tamen Eccleſias ſub poteſtate ſua & protectione retinere decreuerunt, ne principes quibus terra cuſtodienda à Regibus delegabatur, Eccleſias, vel clericos ibidem Domino ſeruientes aliquibus angarijs, tallijs, vel alijs exactionibus grauare præſumerent : verumtamen quia Dux Burgundiæ Eccleſias terræ ſibi commiſſæ huiuſmodi exactionibus frequentibus contra regias immunitates grauiter oppreſſerat, ideò Philippus Rex auditá religioſorum virorum conqueſtione, &c.* Verùm Duces, & Comites paſſim in aliarum Eccleſiarum aduocatos & defenſores adſciti, & à principibus poſtulati : cuius rei inſtitutum à ſuo fonte repetere non ab re alienum erit. Laborante ſcilicet Africanâ Eccleſiâ Donatiſtarum, aliorúmque quibus ſcatebat hæreticorum tyrannide, rerum ſacrarum, & priuatarum direptione, nefariiſque cædibus tum ſacerdotum, cùm laïcorum famosâ, aditi ſunt Imperatores, & ad petitionem patrum Synodi Carthaginenſis V. beneficio principum, in ſingulis Africanis Eccleſijs inſtituti ſunt defenſores, vt hæreticorum ſæuitiam manu militari compeſcerent, & quieti Eccleſiarum conſulerent. Hac de re ſancitus canon in eodem concilio: *Ab Imperatoribus, vniuerſis viſum eſt poſtulãdum propter afflictionem pauperum, quorum moleſtijs ſinè intermiſſione fatigatur Eccleſia, vt defenſores eis aduersùs potentias diuitum cum*

in Philipp. Aug. 1184

c. 4. can. ab Imperatoribus 23. q. 3. Conc. Afric. cap. 22.

can.81.Syn. Carth. can. 78. & 100. eiuſd. Syn. *Epiſcoporum prouiſione delegentur.* Quos defenſores Zonaras, & Balſamon vocitarunt, ἐκδίκους, τοποτηρητὰς, συνηγόρους, & hi diu permanſere in Eccleſijs Africanis. cap. 12. Poſſidius in vita Auguſtini: *De qua re*, inquit, *ne pacis Eccleſiæ ampliùs impediretur profectus, defenſor Eccleſiæ inter leges non ſiluit.* Nec non Eccleſiæ ciſmarinæ defenſorum tutelam ſibi adſciuerunt, inermem Epiſcoporum auctoritatem imparem expertæ aduersùs potentiorum injurias. in can. Saluator. 1. q. 3. Vrbanus II. P. *Defenſoris nomine, aduocatum, ſiue Caſtaldum & iudicem.* In Gallia & Germania maximè, Eccleſiæ ob opum pinguiorem cenſum, & Dynaſtarum frequentiã deprædationi obuiæ, defenſores, ſiue aduocatos expetierunt. Conciliũ Moguntinũ ſub Carolo M. can. 50. *Omnibus igitur Epiſcopis, Abbatibus, cunctóque clero continuò præcipimus Vicedominos, præpoſitos, aduocatos, ſiue defenſores bonos habere.* Votis Patrum annuit Carolus M. & legem dedit de aduocatis & defenſoribus Eccleſiarum à principe poſtulandis: Capitul. lib. 5. c. 31. lib. 7. c. 303. lib. 3. c. 62. *Defenſores Eccleſiarum aduersùs potentias ſecularium, vel diuitum ab Imperatore ſunt poſcendi.* Exin ab Epiſcopis, & Abbatibus, Nobiliores Comites lecti, & à principe poſtulati in aduocatos, & defenſores. Trithemius Abbas, ex codicillis in Chron. Hirſaug. A. C. 1064. libertatis Monaſterij Hirſaugienſis. *Sin autem aptũ & vtilem aduocatũ vndecumq; ſibi placuerit eligant, hic denique Abbate petente à Rege accipiat bannum legitimum, &c.* in eod. Chr. A. C. 1199. Idem ex priuilegio Vrbani II. *Aduocatum autem Imperatorem Romanorum, qui & noſter aduocatus eſt, præficimus; propter multiplices tamen eius curas & diſpoſitiones liceat Abbati & fratribus, de familia de Calune eligere, ſi idoneus inuentus fuerit, &c. Sin autem aliàs vndecumque libet liceat alium eligere, qui etiam aduocatus in præſentiam Abbatis & fratrum*

iuret in ſacramento cum familiaribus ſuis, quòd contra priuilegia Eccleſiæ non veniat, hic adductus in præſentiam Domini Imperatoris ſimili modo confirmet, &c. Eandem ob rationem etiam Eccleſiæ Cathedrales alium ab Imperatore, vel rege acceperunt aduocatum, vel potiùs Subaduocatum, vt traditur de Ratiſponenſi Eccleſia. Otho Friſingenſis : *Mortuus tunc fuit in comitatu Regis vir clariſſimus Fridericus Ratiſponenſis Eccleſiæ aduocatus.* Quinetiam Imperatores ipſi aduocatiam Epiſcopatuum in beneficium dederunt Ducibus aut Comitibus, vt Fridericus I. Bertoldo Duci Zeringiæ. Supplementi Friſingenſis auctor : *Regnum Burgundiæ cum Archiſolio Arelatenſi, quod Duces de Zeringen, quamuis ſinè fructu tantùm honore nominis iure beneficij ab imperio iamdiu tenuerāt, à Bertolfo Duce extorſit, præſtitis ſibi trium Epiſcopatuum aduocatia, cum inneſtitura regalium, ſcilicet Lauſanenſis, Geneuenſis, Sedunenſis.* Aduocatorum porrò muneris fuit res Eccleſiæ curare, tueri, in iure defendere, & vſurpatas à prædonibus euindicare. Concilium Moguntinum I. ſub Carolo M. *Vt Monachi ad ſecularia placita nullatenus veniant, &c. Neque ipſe Abbas ſinè conſilio Epiſcopi ſui & cùm neceſſitas exigit, tunc per iuſſionem & conſilium Epiſcopi illuc vadat, nequaquam tamen contentiones, aut lites aliquas ibi mouere præſumat : ſed quicquid quærendum, vel etiam reſpondendum ſit per aduocatos ſuos hoc faciat.* Adreualdus, de prædijs Monaſterij Floriacenſis ſitis in pago Aquitaniæ, Caput ceruium nomine : *Aduocatus verò vnà cum Rapanario monacho ad locum ceſſionis terræ, iuxta morem legis aduenïens* (lege enim Romanâ quâ ab antiquo vtitur Aquitania vindicatio fiebat in rem præſentem.) *Prædictam vineam ad ius ſancti Benedicti ſuâ auctoritate reuocare*

lib. 1. de geſt. Frid. cap. 58.

cap. 21.

can. 21.

lib. 1. de mirac. S. Bened. c. 26.

l. 1. §. 1. ff. ſi quis ius dic. l. non alias. §. ſed ſi poſtula-

tur.ff.de iudic. Tullius Verr. 4. Greg. Nyſſen. in vit. Thaumaturg. lib. 3. hiſt. Rhem. cap. 10. de Caſib. M.S. Galli.

nitebatur, & Flodoardus, de Hincmaro. *Res quoque nonnullas, iuráque Eccleſiæ, ac mancipia legibus per aduocatos euindicata recepiſſe reperitur.* Ekkeardus. *Inuadit loca lege Alamannicâ, cum aduocato Epiſcopus, tribus diebus, vti ius erat, homines fiſci iuramentis S. Othmaro vindicantes.* Tabulæ, & geſta inſcribebantur Abbatis nomine, addito fratrum & Aduocati conſenſu. Bernardus ad Epiſcopum Oſtienſem, & alios, pro Abbate Latiniacenſi: *Iam de terris & bonis Eccleſiæ quaſi diſtractis & alienatis, & datis ab eo cognatis ſuis coram venerabilibus Epiſcopis, Sueſſionenſi, & Antiſſiodorenſi, Comitéque Theobaldo, aduocato vtique Monaſterij ſatis reſponſum eſt, & adhuc reſpondetur, ſic illum dediſſe ſuis, quomodo alienis, id eſt, ad eundem cenſum vel conſuetudinem.* Idémque ad Eugenium P. *Betunienſis Decanus, inquit, voluntate Epiſcopi, & aſſenſu aduocati bonam rem pro Eccleſia ſua in Eccleſia eadem conſtituit, bonum eſt vt veſtra auctoritate firmetur.* Donationum piarum acceptio penès aduocatum erat. Ekkeardus, de Conrado Imperatore: *Ille verò quicquid inibi regij fiſci erat totum in manum aduocati ſuper aram eius* (S. Galli) *tradiderat, & ſigillo ſuo roborauerat.* Denique ſtatus Eccleſiæ non potuit moueri ſinè aduocato. Petrus Cluniacenſis ad Gaufredum Carnotenſem Epiſcopum. *Dixit enim Eccleſiam Caſtri Duni, quam Cluniacenſis olim poſſediſſe dicebatur, à Canonicis eiuſdem Eccleſiæ, ab aduocato Eccleſiæ Vicecomite (Vindocinenſi) ab omnibus tandem qui aliquid iuris in ea ſe habere dicebant, tam precibus, quàm vi iuſtitiæ extorſiſſe, & veſtræ Cluniacenſi Eccleſiæ cuius iuris fuerat, reddidiſſe.* Aduocatorum etiam fuit temporalem Eccleſiæ juriſdictionem in ſeruos & colonos eius exercere, vt oſtendam ſuo loco. His

ep. 229.

ep. 284.

de Caſib. M.S. Galli. c. 1.

lib. 4. ep. 43.

officij ergo adſcripta certa ſtipendia. Trithemius ex Tabulis Henrici IV. de aduocato Monaſterij Hirſaugienſis : *Nullum autem ſeruitium aliud, ius, aut beneficium ſibi pro hoc concedi recognoſcat, niſi tertium bannum & conſuetudinariam juſtitiam, & legem quam ceteri Aduocati in alijs liberis Monaſterijs habent, ſuper fures proteruiam, & cenſuales, & cetera talia, & in illis trium placitorum diebus in vnoquoque vnum maltum de frumento, & vnum friſcingum & vnum ſiclum de vino & cetera ad hæc pertinentia.* Idem Trithemius : *Denique ad petitionem præfati Comitis Ioannis, Vuillicho Abbas prædictum filium eius aduocatum ſuum in villa Monaſterij quæ Anuen dicitur conſtituit, cui duodecim maldra auenæ, & totidem pullos ab incolis eiuſdem villæ, danda ſingulis annis pro feudo aſſignauit.* Eccleſiarũ omnium vrbis Cameracenſis aduocatus fuit Comes Flandrenſis, eóque nomine tulit certam portionem fructuum, quæ vulgò Gauena. Monſtreletius : *Le Duc de Bourgongne à cauſe de ſa Comté de Flandres, eſt garde de toutes les Egliſes de Cambray heritablement, & à touſiours, & pour ladite garde prend chacun an pardurablement, certaine quantité de grains ſur les terres & Seigneuries deſdites Egliſes, ou pays de Cambreſis, & ſe nomme icelle Seigneurie, appartenant audit Comte de Flãdres, la Gauene de Cambreſis.* Sæpiùs eiſdẽ data in beneficiũ, certa prædia Eccleſiæ, quæ inde aduocatiæ nomen libarunt. Baldricus Nouiomenſis : *Sub hac etiam ſpecie ipſe Herivuardus aduocatias aliquantarum villarum quaſi pro defenſione præſumpſit : ſed plus quàm inimicus prædo aſſiduis exactionibus deuaſtauit.* Cũradus de Fabaria : *Cum Aduocatia, aliáque quãplurima feuda noſtræ ceſſiſſent juriſdictioni, &c.* Abbas Vrſpergenſis : *Recipiendo nihilominùs ab Eccleſijs Ducatus, Marchias, Comitatus, Aduoca-*

in Chron. Hirſaug. A. C. 1064.

in Chron. Spanh. A. C. 1325.

vol. 1. c. 143.

in Chron. Camerac. lib. 2. c. 98.

de Caſib. M. S. Galli. c. 8.

in Frid. 2.

tias,monetas,thelonea,cæterorúmq; regaliũ quæ poſſidet ſummã. Labante ſcilicet diſciplinâ numen præſidij cauſâ accitum in lethum & exillium Eccleſijs incubuit, & ouem lupo creditam coarguit exitus, res eò prorupit, vt ab Eccleſijs aduocati tamquam à proprijs ruſticis & colonis crebriores annonas & cenſus paſſim extorquerent, quibus modum impoſuit Lucius III. lege dictâ ne quid ab Eccleſijs præter antiquos & moderatos reditus ab initio inſtitutos exigerent: & ante Eugenius II. in Synodo Rhemenſi: *Autoritate Apoſtolicâ prohibemus, vt nullus aduocatus præter ius & beneficium antiquitus aliquid ſibi arripere, vel vſurpare præſumat: quòd ſi quis contra hoc attentauerit, Chriſtianorum careat ſepulturâ.* Denique obtentu aduocatiæ Comites eò ſeruitutis redegêre Eccleſias, vt eas incaſtellandi ius ſibi arrogarent, quod veteres chartæ ius fortiæ vocitant: hoc nomine contendebat Dux Britanniæ, ius ſibi eſſe arces & munitiones ponendi in villis & prædijs Eccleſiarum, & tuitionis gratiâ Caſtellanos Duces imponendi: qua de re graues turbæ increbuerunt inter Duces & clerum, auctore Argentreo: & hoc genus tyrannidis olim deteſtatus eſt Callixtus II. *Eccleſias à laicis incaſtellari, & in ſeruitutem redigi auctoritate Apoſtolicâ prohibemus.* Et poſt eum Otho Friſingenſis: *Eccleſiam etiam Beati Petri omnium Eccleſiarum caput incaſtellare ſacrilegè ac prophaniſſimè non metuunt.*

Anonymus Floriacenſis lib. 1. de Mir. S. Bened. cap. 6.

cap. præterea ex. de iure patro.

A. C. 824. c. 5.

lib. 5. hiſt. Britann. cap. 36.

c. Sanctorũ 10. qu. 2.

lib. 7. Chr. cap. 31.

CAP.

Cap. VII.

Nominatio Epiſcoporum, & Abbatum.

Moribus Galliæ Epiſcoporum, & Abbatum electio ſemper penès Reges fuit: ſub prima ſtirpe imprimis ſola auctoritas Regum in hoc negotio ſpectata. Sic Eccleſiæ Aruernenſi Epiſcopus à Theodorico Rege impoſitus Apollinaris, & pòſt eum Quintianus ex Epiſcopo Rutenenſi, à Chlodomiro lectus Ommatius Turonenſis Epiſcopus. Mortuo Quintiano Aruernis à Theodorico datus antiſtes Gallus, contemptis votis Treuirenſium, qui virum ſanctum ſibi in Epiſcopum expetebant. Gallo ſublectus Cautinus à Theodoualdo Rege, omiſſo Catone iam electo, conſenſu cleri. Pientio Pictauienſi Epiſcopo ſucceſſit Paſcentius Abbas ſancti Hilarij, iuſſu Chariberti Regis, Tetrico Lingonenſi adhuc ſuperſtiti adſcitus à Guntrano Mondericus futurus ſucceſſor. In Synodo Matiſconenſi I I. depoſitus Fauſtinianus Aquenſis Epiſcopus, iuſſu Gundoaldi pſeudoregis ordinatus, ſpreto Guntrano, & in eius locum ſuffectus Nicetius, ex præcepto priùs à Chilperico Rege impetrato, Remigio Bituricenſi ſucceſſit Sulpitius, Laban Eluſenſi Epiſcopo, Deſiderius ex laico, Bertramo Burdegalenſi Gundegiſilus ex Comite Santonico, ídque ſuffragio Guntrani, à Sigiberto Rege lectus Gregorius Epiſcopus Turonenſis. Fortunatus,

Huic Sigibertus ouans fauet & Brunichildis honori
Iudicio Regis nobile culmen adeſt.

Etſi Concilia Gallicana Pariſienſe I. Aurelianenſe, V. &

Marculf. formul.

Greg. Tur. lib. 3. cap. 2.

idem lib. 3. c. 16.

idem lib. 4. c. 5. & de vit. Patr. c. 6.

idem lib. 4. c. 7.

idem lib. 4. c. 18.

idem lib. 5. c. 5.

idem lib. 7. cap. 31.

lib. 8. c. 20.

idem lib. 6. c. 38. 39. & lib. 8. c. 22.

lib. 5. cap. 2.

Can. 8.
Can. 10.
Can. 8.

Pariſienſe III. Regibus tantùm concederēt aſſenſum electioni iam factæ. Haud ſecus ſub altera ſtirpe permāſit ius vt Epiſcopi nutu Regū eligerētur, ac ſæpiùs ex Clericis palatinis. Carolus Caluus in libello Proclamationis aduersùs Vueniloné Senonenſem Archiepiſcopū: *Vacabat tunc Paſtore Metropolis Senonum, quam iuxta conſuetudinem prædeceſſorum meorum regum Vueniloni tunc clerico meo in capella mea mihi ſeruienti, qui more liberi clerici ſe mihi commendauerat, & fidelitatem ſacramento promiſerat conſenſu ſacrorum Epiſcoporum ipſius Metropolis ad gubernandum commiſi, & apud Epiſcopos quantùm ex me fuit vt eum ibidem Archiepiſcopum ordinarent obtinui.* Conſuetudinem regni à Pipino exoratus agnouit Zacharias Pontifex, & tempori indulſit: Lupus Ferrarienſis, ad Amulum Epiſcopum Lugdunenſem. *Idque veſtræ prudentiæ Dominus noſter nobis iuſſit ſuggerere non eſſe nouicium, aut temerarium, quòd ex palatio honorabilioribus maximè Eccleſijs procurat Antiſtites. Nam Pipinus, à quo per Maximum Carolum, & Religioſiſſimum Ludouicum Imperatores duxit Rex noſter originem, expoſita neceſſitate huius regni Zachariæ Romano Papæ, in Synodo cui Martyr Bonifacius interfuit, eius accepit conſenſum vt acerbitati temporis induſtriâ, ſibi probatiſſimorum decedentibus Epiſcopis mederetur.* Eidem Pipino ius legendi & inueſtiendi Epiſcopos ratum fecit Stephanus Pontifex, & Carolo M. Adrianus. Vualtramus Naumburgenſis de inueſtituris Epiſcôporum: *Longè ante decretum Adriani Papæ, eiúſque ſucceſſorum Reges qui erant vncti inueſtituras Epiſcoporū fecerūt, ſcilicet Dagobertus, Sigilbertus, Theodebertus ab ijs inthronizati ſūt Audomarus, Aulpertus, Eligius, Lambertus, alijq; ſanctiſſimi præſules: poſtquàm autē Papa Stephanus venit in Franciam, & vnxit Pipinum Regem, eiuſ-*

ep. 81.

que filium, *ibi de inueſtiendis Epiſcopis antiquam conſuetudinem confirmauit.* Idémque de Adriano memorat Gratianus. Sub tertia demum ſtirpe, pio Roberti Regis exemplo permiſſæ electiones clero & plebi. Glaber, de Roberto. *Si qua enim pontificalis ſedes in ſuo regno, proprio viduaretur præſule, cura erat maxima vt vtilis paſtor licèt genere infimus reſtitueretur Eccleſiæ, potiùs quàm nobilitatis eligeretur perſona ſecularis pompæ: qua de cauſa etiã primates regni ſenſit plurimum contumaces, qui deſpectis humilibus, ſui ſimiles eligebant ſuperbos.* Retentum Regibus electionis faciendæ, ſemélque factæ auctoramentum. Fulbert. de electione Franconis in Pariſienſem Epiſcoporum: *Subſtitutus eſt*, inquit, *Franco eligente clero, ſuffragante populo, dono Regis approbatione Romani Pontificis per manum Senonenſis Metropolitani.* Ioannes Sareſberienſis E. Carnotenſis. *Quò verò ſicut oportet poſſitis in prouidendo vobis paſtore procedere, præcipimus quatenus ad conſeruandam Eccleſiæ pacem Dominum Regem honeſtâ de Collegio veſtro legatione tranſmiſſâ, adeatis preces ei deuotione debitâ porrigentes, vt canonicè eligendi vobis paſtorem libertatem concedat.* Rigordus. *Cùm Guillermus Abbas S. Dionyſij Abbatiam in capitulo abdicaſſet, quo facto monachis cum Hugone venerabili Priore ibidem reſidentibus, quidam de fratribus à Communi Capitulo delegati nuntiauerunt Domino Regi, quæ facta fuerant liberam ab eo petentes electionem.* Idem ex teſtamento Philipi Aug. *Si fortè contigerit ſedem Epiſcopalem, vel aliquam Abbatiam regalem vacare, volumus vt Canonici Eccleſiæ, vel Monachi Monaſterij vacantis veniant ad reginam & Archiepiſcopum, ſicut ante nos venirent, & liberam electionem ab eis petant, & nos volumus quòd ſinè contradictione eis concedant.* Et in electioni-

in Can. Adrianus. 63. diſt.

hiſt. lib. 3. c. 2.

ep. 8.

ep. 52.

in Philippo Aug. A.C. 1185.

bus regiæ preces audiebantur. Stephanus Tornacenſis: ep. 173. *Concurrunt in electione illa quatuor quæ à Leone primo dicta ſunt, vota ciuium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum.* Et paulò pòſt: *Sed & hoc frequenter & ſolenniter dicitur, quia Dominus Rex perſonam illam nominatim expreſſit, nominatim pro ea rogauit, nominatim Eccleſiæ Tornacenſi præeſſe voluit & intendit.* Ideò reiectus à Ludouico Iuniore Petrus in Archiepiſcopum Bituricenſem conſecratus ab Innocentio II. vel Eugenio III. vt placet Matthæo Paris, quòd ſinè Regis aſſenſu ordinatus eſſet. Electus igitur quamprimùm fidei ſacramentum Regi præſtabat. Iuo Carnotenſis, ad Paſchalem II. *Sed reclamante Curia plenariam pacem impetrare nequiuimus, niſi prædictus Metropolitanus per manum & ſacramentum eam fidelitatem Regi faceret, quam prædeceſſoribus ſuis Regibus Francorum anteà fecerant omnes Rhemenſes Archiepiſcopi, & ceteri Regni Francorum quamlibet religioſi & ſancti Epiſcopi.* Tum electus inneſtituram Regalium, per virgam Paſtoralem à Rege ſuſcipiebat. Iuo Carnotenſis ad Hugonem Lugdunenſem primatem de Daimberto Senonenſi electo: *Quòd autem ſcripſiſti prædictum electum inueſtituram Epiſcopatus de manu Regis accepiſſe, nec relatum nobis ab aliquo qui viderit, nec cognitum, &c.* Idem Iuo Carnotenſis, ad Ioannem Lugdunenſem Archiepiſcopum: *Videmus autem in partibus Germaniarum & Galliarum multas honeſtas perſonas, purgato iſto næuo per quamlibet ſatisfactionem paſtorales virgas reddidiſſe, & per manum Apoſtolicam refutatas inueſtituras recepiſſe.* Et Bernardus, Clareuallenſis ad Ludouicum Iuniorem, de electo Lingonenſi: *Electio rite celebrata electus fidelis eſt: non autem eſſet fidelis ſi veſtra* (id eſt Regalia) *& non*

Margin notes: Robert Montens. 1141. Matth. Paris 1146. P. Cluniac. lib. 4. ep. 3. Bernard. ep. 217. ep. 190. ep. 60. ep. 136. ep. 170.

per vos habere vellet, nec dum ad veſtra manum extendit, nec dum ciuitatem veſtram ingreſſus eſt, necdum prorſus ſe intromiſit de aliquo. In Germania vacante Eccleſia, virga paſtoralis, & annulus deferebantur ad Imperatorem, qui Epiſcopum, vel Abbatem per ſe electum, vel à clero, per virgam & annulum inueſtiebat : Guillelmus Tyrius, de Bello ſacro : *Inoleuerat enim conſuetudo præſertim in Imperio, quòd defungentibus Eccleſiarum prælatis, anulus & virga paſtoralis ad Dominum Imperatorem dirigebatur, vnde poſtmodùm vnum quemlibet de familiaribus, & Capellanis ſuis inueſtiens ad Eccleſiam vacantem dirigebat, vt ibi paſtoris fungeretur officio, non exſpectatâ cleri electione.* Et Sugerius Abbas in oratione Treuirenſis Archiepiſcopi ad Paſchalem II. *Temporibus anteceſſorum noſtrorum Sanctorum Apoſtolicorum virorum, magni Gregorij, & aliorum hoc ad vim imperij pertinere dignoſcitur, vt majorum electione hic ordo ſeruetur; antequã electio in palàm proferatur ad aures Domini Imperatoris perferre, & ſi perſonam deceat, aſſenſum ab eo ante factam electionem aſſumere; deinde in conuentu ſecundùm canones petitione populi, electione cleri aſſenſu honoratorum præferre conſecratum liberè, nec ſymoniacè ad Dominum Imperatorem pro Regalibus vt annulo & virga inueſtiatur fidelitatem, & hominum pacem, nec mirùm ciuitates eum & Caſtella, marchiam, Telonea, & quæque imperatoriæ dignitatis nullomodo aliter debere occupare.* Quibus adde Vualtramum Naumburgenſem, de inueſtituris Epiſcoporum, Baldericum Nouiomenſem, & Adamum Bremensẽ: verùm huiuſmodi inueſtituras laïcas damnarunt Gregorius VII. & eum ſecuti Põtifices Vrbanus II. Paſchalis II. Calixtus II. donec tandem Henricus V. in Synodo Vuormacienſi inueſtituras per annulum & bacu-

lib. 1. c. 13.

in Ludouico Craſſo.

in Chron. Camer. lib. 3. c. 65 & 63. lib. 1. c. 32. & 39. lib. 2. c. 50.

lum exfeſtucauit, id eſt dimiſit, & liberas electiones reſtituit Eccleſijs, eâ lege, vt electioni iam factæ aſſenſus Imperatoris requireretur, electus inueſtiretur per ſceptrum: Auctores ſunt Sigebertus, Otho Friſingenſis, Leo Oſtienſis, Matthæus Paris, Conradus Vrſpergenſis, Iuo Carnotenſis. Quo pacto electionibus Eccleſijs reſtitutis breui flexu Eccleſia redacta eſt ad ſolos Canonicos Cathedralium Eccleſiarum, vt innuunt Vrbanus II. & Innocent. II. Iuo Carnotenſis, & Bernardus Clareuallenſis, idque æmulatione Romanæ Eccleſiæ, in qua paulò antè ex conſtitutione Nicolai II. electio Romani Pontificis conceſſerat ad ſolos Cardinales. Quid in Oriente? etiam ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis ius eligendi Patriarchæ; & inferiorum Epiſcoporum, & tradendi baculi vſurpatum, vt liquet ex Cedreno & Zonara. Ius legendi ſcilicet, & inueſtiendi Epiſcopos & Abbates merè regium ac Regibus ſingulare, nec cadit in Duces, vel Comites cuiuſcumque dignitatis ſint. Inde eſt quòd mortuo Ferreolo Vzecenſi Epiſcopo, Albinũ per Dynamium Rectorem Prouinciæ ſinè Regis conſilio ordinatum, non aliter quàm præcipiti fato pudori remotionis ſe eripuiſſe fertur. Et rurſus Marcellus eiuſdem Dynamij aſtu defuncto ſubintruſus, ſede vi dejectus, quaſi non iure electus, obtinente Iouino qui Regium de Epiſcopatu præceptũ meruerat, vt narrat Gregorius Turonenſis. Huiuſmodi etiam ius velut Regalium apicem coronâ inauulſum tuetur Baldricus Nouiomenſis: *Fulcuinum ergo Domnus Epiſcopus Gerardus, vnàque Abbas Richardus Imperatori præſentarunt Abbatiâ donandum; nullum enim Abbatias præter Imperatorem, aut Epiſcopum largiri cuiquam fas eſt,*

A. M. CXI. lib. 7. Chr. c. 14. & 16. in Chron. Caſſ. lib. 3. cap. 71. lib. 4. c. 42. A. C. 1112. A. C. 1122. ep. 236. Can. Artaldus 8. qu. 3. Can. obeuntibus. 63. d. ep. 102. ep. 102. Can. in nomine Domini. 24. d. Anſelm. Luc. lib. 2. contr. Guibert. Antip. Leo Oſtiens. lib. 3. c. 49. in Niceph. phoc. Niceph. general. Romano Lacap. Iſaac Comnen. Codin. c. 20.

lib. 6. hiſt. cap. 7.

lib. 3. cap. 6.

quamuis aduocatiæ earum laïcis commendantur. Labente tamen ſecundâ ſtirpe Duces & Comites vices Regias in electione Epiſcoporum & Abbatum ſibi adſciuiſſe nimis notum eſt. Adonem clericum ſedi Aruernenſi intruſit Stephanus Comes Aruernenſis, dejecto Sigone Epiſcopo; quam ob rem Comitem admonet Nicolaus I. vt Sigonem ſuæ ſedi reſtituat: nec non eâdem ætate vacante Eccleſiâ Syluanectenſi electionem Epiſcopi tentaſſe Bozonem Comitem ſatîs ſignificat Hincmarus Rhemenſis, quadam apud Flodoardum Epiſtolâ, quâ obteſtatur, vt liberā electionem permitteret quòd eius iuris non eſſet quamlibet deſignare perſonam. Megenardum Monachum, Abbatem ſancti Petri de Cultura elegit Theobaldus Comes Bleſenſis, & Carnotenſis, nec audijt preces Monachorum liberam eligendi facultatem petentium: de quo Fulbertus ad Abbonem Floriacenſem: *Abbate ſancti Petri grauiter ægrotante, ſed adhuc mentis & ſermonis compote, Megenardus Monachus antè mihi non mediocriter charus, noctu ſeſe de clauſtro ſurripuit, & ad Theobaldum Comitem, qui Bleſis tunc morabatur, Abbatiæ petendæ gratiâ properauit. Comes illum poſtridiè remiſit ad nos cum legatis, qui denunciarent recipiendum magnificè ſicut Abbatem monachis & Canonicis.* Et paulò pòſt: *Decreuimus ergo quoſdam eorum eſſe mittendos ad Comitem, nobis videlicet deſignatum Epiſcopum; vt Patris obitum nunciarent; & alterius eligendi regularem precarentur licentiam: quibus miſſis, ecce alij duo, Viuianus ſcilicet, & Durandus alter illiteratus, alter litterarum malè ſanus interpres ambo Præpoſiti, ſimulantes causâ communis commodi ad obedientias ſuas ſe velle exire, ac ne aliorſum pergerent ſibi interdicente Decano Monaſterij, Megenardum tamen ſecuti ſunt,*

ep. 66.

lib. 3. Hiſt. Rhem. cap. 26.

ep. 21.

cui cæptam præſumptionem occultè perſuaſerant vt Bleſis in præſentia Domini Theobaldi ipſum Megenardum à Fratribus peti ac eligi per fidem mentiti ſunt : Horum ſuffragio lætus Comes ſtatim eum baculo paſtorali publicè donat,&c. Theodericus Dux Moſellanorum diem functo Alberone Metenſi Epiſcopo Fratre, filium ſuum adhuc impu-
A. C. 1009. berem Epiſcopum obtruſit, dato Coadjutore. Sigibertus. *Dux Moſellanorum Deodericus poſt fratrem ſuum Alberonem dato Epiſcopatu Metenſium filio ſuo adhuc puero, tutorem ei ſubſtituit ipſum Deodericum.* Eodem iure Duces Normanniæ Epiſcopos, & Abbates proprio nutu inſtituebant,& per Cambutam, id eſt virgam paſtoralem
lib. 3. hiſt. Eccleſ. inueſtiebant : Ordericus Vitalis in Guillelmo II. *Dux autem eorum petitioni acquieuit, & præfato viro, qui electus erat per Cambutam Iuonis Epiſcopi Sagienſis exteriorem*
lib. 5. hiſt. *Abbatiæ* (Vticenſis) *poteſtatem dedit.* Idémque *intereà Normannicus Dux Osbernum Cormelienſium Priorem à Raynerio Abbate ſanctæ Trinitatis de Monte Rothomagi,requiſiuit, eique nihil tale ſuſpicanti per Cambutam Maurilij Archiepiſcopi in Synodo Rhotomagenſi curam Vticenſis Abbatiæ commendauit.* Receptâ Normanniâ ab Anglis Philipus Auguſtus Eccleſijs liberas electiones reſtituit, quas Normanniæ Duces vſurpârant. Guillelmus Brito,

lib. 8. Philipid.

Præterea motu proprio nullo ſupplicante
Jndulſit Monachis & clero, vt fiat ab illis
Canonico deinceps paſtorum electio ritu:
Nam rex Anglorum ius vſurpauerat illud
Vſque modò vt ſolus paſtores ipſe crearet.

Hinc noſtrorum querelæ locus, quòd Rex Anglorum, tamquam Dux Normanniæ, Epiſcopatus Normannicos Anglis propinaret contra legem Eccleſiæ & regni. Iuo

Carnotenſis:

Carnotenſis : *Quæ enim ratio, quæ lex permittit vt Rannulfus Dunelmenſis Epiſcopus de Eccleſia alterius regni ad aliam Eccleſiam tranſeat, & velut quâdam mœchatione præſentiæ ſuæ, vel filiorum ſuorum occupatione Luxouienſem Eccleſiam per violentiam Anglici Regis inuadat?* Geminos Abbates elegiſſe in Monaſterio N. Rainerum Comitem Cameracenſem inuenio; tametſi diſſentiente Gerardo Epiſcopo. Baldricus Nouiomenſis : *Poſt obitum verò Domni Abbatis Vuenrici duos Abbates alterum poſt alterum Comes Rainerus ſubſtituit; hoc ſiquidem modo Abbatiam vindicare præſumens; quod quia nefas eſſet, Domnus Epiſcopus ſuâ auctoritate reiecit, cùm Abbatiam quamlibet nullus præter Imperatorem, aut Epiſcopum debeat commendare.* Hugonem Dienſem Electum conſecrauit Gregorius VII. quòd Comes Dienſis in eum turbas excitaſſet, poſtquàm electioni conſenſiſſet. Gregorius VII. ad Guillelmum Dienſem Comitem : *Te autem prædicte Comes ſingulariter alloquêtes valde miramur, quòd poſtquàm præfatum confratrem noſtrum inſtinctu diuinæ clementiæ cum conſenſu aliorum omnium in Epiſcopum elegeris, & fidelitatem ſibi ex more feceris, neſcio quibus de cauſis elatus eo præſente commotionem aduerſus eum agere præſumpſiſti, &c.* Pari iure Regalium potitos Comites Toloſanos præterire non poſſum; vtinam abfuiſſet ſimoniæ labes : Cadurcenſem Epiſcopatum reſpuit Bernardus Abbas Belli loci, cõſilio Abbonis Abbatis Floriacenſis, nummarijs oblatum cõditionibus à Vuillelmo Comite Toloſano, teſte Aymonio Floriacenſi. In geſtis Concilij Lemouicenſis II. extant querelæ Monachorum Bellouacenſis Monaſterij ſancti Petri, regulari Monaſterio datum eſſe ſecundum Abbatem, ídque perperam factum à principibus ſecu-

ep. 159.

lib. 3. c. 16.

lib. 1. ep. 69.

in vita Abbonis, cap. 10.

laribus, nempe Comite Toloſano, poſteà Comite Petragoricenſi, inde Vice-Comite Combronenſi, qui ſeculari Abbatiam dedit; videlicet nepoti Epiſcopi Cadurcenſis, qui mox vocatus in Synodum vltrò Abbatiam eiurauit. Hac de cauſa Comites Toloſanos perſtringit Concilium Toloſanum apud Baronium:

Tom. 10. Annalium. A. C. 1056. *Item placuit vt nullus clericus, nec Monachus, vel alius aliquis pro eis Epiſcopatum vel Abbatiam, vel Presbyteratum emere præſumat; ſed neque Comes, vel alia vlla poteſtas eadem vendere, vel pretium pro his accipere audeat*: Denique hæc ſeculi lues vniuerſam fœdauit Galliam, vt Duces, & Comites, aliíque proceres laïci, Epiſcoporum & Abbatum electionem in cenſu ſuo ponerent. Ordericus

lib. 4. hiſt. Vitalis: *Sicut tyronibus ſuæ à principibus erogabantur ſtipendia militiæ; ſic quibuſdam coronatis pro famulatu ſuo dabantur à laïcis Epiſcopatus & Abbatiæ, Eccleſiarum præpoſituræ, Archidiaconatus & Decaniæ, aliæque poteſtates, & dignitates Eccleſiaſticæ, quas meritum ſanctitatis & ſapientiæ doctrinæ ſolummodò debent obtinere.* Ob id ſancitus

Can. 16. canon in Concilio Claromontenſi. *Interdictum eſt ne reges, nec alij principes aliquam inueſtituram de Eccleſiaſticis honoribus faciant.* Comitem Flandrenſem, quòd inueſtituris Abbatum abſtineret, commendat Anſelmus in

lib. 3. ep. 59. Epiſtola ad Clementiam Comitiſſam: *Relatum mihi eſt, quoſdam Abbates in Flandria ſic conſtitutos, vt Comes vir veſter nullam eis manu ſua daret inueſtituram*: In Burgundia Rodulpho Rege precariò ferè regnante, Epiſcopatus & Abbatiæ tribuebantur ad libidinem Comitum.

lib. 7. hiſt. Ditmarus: *Nullus enim, vt audio, qui ſic præſit in regno nomen tantùm & coronã habet, & Epiſcopatus, his dat, qui à principibus his eliguntur, adſuam verò vtilitatem pauca tenens*

ex impenſis Antiſtitum viuit, & hos, vel alios in aliquo extrinſecus laborantes, eripere nequit, vnde hi manibus complicatis cunctis primatibus velut regi ſuo ſeruiunt, & ſic pace fruuntur: ob hoc ſolùm talis rector inter eos dominatur, vt eò liberiùs malignorum furor inuicem vagetur, & ne lex noua alterius regis ibi adueniat, quæ ſolitam conſuetudinem rumpat Vuillhelmus Comes, de quo prædixi, miles eſt Regis in nomine, & Dominus terræ re; & in his partibus nullus vocatur Comes, niſi is qui Ducis honorem poſſidet, & ne illius poteſtas in hac regione paulò miniùs minueretur conſilio & actu imperatoriæ Majeſtati ſicut prædixi reluctatur. In Germania idem Regalium ius nonnullis Imperij Ducibus conceſſum beneficio Imperatorum, vt Arnulpho Duci Bauarorum, diplomate Henrici I. Luitprandus Ticinenſis: *Hoc igitur quadrifario dicendi genere copioſo, ſcilicet breui, ſicco, & florido Rex Henricus, vt erat animo prudens, Arnoldi animum mulcens ad ſuos rediit. Arnoldus verò cùm ſuis omnia retuliſſet huiuſmodi ab eis audiuit ἀπόκρισιν id eſt reſponſionem: Æquum autem, iuſtúmque nobis videtur, vt à ceteris non diſſentiens hunc Regem eligeres, ipſe verò te vt tam fortunatum & prædiuitem virum hoc pacto bearet, animique tui feritatem mulceret, vt quod prædeceſſores non habuere tui, tibi concedatur; ſcilicet quatenus totius Baioariæ Pontifices tuæ ſubiaceant ditioni, tuæque ſit poteſtatis vno defuncto alterum ordinare. Conniuens igitur Arnoldus huic optimo ſuorum conſilio Henrici regis miles efficitur, & ab eo vt iam dictum eſt conceſſis totius Baioariæ Pontificibus honoratur.* Henrico Leoni, Duci Saxonum idem indultum, priuilegio Friderici Aenobarbi. Helmoldus: *Et factâ poſtulatione obtinuit apud Cæſarem autoritatem Epiſcopatus ſuſcitare, dare, & confirmare in omni terra Slauorum, quam ipſe, vel progenito-*

lib. 2. hiſt. cap. 7. idem Abbas Vrſp. in Henrico I.

lib. 1. hiſt. Slau. cap. 8.

res ſui ſubiugauerint in clypeo ſuo & iure belli: quamobrem vocauit Dominum Geroldum Aldenburgenſem, Dominum Euermodum Raciſburgenſem, Dominũ Bernonem Magnopolitanum, vt reciperent ab eo dignitates ſuas, & applicarentur ei per hominij exhibitionem ſicut mos eſt fieri Imperatori, &c.

CAP. VIII.

Cuſtodia, ſeu Guardia vacantium Eccleſiarum.

REGIO in eligendis Epiſcopis & Abbatibus juri cohæret cuſtodia, ſiue Guardia vacantium Eccleſiarum, & occupatio redituum interim prouenientium: ius melioribus ſeculis incognitum, ac ex cleri malis moribus, opúmque ſacrarum euerſione natum. Antiqui enim moris fuit vacante ſede Epiſcopali, vnum ex prouincialibus Epiſcopis à Metropolitano legari, qui Eccleſiam vacantem regeret, & electionem promoueret; Interceſſorem vocat Conc. Carthaginenſe V. μεσίτην Zonaras, & Balſamo. Hoc iure vacantem Eccleſiam cuidam ex Coëpiſcopis commendabat Ambroſius Metropolitanus Mediolanenſis: *Commendo tibi fili Eccleſiam, quæ eſt ad Forum Cornelij, quò eam de proximo interuiſas frequentiùs, donec ei ordinetur Epiſcopus.* Poſteà etiam vſu euenit, maximè in Italia, vt ſi quando paſtore orbata vacaret Eccleſia, ad eam regendam, interim donec Epiſcopus eligeretur, ſummus Pontifex Viſitatorem ſubmitteret, vt docent plures Epiſtolæ Pelagij, Gregorij M. & aliorum Pontificum. Inferiorum Eccleſiarum vacantium cuſtodia olim pertinebat ad ARCHIDIACONUM intrà DIOECESIM ſuam. Nouum & inauditum Theodorici facinus,

Can. 8. Can. conſtitutum 7. q. 7. Can. 80 Syn. Carthag. c. 77. eiuſd. Syn. ep. 44.

Can. Presbyteri 24. d. Can. obitũ, & ſeq. 61. d. Can. charitatem. 12. qu. 2. Greg.

cùm diſſidio orto in Eccleſia Romana Viſitatorem delegauit. Sigebertus : *Aliqui Romanorum ſubornatis falſis teſtibus incriminantes Symmachum Papam, latenter Laurentium in papatum ſubintroduxerunt, pro quo ſchiſmate dirimendo Rex Theodericus Epiſcopũ Petrum contra Canones Viſitatorem Sedis Apoſtolicæ inſtituit.* In Gallia huiuſmodi Viſitatorum conſtituendorum Metropolitanis quidem ius fuit, ſed vix ſinè conſenſu Regis, vt liquet ex Epiſtolis Hincmari, apud Flodoardum, & Sirmundum : imò tandem ex conſuetudine ius factum, vt vacantium Eccleſiarum & cœnobiorum cuſtodia omnino in poteſtate Regum eſſet, omnéſque reditus in fiſcum redigerentur, quoad Epiſcopus vel Abbas eligeretur. Morte Tilpini, ſiue Turpini vacante Eccleſiâ Rhemenſi, Carolus Magnus rei bellicæ laude, pietatis Maximus, ab ipſa manus non abſtinuit : Geſta Hincmari de Villa Nouiliaco, apud Flodoardum : *Defuncto Tilpino Archiepiſcopo anno XXIII. poſtquàm Carlomannus Rhemenſi Eccleſiæ Villam Nouilliacum tradidit, tenuit D. Rex Carolus Rhemenſe Epiſcopium in ſuo dominatu, & dedit Villam Nouilliacum in beneficio, Anſchero Saxoni, &c.* Hoc duce ſemel conſtituta interpontificij ſeruitus facilè deinceps tenuit Eccleſiam ; cuius impatiens Formoſus Pontifex, litteras dedit ad Fulconem Archiepiſcopum, ſanciens vt enarrat Flodoardus, *autoritate B. Petri vt nemo Regum, nullus Antiſtitum, nemo quilibet Chriſtianus, decedente Rhemorum Epiſcopo ipſum Epiſcopatum, vel res ipſius Eccleſiæ ſuis compendijs applicet, neque ſub ſuo dominio teneat, præter ipſius ciuitatis Epiſcopum, & eandem Metropolim non vltra conſtitutionem Canonicam, ſinè regulis Eccleſiaſticis conueniente paſtore manere cogat, neque aliter ibidem Epiſcopum, niſi vt*

lib. 11. ep. 12. lib. 3. ep. 11. lib. 2. ep. 29. lib. 11. ep. 16. cap. cùm nobis. ex. de elect. c. fin. de ſuppl. negl. præl. in 6.

Can. ſi in plebib. 63. d. cap. bonæ memoriæ 51 de appellat. cap. cùm veniſſent. de inſtit.

A. C. 496.

Hincmar. epiſt. 1. 2. 3. 4. 5. tom. 2. Conc. Gall. Flod. lib. 3. hiſt. Rhem. c. 23.

in calce hiſt. Rhemenſis.

lib. 4. hiſt. Rhem. c. 2.

ſacri Canones iubent, conſtitui faciat. Sed manum vt tollerent vacantibus Eccleſijs, vix ſuaderi potuerunt Reges. Altiſſiodorẽſi ſanè Eccleſiæ regalia remiſit Ludouicus Iunior; vt refert Auctor Chronici Altiſſiodorenſis:
ad A. C. 1156. *Ludouicus Rex Senonenſem Eccleſiam libertate donauit à malis & peſſimis exactionibus, quibus Senonica ſedes moriente Archiepiſcopo ſolet fatigari & opprimi.* Pari beneficio demeruit idem rex Eccleſiam Burdegalenſem, & alias
de doman. lib. 2. tit. 9. n. 5. Aquitanicas, ex veteribus tabulis apud Chopinum. Pietate ductus quoque Philippus Auguſtus Eccleſiam Altiſſiodorenſem iure Regalium abſoluit: ſuprà laudatus
ad A. C. 1207. Auctor Chronici Altiſſiodorenſis: *Altiſſiodorenſi*, inquit *Eccleſiæ vnanimi electione præficitur Guillelmus Decanus.* Et paulò pòſt: *Regalia tunc peruaſerat Regia clientela exactionibus immodicis vniuerſa diripiens, ea quoque confiſcans quæ Hugo Epiſcopus teſtamento legauerat Eccleſijs largienda: electus itaque pro recipiendis Regalibus deſtinat ad Regem, nec impetrat: poſt conſecrationem verò ſuam illicò Regem adit, & multo licèt labore, expenſiſque obtinet apud eum, vt non modò prædeceſſoris ſui teſtamentum, quod iuſſerat confiſcari, iubeat reſtitui; verùm etiam quicquid juris habebat in regalibus in remedium animæ ſuæ donaret Antiſſiodorenſi Eccleſiæ, ità vt moriente Epiſcopo, Decanus & Capitulum Regalia manu teneret, & quæ de reditibus interim prouenirent ſucceſſori Epiſcopo reſeruarentur.* Sed paucis hoc datum Eccleſijs; in ceteris quoties vacarent, fiſcus ſemper iure ſuo vſus eſt; legis vice eſt teſtamentum Philippi Auguſti,
A. C. 1190. apud Rigordum: *Si fortè contigerit ſedem Epiſcopalem vel aliquam Abbatiam Regalem vacare, &c.* & paulò pòſt, *Regina autem & Archiepiſcopus* (ſcilicet mater Regis & Vuillelmus Archiepiſcopus Senonenſis Vicarij regni conſti-

tuti peregrê agente rege in expeditione ſacra.) *tam diu Regalia in manu ſua teneant, donec electus conſecratus ſit, vel benedictus, & tunc Regalia ſinè contradictione ei reddantur.* Eodem iure regalium in Eccleſias vacantes inſurrexêre Angliæ Reges, auctore Guillelmo Rufo, vt notum A.C. 1089.
eſt ex Matthæo Paris, Matthæo Vueſtmonaſterienſi, A.C. 1000. lib. 8. hiſt.
Orderico Vitali, Polydoro Vergilio, & Guillelmo Eccleſ. lib. 10. hiſt.
Britone, cuius verſus hi ſunt. Anglic. lib. 8. Philippid.

Nam rex Anglorum ius vſurpauerat illud
Vſque modò, vt ſolus paſtores ipſe crearet;
Nam quotiens paſtore carens prælatica ſedes
Ciuili letho, naturali ve vacaſſet
Protinus Eccleſiæ bona cuncta vacantis, ab ipſo
Vſurpata ſuos conuertebantur in vſus;
Sicque Dei ſponſam viduans quantùm ipſe volebat
Cogebat placito ſibi demum nubere ſponſo.

Ex pacto quidem Ioannes Anglorum Rex iure patronatus & cuſtodiâ vacantium Eccleſiarum ceſſit in Eccleſiam Romanam, vt Innocentium III. Pontificem ſibi A.C. 1213.
conciliaret teſte Matthæo Paris, & Matthæo Vueſtmonaſterienſi; ſed Ioannis fide minimè ſe obſtrictos rati poſteri Reges, animosè ius ſuum repetierunt. In Oriente, Imperatores Conſtantinopolitani occaſione arreptâ ex frequenti tumultu ob electionem Epiſcoporum, ſimul electionem Epiſcoporum ad ſe reuocarunt, ac interim vacantium Eccleſiarum fructus rapuerunt, ſubmiſſo ex ſuis Oeconomo. Facti prima- [tom. 3. annal. idem
rius autor memoratur Nicephorus Phocas. Zonaras: Cedren. p. 541.
ὁ βασιλεὺς, inquit, ἀφορμῆς ἐκ τούτου δραξάμενος εἰς οἰκείαν ἐξουσίαν τὸ πᾶν τῆς τῶν ἐπισκόπων μετήνεγκε προχειρίσεως μηδένα κελεύσας γνώμης ἄτερ αὐτοῦ εἰς

ἐκκλησίαν οἵαν δή τινα στέλλεσθαι ἀλλὰ κἂν ἐτεθνήκει ἐπίσκοπος, βασιλικὸν ὑπηρέτην εἰς τὴν χηρεύουσαν ἐκκλησίαν, ἐξέπεμπε, καὶ γλίσχρος παρ᾽ ἐκείνου τῶν ἀναγκαίων γινομένων ἀναλωμάτων, αὐτὸς ᾠκειοῦτο τὰ περιττεύοντα. *Jmperator ex hoc ſumptâ occaſione, & omni autoritate deſignandi Epiſcopos ſibi vendicatâ, edixit ne quiſquam iniuſſu ſuo in vllam Eccleſiam mitteretur. Mortuo igitur Epiſcopo, regium miniſtrum in Eccleſiam vacantem mittebat, quo ſumptus neceſſarios parcè faciente, ipſe reliqua ſibi vendicabat.* Exin non aliena eſt conjectura ius creandi Magnum Oeconomum Patriarchalis Eccleſiæ, quo faciliùs vacantis reditus aſſequerentur in ſe tranſtuliſſe eoſdem Imperatores, quod Patriarchæ demum reſtituit Iſaacius Comnenus; auctore eodem Zonarâ: Χαριζόμενος δ᾽ ἔτι τῷ Πατριάρχῃ, καὶ τὴν τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων οἰκονομίαν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀπένειμε, μέχρι τότε τοῦ μεγάλου οἰκονόμου προχειριζομένου· παρὰ τοῦ βασιλεύοντος, ἀλλὰ μὴν καὶ τοῦ σκευοφύλακος ἐκεῖνος δὲ καὶ ἄμφω ὑπὸ τὴν τοῦ Πατριάρχου ἔθετο ἐξουσίαν ἀποξενώσας ἀμφοῖν τὸ δημόσιον. *Præterea in Patriarchæ gratiam etiam Eccleſiaſticarum rerum procurationem Eccleſiæ attribuit; nam cùm ad id vſque tempus & magnus Oeconomus, & vaſorum cuſtos ab Imperatore deſignari ſoleret, vtrumque id munus Patriarchæ poteſtati ſubjecit, amotâ publicâ autoritate.* Vacantibus tamen Eccleſijs manus non abſtinuit fiſcus, vſque ad Nouellam Emanüelis Comneni, quæ exſtat apud Balſamonem de non rapiendis à ducibus, vel fiſci procuratoribus, bonis vacantium Eccleſiarum, ſed futuro ſucceſſori per Metropolitanum ſeruandis. μηκέτι παρὰ

τῶν

in Iſaac. Comneno.

in Can. 35. Syn. 6. in Trull.

τῶν κατὰ χώραν τὰς δουκικὰς ἀρχὰς διεπόντων, ἢ ἀναγραφὰς ἢ ἕτερ᾽ ἄττα δικαίῳ τοῦ δημοσίου ἐνεργούντων τοιοῦτόν τι κατὰ τῶν ἁγιωτάτων ἐκκλησιῶν, ἢ τῶν ὑπ᾽ αὐτὰς ἀκινήτων, ἢ τῶν κελλίων τῶν ἀρχιερέων ἐν ταῖς αὐτῶν τελευταῖς τοῦ λοιποῦ νεωτερισθῆναι : *Ne ab ijs qui ducales Magiſtratus gerunt, vel deſcriptiones, vel aliqua alia publici jure exercent, tale quid in ſanctiſſimas Eccleſias, vel earum immobilia, vel Antiſtitum cellas in eorum morte deinceps ampliùs innouetur.* Vacantium Eccleſiarum cuſtodiam,& temporalium occupationem non ſolùm Reges noſtri, ſed etiam Duces & Comites, quorum in prouincijs Epiſcopatus, vel Abbatiæ poſitæ erant, ſui juris duxerunt. Duces Aquitaniæ huiuſmodi juris poſſeſſores tuitus videtur Gregorius VII. cùm ſuſpenſo Iſemberto Pictauenſi Epiſcopo, ſi non pareret, Gozelino Burdegalenſi Epiſcopo, ſacrorum, & Guillelmo Duci Aquitaniæ temporalium curationem committit : *Tibi autem*, inquit, *Gozeline Burdegalenſis Archiepiſcope, Eccleſiaſticas res committimus tractandas, populum, & clerum ne ſibi obediat commoneas; tibi verò Guillelme Comes iuſtitiam committo tractandam, atque in veſtris manibus cauſam ſancti Hilarij regendam, & juſtitiam inde exhibendam committimus.* Inde cuſtodiam Burdegalenſis Eccleſiæ vindicabat Rex Anglorum, tamquam Dux Aquitaniæ; at ſemel remiſſam à Ludouico Iuniori reſtitui non poſſe iudicatum ſolenni placito anni M. CC. VII. ex Chopino. Aequè Carnotenſis Eccleſiæ cuſtodiam, & manus injectionem in temporalia, defuncto,vel depoſito Epiſcopo ſibi adſcribebat Comes Carnotenſis,donec eam eiurauit vrgente Iuone prçſule, lib.2.ep.24.

ep. 94. vt teſtatur eius epiſtola ad Paſchalem II. *Quoniam diuino adiutorio Carnotenſis Comes prauas conſuetudines, quas habuerant anteceſſores ſui, & in domibus & rebus Carnotenſis Epiſcopi defuncti, vel depoſiti multo meo labore & ſumptu Eccleſiæ dimiſit, & paruitas mea priuilegium ſuper hoc à Sanctitate veſtra promeruit, ad perficiendam eiuſdem libertatis confirmationem, peto ab Excellentia veſtra mitti litteras clero Carnotenſi continentes hanc ſententiam; vt ſi fortè aliqui Carnotenſium Comitum, vel miniſtrorum eorumdem aliquando cupidâ temeritate & temerariâ cupiditate libertatem à Comite conceſſam infregerint, tamquam Eccleſiaſtici iuris ſacrilegi peruaſores ab ipſo clero Apoſtolicâ auctoritate excommunicentur, & Eccleſiæ tam ciuiles, quàm ſuburbanæ vſque ad ſatisfactionem claudantur.* Idem ius ſibi aſſeruerunt Duces Britanniæ; adeò vt quibus in obſequium D. Ludouici pactis conſenſit Petrus, cognomine Mauclerc, vacantium Eccleſiarum cuſtodiam, ſibi conſtanter exceperit ex Argentræo. Eodem iure vſi ſunt in pluribus cœnobijs Comites Niuernenſes, vt probat Guido Coquille ex fide geſtorum: nec non vacante Archiepiſcopatu Ebredunenſi, Delphinum Viennenſem iure Regaliæ potitum, locuples auctor eſt Marcus. Denique paſſim in Gallia Duces & Comites obtētu cuſtodiæ, ſiue guardiæ vacantium Eccleſiarum prouentus, ſuo quaſi fiſco intulerunt. Hinc diræ anathematis ſancitæ in laïcos vacantium Eccleſiarum direptores. Vrbanus II. in Concilio Claromontenſi: *De laïcis*, inquit, *quæſtio facta eſt, qui morientibus Epiſcopis, ſiue alijs clericis, res defunctorum inuaſas, Eccleſiæ, pauperibúſque ſubripiunt, contra quos commune totius Concilij anathema prolatum eſt.* Et Lucius III. *Præſenti decreto*, inquit, *ſtatuimus eos, ſiue aduocati, ſiue*

[Margin notes: lib. 5. hiſt. c. 77. — in hiſt. Niuern. p. 45. & ſeq. — 1. part. qu. 90. 98. p. 2. qu. 365. 452. 460. — Can. de laïcis. 12. q. 2. — in c. præterea. de iure Patron.]

patroni, vel Vicedomini, ſiue cuſtodes, vel guardias habentes, ſeu quocumque alio nomine cenſeantur, à grauaminibus Eccleſiarum ceſſare, nihilque in ipſis præter antiquos & moderatos reditus à locorum Epiſcopis inſtitutos exigere, aut ſi aliud exegerint excommunicationi ſubdantur. Et Innocentius III. in Concilio generali Lateranenſi : *In quibuſdam prouincijs Eccleſiarum patroni, & Aduocati, ſeu Vice-domini ſe in tantam inſolentiam erexerunt, quòd non ſolùm, cùm vacantibus debet Eccleſijs de paſtoribus idoneis prouideri, difficultates ingerunt & malitias; verùm etiam de poſſeſſionibus, aliiſque bonis Eccleſiaſticis pro ſua voluntate ordinare præſumunt, & quod horrendum eſt dicere, in necem prælatorum prorumpere non formidant. Cùm igitur, &c.* Addatur Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi : *Generali conſtitutione ſancimus vniuerſos & ſingulos qui Regalia, cuſtodiam, ſiue Guardiam, aduocationis, ſeu defenſionis titulum in Eccleſijs, Monaſterijs, ſeu quibuſlibet alijs pijs locis de nouo vſurpare conantes, bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut locorum ipſorum vacantium occupare præſumunt, quantæcumque dignitatis honore præfulgeant, eo ipſo excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere.* In Anglia conſuetudinis contagio, ad patronos vel aduocatos pertinuit cuſtodia vacantium Eccleſiarum, vt nos docet Matthæus Paris ex tabulis Ioannis Regis: *Omnes patroni Abbatiarum, qui habent chartas Regum Angliæ de Aduocatione, vel per aliquam antiquam tenuram vel poſſeſſionem, habeant earum cuſtodiam cum vacauerint, ſicut habere debent.*

cap. in quibuſdam. de pœnis.

cap. generali. de elect. in 6.

A. C. 1215.

Cap. IX.

Collatio præbendarum vacante ſede. collatio primò vacaturæ præbendæ pro iucundo aduentu. collatio plena præbendarum iure patronatus.

Regiae vacantium Eccleſiarum cuſtodiæ, cum fructibus, accedit collatio præbendarum, quæ interim vacauerint, vt indigitat teſtamentum Philippi Auguſti apud Rigordum: *Præterea præcipimus quòd ſi præbenda, vel beneficium aliquod Eccleſiaſticum vacauerit, quando Regalia in manu noſtra venient, ſecundùm quod meliùs & honeſtiùs poterunt Regina & Archiepiſcopus viris honeſtis & litteratis conſilio Fratris Bernardi conferant: ſaluis tamen donationibus noſtris, quas per litteras noſtras patentes quibuſdam facimus.* Hoc ius non abnuit D. Ludouicus conſuetudine nixus. Vuilde geſtis S. Ludouic. lelmus Nangis: *Sanè,* inquit, *in beneficijs Eccleſiaſticis conferēdis, quæ ad patronatum ſiue donationem ipſius pertinebant, Deum ſemper præ oculis habebat, & electis & probatis perſonis ea, quantùm poterat conferebat: præcipuè autem in Eccleſijs Cathedralibus, vbi ſede vacante ratione cuſtodiæ Regalium, ex conſuetudine pertinebat ad eum collatio præbendarum, quas perſo[illegible] inquiri & eligi faciebat per Cancellarium Pariſienſem, & alios viros bonos.* Idémque ius conſuetudine tom. 2. Libert. Gall. tit. 16. n. 5. partum agnouit Innocent. III. Reſcripto ad Philippum Auguſtum, in quo ius collationis præbendarum, vacante Laudunenſi Eccleſiâ, dicitur pertinere ad Regem, ſecundùm antiquam & approbatam conſuetudinem. Libertatem collationis regiæ præbendarum ſede va-

cante vſucepit Trecenſis Eccleſia, addito Philippi Aug. diplomate, apud Camuzatium : *Præterea de donatione præbendarum, quæ vacarunt in Eccleſia beati Petri Trecenſis vacante ſede illa, quia non inueniebamus aliquem qui vidiſſet, quòd nos eas dediſſemus, aut quòd genitor noſter piæ recordationis Rex Ludouicus ipſas tempore vacantis ſedis vacantes dediſſet, & quia etiam ex aſſertione plurium audiuimus, quòd præbendæ, Archidiaconatus, & alia beneficia tempore illo vacantia futuro reſeruarentur Epiſcopo Trecenſi, ad conferendum quibus vellet, concedimus dilecto noſtro Herueo Trecenſi Epiſcopo, vt ea conferat, & donationem illorum habeat, tam ipſe, quàm ſucceſſores eius Epiſcopi Trecenſes.* Idem jus Regaliæ in collatione præbendarum in Anglia obtinuiſſe notum eſt, ex Decretali Alexandri III. in qua morte Epiſcopi viduatâ Vuellenſi Eccleſiâ, vacantem in eadem præbendam Henricus II. Anglorum Rex Thomæ Clerico Palatino conceſſiſſe legitur : quo iure etiam diem functo Londinenſi Epiſcopo, Eccleſiâ in regiam manum redactâ, præbendam in eadem vacantem Ioanni Theſaurario contuliſſe dicitur Henricus III. ignarus collationis, quæ priùs eiuſdem præbendæ facta fuerat à Romano Pontifice, vt eſt apud Matthæum Vueſtmonaſterienſem. In cenſu Regalium quoque ponitur, Regibus noſtris conſuetum ius conferendi primò vacaturam præbendam in ſingulis Eccleſijs Cathedralibus & Collegiatis pro iucundo aduentu. Ius in Gallia ortum ex conſuetudine, vel, ſi mâlis Anglis credere, ex Pontificum priuilegio, à Ludouico Iuniori tamen abſtento, quaſi contrario ſacris canonibus. Thomas Vualſingan : *Lodovuicus Rex Francorum*, inquit, *de Hieruſalem eſt regreſſus, cui cùm quidam clericus papale priuilegium attuliſſet,*

in Catalog. Trec. Epiſcopor.

cap. 6. de iur. patron. in 1. Collect.

A.C. 1260

in Hypodeigm. Neuſtr. 1148.

quòd in omni Cathedrali Eccleſia regni ſui primam vacaturam haberet, cum fructibus medio tempore prouenientibus: ille confeſtim combuſſit litteras; dicens ſe malle tales comburere litteras, quàm animam ſuam in inferno torqueri. Idem apud Germanos ius inualuit ex veteri conſuetudine: ac primùm introductum per modum precum, quibus blandi ſcilicet ius lateret imperij; vnde & vſum pri-
A. C. 1288. marum precum nuncuparunt. Auctor Paraleipomenon Abbatis Vrſpergenſis: *Tempore Rudolphi*, inquit, *fuiſſe vſum primarum precum colligitur ex tali forma: Rudolphus Dei gratia Rex & ſemper Auguſtus, honorabili in Chriſto deuoto Abbati, &c. gratiam ſuam & omne bonum. Cùm ex antiqua & approbata, ac à Diuis Imperatoribus & Regibus ad nos producta conſuetudine, qualibet Eccleſia in noſtro Romano imperio conſtituta, ad quam beneficiorum pertinet collatio, ſuper vnius collatione beneficij precum noſtrarum primarias admittere teneatur; deuotionem tuam rogamus quatenus, huic clerico de Eccleſiaſtico beneficio, quod ad tuam collationem attinet, ob reuerentiam ſacri imperij ſtudeas liberaliter prouidere, &c.* Alio quàm Regalium nomine, nempe fundationis, & patronatus, ad Reges noſtros pertinet plenum ius conferendi dignitates, præbendas, & alia beneficia; hoc iure olim Regum fuit donatio, ſiue collatio præben-
cap. dilectus. ex. de præbend. darum Andegauenſis Eccleſiæ, quâ deinde hi ceſſere in Decanum, & hoc ius moribus deflexit etiam ad Duces & Comites: ſic ad Comitiſſam Flandrenſem,
cap. dilecto. de teſtib. c. vlt. de conceſſ. præb. cap. 1. de ſent. & re iud. in 3. coll. lib. 1. c. 19. ſpectabat plena collatio præbendarum Eccleſiæ Arienſis, præpoſituræ Siclinienſis, & aliorum beneficiorum in quibus ius patronatus obtinebat: Eccleſias itidem ſui patronatus pleno jure conferebat Gerardus Comes Aureliacenſis. Odo Cluniacenſis in eius vita: *Quen-*

dam Presbyterum, inquit, *ita vicini ſui creſcente litigio contriuerant, vt eius oculos eruerent, quem ſcilicet ſenior verbis multùm conſolatus eſt, ſuadens illi patientiam; ſed ne verborum conſolatio exilis videretur, quandam ſui iuris Eccleſiam facto ſolenniter teſtamento eidem contradidit.* Odoni alumno ſuo poſteà Cluniacenſi Abbati, cellam, id eſt, prioratum hoc modo contuliſſe memoratur Fulco Comes Andegauenſis. Ioannes Italus: *Inter hos verò*, inquit, *affuit Comes Fulco, qui eum enutrierat, cui mox cellam iuxta beati Martini tribuit Eccleſiam, & cottidianum victum ex eadem Canonica adquiſiuit, eique conceſſit.* Nec non Theſaurariam Eccleſiæ S. Hilarij Pictauienſis pleno iure ſinè Epiſcopo Fulberto contuliſſe Guillelmum Ducem Aquitaniæ, teſtantur plures Epiſtolæ ipſius Fulberti.

lib. 1. vit. S. Odonis.

ep. 16. 18. 103. 104. 127.

Cap. IX.

Jus Patronorum illuſtrium in electionibus.

PATRONVS laïcus paſſim non habet ius eligendi Prælati in Conuentuali, vel Collegiata Eccleſia: non electioni Prælati faciendæ, ſed iam factæ patroni requiritur aſſenſus, niſi (quæ eſt limitatio Clementis III.) aliter de juriſdictione ſua obtineat, id eſt ex lege fundationis, vel priuilegio Pontificio, vel prærogatiua dignitatis: finge regem, vel Ducem, aut Comitem majorem. Sic in Monaſterio Auguſtodunenſi, quod à Brunichilde regina, & Syagrio Epiſcopo exædificatum eſt, ius eligendi Abbatis Regi datum ſimul cum Monachis. Gregorius M. ad Senatorem Abbatem: *Item conſtituimus, vt obeunte Abbate, Presbyteróque ſupraſcripti*

cap. Sacroſancta. cap. Maſſana. ex. de elect.

cap. nobis. ex. de iur. patron.

lib. 11. ep. 10. Can. hinc eſt etiam. 16. qu. 1.

Xenodochij, atque Monaſterij, non alius ibi quacumque obreptionis aſtutiâ ordinetur, niſi quem rex eiuſdem prouinciæ cum conſenſu Monachorũ ſecundùm amorem Dei elegerit ac prouiderit ordinandum. Obtentu fundationis à Ducibus & Comitibus idem ius vſurpatum in Gallia: ſic electionem Præpoſiti Sicliníenſis ſibi vindicabat Comes Flandrenſis: eodem jure Comes Vuarennæ in Anglia ſibi aſſerebat ius eligendi Prioris S. Pancratij de Leuues, & optandi vnum ex potioribus totius Cluniacenſis Ordinis, demptis majoribus, Cluniacenſi, & de Caritate Prioribus, vt enarrat Pontifex Gregorius IX. In Germania pariter Magdeburgenſis Marchio ex priuilegio habuit ius eligendi Præpoſiti Collegratæ Eccleſiæ à ſe exſtructæ in ſolo recèns parto à paganis, vt videre eſt apud Innocentium III. Quid, milites vaſſallos Eccleſiarum Cathedralium, vel aliarum feudi nomine ius ſuffragij habuiſſe in electione Prælatorum notum eſt. Flodoardus: *Heribertus Comes*, inquit, *Remis venit & vaſſallos ipſius Eccleſiæ, ſed & clericos de electione Rectoris ad ſuum conſilium intendere fecit.* Adſtipulatur confeſſio Anſcarij Subdiaconi, qui vocatus in Synodum Tullenſem, ob raptam ſedem Lingonenſem, ſuperſtite Iſaac, Epiſcopo, penitens, faſſus ſe nimiùm peccaſſe in Deum & Pontificem, vſurpando ſedem Eccleſiæ ſanctæ ſibi commiſſæ Lingonicæ, & ſolicitando clericos & Vaſſallos eius, omnémque familiam, vt ferunt geſta Synodi.

d. cap. 1. de re iud. in 3. coll.

in cap. Sacroſancta. ex. de elect. Matth. Vueſtmon. 1078. Vu. Malmesb. lib. 2. de geſt. Pontif. Anglor. in fin.

reg. 13. ep. 21.

in Chronic. A.C. 825.

Can. 5. inter Capitul. Caroli Calui. tit. 25.

CAP. X.

Cap. XI.

Jus veteranum militem cœnobio in alimentarium offerendi. Oblati. Præbenda laïca.

MORIBUS noſtris Regij iuris eſt veteranum militem cœnobijs in alimentarium offerre; nec injuriâ; quum enim res ſacræ, æquè ac profanæ militum præſidio ab hoſtibus tutæ ſint, haud iuſtum fuerit veteranis vulneribus confectis pro republica; extremum vitæ ſubſidium negari in Monaſterijs principum liberalitate ditatis, & ipſa, quorum cenſus patrimonium eſt pauperum, abundare in Monachis, egere in pauperibus. Idem ius ex Gallia in Angliam, vt pleraque alia, traductum agnoſco, & productum etiam ad veteranos palatinos. Matthæus Vueſtmonaſterienſis, quem vocant Florilegum: *Sub eodem quoque tempore Rex Eduuardus III. vergens iam in ſenium conquerentibus ad eum quibuſdam famulis domus ſuæ, nondum promotis ad libitum, factâ inquiſitione quæ cœnobia Monaſtica, ſeu Canonica per progenitores ſuos fuerant fundata, in ipſis ſingulis non ſimpla corredia Monaſterialia, ſed ſicut in regia equitabant cum vno equo vel bino, ita & illis dum viuerent ab illo die erogauit, ſed voluit corredia cum neceſſarijs erogari.* Duces verò, & Comites in ſuæ fundationis vel aduocatiæ Monaſterijs eodem iure vſos, vt alimentarios, ſeu præbendarios laïcos imponerent, argumento eſt quòd regno redditis Ducatibus & Comitatibus prouincialibus Reges in Ducalis, vel Comitalis inſtituti Monaſterijs iuxtà, atque in regijs hoc ius exercuerunt, quaſi ſucceſſorium; ſed minora Monaſteria intacta reli- A. C. 1305.

querunt. Pari pietatis laude in Gallia & Germania inſtitutæ occurrunt præbendæ laïcæ in pluribus Monaſterijs vtriuſque ſexus, in alimoniam egentium: & maximè nobilium. Engelhardus Abbas in vita ſanctæ
tom. 5. antiq. lect. Mechthildis, apud Caniſium: *Filia cuiuſdam carnalis erat, dæmonium habens, cui locum pater impetrauerat in Monaſterio præbendariæ, non ſororis, ſed à ſororibus ſequeſtratum, & hoc prece, non precio factum.* Vnde & præbendarios à Mônachis diſtinguit. Bernardus de Hum-
in Sermone in obit. Hũberti Mon. berto Monacho; *Dicebat, ait, ſe Monaſterij huius præbendarium eſſe, & nullius tamquam vtilitatis hominem paſci in domo Dei.* Quid, in Eccleſijs ſecularibus Galliæ ſimiliter prębendæ laïcæ in vſum pauperum tranſcriptæ
lib. 3. ep. 17. vt in Eccleſia Aurelianenſi: Gregor. VII. ad Raineſrium Aurelianenſem Epiſcopum: *Præcipimus etiam vt Canonicam conceſſam alimonię pauperum, quam ab eo vſu ſubſtractam diceris vendidiſſe, ad eundem vſum reſtituas.* Et in
lib. 2. ep 373 Eccleſia Claromõtenſi recenſetur ab Innocentio III. id genus beneficij, quod concedi etiam laïcis conſueuit, & familiaritas appellatur: nec non in Eccleſia ſancti Martini Carnotenſis, præbendas aliquot affectas in nobilium virorum vſum, vel ob meritorum gratiam, vel
in cap. Cum M. de conſtit. egeſtatis ſolatium, refert Panormitanus, ex Compoſtellano. Certatim etiam Eccleſiæ Germanicæ huiuſmodi prębendis in vſum nobilium fortunis lapſorum inſignitæ leguntur, tanti pietas ſumptum lucrifacit.
lib. 1. hiſt. Slau. cap. 16. Helmoldus: *Theodoricus Marchio Slauorum, depulſus ab honore & omni hereditate, præbendarius apud Magdeburg, malâ morte vt dignus fuit vitam finiuit:* Et apud eundem,
eod. lib. c. 33. Henricus IV. Imperio exturbatus petit ab Epiſcopo Spirenſi præbendam ſibi conferri in eius matrice Ec-

cleſia: *Ecce, aiens, deſtitutus regno decidi à ſpe, nihilque mihi vtilius eſt, quàm renuntiare militiæ; da ergo mihi præbendam apud Spiram, vt ſim famulus Dominæ meæ Dei genitricis, cui deuotus ſemper extiti; noui enim litteras & poſſum adhuc ſubſeruire choro* : Apud Græcos etiam in Patriarchicis Monaſterijs Patriarchæ C.P. licuit ἀδέλφατα, ſeu portiones fraternas pauperibus laïcis, vel Epiſcopis incurſione barbaricâ ſedibus ſuis pulſis erogare, ex Nouella Alexij Comneni, quæ exſtat apud Balſamonem. εἰ δ' ἴσως προσέρχεταί τις τῶν λαϊκῶν ἀδύνατος πάντα καὶ πένης τῷ ἁγιωτάτῳ μου δεσπότῃ, ἢ καὶ ἀπὸ τῶν ἀρχιερέων τῶν ἀπολεσάντων τοὺς θρόνους αὐτῶν καὶ δεομένων, καὶ θελήσει τυποῦν αὐτὸν λαμβάνειν χρείας ἀπό τινος τῶν εὐπορωτέρων μοναστηρίων ποιήσει τοῦτο καλῶς μὴ ὑπὲρ τὴν δύναμιν τῆς μονῆς τῶν ταττομένων ὄντος : *Si autem accedit laïcorum quiſpiam, qui eſt omnino inops & pauper, ad ſanctiſſimum meum Dominum, vel ex antiſtitibus qui ſuos thronos perdiderunt, & ſunt inopes & voluerit ſtatuere, vt is victum capiat è locupletiori aliquo Monaſterio, hoc rectè faciat non ſupra facultates numeri eorum qui ſunt ordinati.* Nec omittendum, in Monaſteria beneficis, præbendas per precariam impenſas: hoc pacto Adelbero Auguſtenſis Epiſcopus, traditis Monaſterio Laurishamenſi ſuis rebus, viciſſim res quaſdam cum duabus ſeruilibus præbendis, & vna Monachica ſibimetipſi prębenda per precariam ſuſcepit vt proditum eſt in Chronico Lauriſhamenſi.

in Can. 19. Sy. Nicęn. 2. & lib. 2. jur. Gr. Ro. p. 142.

CAP. XII.
Canonici Honorarij.

DVo ſunt quibus reſp. inprimis continetur, Religionis auctoritas, & Regni poteſtas; ea propter primi omnino reges vt propriā dignitatē implerent, ſacerdotij apicem conjunxerunt. Hoc exemplo Auguſtus, & eum ſecuti Imperatores, etiam Chriſtiani, Pontificatum Maximum affectarunt, & cùm aliam religionem colerent, ſuam ſeruauerunt imperio; adeò vt ſubfuſcâ purpurâ inſigni Pontificum induerentur: Gregorius Nyſſenus: ἐγὼ καὶ τοὺς βασιλέας τούτους ἐλεῶ, ὅτι αὔταρκες ἐν ἀνθρώποις ἀξίωμα τὸ κράτος τῆς βασιλείας ἔχοντες, τὴν τοῦ ἀρχιερέως ἑαυτοῖς προσηγορίαν ἀνέθεσαν, καὶ τὴν πενθήρη καὶ σκοτεινὴν πορφύραν ἐκεῖθεν ἀμπίσχονται, κατὰ μίμησιν τῶν κακοδαιμόνων ἀρχιερέων ἀξιώματι φαιδρῷ σκυθρωπὸν περιφέροντες ἔνδυμα: *Me etiam imperatorum horum miſeret, qui ſatis magnam inter homines dignitatem habentes ob regium imperium, Pontificis appellationem ſibi ſumpſerunt, & lugubri, obſcuráque purpurâ huius dignitatis nomine induuntur, ad imitationem infelicium Pontificum in dignitate ſplendida atque illuſtri, triſte & inamœnum geſtantes indumentum.* Permansítque mos ab Auguſto inſtitutus ad Gratianum vſque, qui primus ex Cæſaribus Chriſtianis, Pontificis M. titulos abjecit, auctore Zozimo. Pietatis laureâ, & ſacræ inunctionis chariſmate inſignes Chriſtianiſſimi Reges diebus ſolennibus, pontificijs amicti infulis inter ſacerdotum choros apparere, & ſacra cum his carmina concinere gloriati ſunt: de Ludouico P. inſinuat eius

Symmach. lib. 10. ep. 54.

in orat. de S. Theudor. Mart.

Lib. 4. hiſt.

vitæ Auctor, cùm ipſius pietatem tantoperè commendat, vt ſacerdotem magis, quàm Regem viſum teſtetur. De Roberto prodidit Vincentius Beluacenſis, & poſt eum Lupoldus Bambergenſis, quòd ſacris excubaret officijs, & Pontificio pallio ornatus clericis prçcineret & chorum regeret: Eodem pietatis ſtudio apud Germanos commendatur Conradus Imperator. Ekkeardus: *Vidi*, inquit, *egomet ipſe Conrado Imperatore Ingilinheim paſcha agente, S. Galli Monacho ſcholas Magontiæ curante, officium vt ſolitum eſt in medio chori crebrò coronati inſpectu agere.* Aequè & Orientis Imperatoribus ſolēne fuit feſtis diebus clericos perfungi in myſticis hymnodijs: de Leone Armenio teſtis eſt Cedrenus. εἰώθει γὰρ κἂν ταῖς ψαλμῳδίαις ἐξάρχειν τῶν αἴνων, καὶ μᾶλλον ὅτε ἐν τῇ τοῦ χριστοῦ γεννήσει οἱ δὲ ἑορτῇ κανόνες ἐψάλλοντο: *Solebátque ipſe cantum auſpicari, cùm in Dei laudationibus pſalmi cantarentur, maximè cùm Natalitio Chriſti feſto Canones pſallebantur*: de Theophilo idem Cedrenus. φέρεται δὲ καὶ τις λόγος ὡς ἔρωτι τοῦ μέλους βαλλόμενος, κατὰ τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν ἐν φαιδραῖς πανηγύρεσιν παρητήσατο τὸ χειρονομεῖν, δοὺς τῷ κλήρῳ ὑπὲρ τούτου χρυσίου λίτρας ἑκατόν: *Ac ferunt eum carminis amore illectum in ſolennibus ad magnam ædem conuentibus non detrectaſſe manu chorum regere, & clero dediſſe muſicæ gratiâ centum libras argenti.* Impenſo & in Eccleſiam obſequio Chriſtianiſſimi Reges vtpotè ſupra laïcorum ſortem euecti, nobilioribus in Eccleſijs Galliarum Canonicos honorarios ſe iam olim inſcribi voluerunt: vt in Eccleſia ſancti Hilarij Pictauienſis, teſte Panormitano: in Eccleſia Cœnomannenſi, vt agnouit Clemens VII. diplomate exemptionis Capituli Cœnomannenſis ab

lib. 25. cap. 107.

lib. de rel. princ. German.

de Caſib. M. S. Galli. cap. 6.

p. 404. & Zonar. in Michael. Balbo.

p. 428.

in cap. extirpandæ. §. qui verò. de præbend.

lib. 1. de ſacra polit. tit. 5. n. 8. in Epiſc. Cabillon. in hiſt. Niuern.

Epiſcopo Diœceſano apud Chopinum : in Eccleſia Cabillonenſi, Roberto Galliæ Chriſtianæ conditori : in Eccleſijs S. Martini Turonenſis, S. Quintini Veromanduorum, & B. Virginis Cleriacenſis, Guidoni Coquille : imò & in Eccleſia Milidunenſi Abbatum dignitate funguntur, vt nos docuit Roüilliardus ex veteri tabula, hiſce verbis : *Anno Domini 1364. tertia die Auguſti, Rex noſter Carolus deuotiſſimè vt patronus & Abbas, & tamquam fundator, & defenſor intrauit Eccleſiam beatæ Mariæ de Meleduno, & induit ſe veſtimentis dictæ Eccleſiæ, & dedit ei duos pulcherrimos pannos auro operatos.* Eodē iure, quo die in Aquiſgranenſi Baſilica inauguratur Rex Romanorum, in eadem Canonicus inſtituitur. Geſtá coronationis Maximiliani : *Item venerunt Capitulares Eccleſiæ Aquenſis, recipientes Regem Romanorum in Canonicum, qui ipſis præſtitit iuramentum, quo ad præbendam hanc in eadem Eccleſia, & dederunt ſibi locum in choro ; ipſe etiam dedit ſtatuta, & vinum admiſſionis iuxta conſuetudinem Eccleſiæ, & habet duos vicarios in loco, qui capiunt integram præbendam, & ſupplent locum ſuum in Eccleſia* ; Et ſecutâ Romæ imperatoria conſecratione ſolenniter inſtallatur in Canonicum ſancti Petri, & ſummo Pontifici miniſtrat, vice Subdiaconi, vt tradit Durandus, & hoc ritu Fridericum III. Imperatorem lineâ ornatum in album Canonicorum S. Petri relatum prodidit Henricus Mutius. Regiæ pietatis fortè, an dignitatis æmulatione, honorarios ſe Canonicos, & Monachos matricibus Eccleſijs & Monaſterijs inſeruerunt Duces & Comites noſtri. Hoc ingenio Gaufredus Plantegeneta, Dux Normannorum, & Comes Andegauenſis, diras excommunicationis interminante Turonenſi Ar-

in Releu. forenſ. tit. regal.

apud M. Freher.

in Rationali lib. 2. tit. 8.

lib. 29. Chronicit.

chiepiſcopo, minas riſit, eius ſe juriſdictione ſolutum obteſtatus, tamquam vnum è Canonicis Sancti Martini, & Monachis Majoris Monaſterij. Ioannes Monachus: *Ad hæc Comes ſubridens; Bone Paſtor, ait, praeſto quibus debes, & de illis habeto curam; qui tibi commiſſi ſunt, Canonicis porrò beati Martini, & Monachis Majoris Monaſterij nunquid dominaris? Ego autem & Canonicus ſum ſancti Martini, & Monachus Majoris Monaſterij, ergo refræna iura, cohibe poteſtatem, & quam mihi ſententiam minabaris ſuper tuos exerce.* Aequè & Canonicatum honorarium ſancti Martini Turonenſis ambierunt Comites Niuernenſes: Canonicorum in conſeſſum ſibi, & ſuis miſſum Herueum Comitem Niuernenſem, anno 1216. Robertum Flandrenſem anno 1300. Ludouicum ſub anno 588. locuples auctor eſt Guido Coquille. Eccleſiæ Lugdunenſis Canonici honorarij recenſentur apud Seuertium Duces Burgundiæ, Biturigum, Sabaudiæ, & Delphinus Viennenſis. Aurelianenſem Canonicum dudum ſe oſtentat Dux Aurelianenſis. Iuuenalis Vrſinus, ſcriptor Gallicus, cuius verba hîc addo: *Se partit le Duc d'Orleans de Paris, & voulut en paſſant faire ſon entrée à Orleans, &c. Et ſi fiſt ſon entrée à Monſeigneur Sainct Aignan d'Orleans, en habit de Chanoine, en la forme & maniere accouſtumée.* Eccleſiæ S. Iuſti Lugdunenſis Canonicus hereditarius & præbendatus eſt Comes Turnonius, Paradino, & Molano.

in hiſt. Gaufred. Duc.

in hiſt. Niuern. in Epiſc. Lugdun.

in vit. Caroli 6. A.C. 1403.

Parad. l. 2. hiſt. Lugd. cap. 101. Molan. l. 2. de Canonic. cap. 40.

Cap. XIII.
Abbates laïci.

CAROLVS Martellus, fiſco ciuilibus & Saracenicis bellis exhauſto, Eccleſias & Monaſteria primus militaris ſubſidij gratiâ Comitibus, & militibus in beneficium poſſidendas addixiſſe memoratur; vnde grauis ſecutus religionis lapſus in Gallia, de quo conqueſtus eſt Bonifacius Moguntinus, Epiſtola ad Zachariam Papam. ep. 132. *Franci enim, vt ſeniores dicunt, pluſquàm per tempus octoginta annorum ſynodum non fecerunt, nec Archiepiſcopum habuerunt, nec Eccleſiæ canonica iura alicubi fundabant, vel renouabant: modò autem maxima parte per ciuitates, Epiſcopales ſedes traditæ ſunt laïcis cupidis ad poſſidendum, vel adulteratis Clericis ſcortatoribus, & publicanis ſeculariter ad perfruendum.* Hanc labem Eccleſiarum deplorat etiam in præf. apud Sur. 13. Ian. tom. 1. Hincmarus, in vita ſancti Remigij: *Caroli principis tempore, quãdo propter diſcordiã & contentionẽ de principatu inter eũ, & Ragenfridũ frequẽtia ac ciuilia, imò pluſquã ciuilia, quia inteſtina & parricidalia bella, in Germanicis, & Belgicis, ac Gallicanis prouincijs religio Chriſtianitatis penè fuit abolita; itá vt Epiſcopis in paucis locis reſiduis, Epiſcopia laïcis donata, & per eos rebus diuiſa extiterint; adeò vt Milo quidam, tonſurâ Clericus, moribus, actu, & habitu irreligioſus laïcus Epiſcopia Rhemorum, ac Treuirorum vſurpans inſimul per quadraginta circiter annos peſſumdederit.* Carolus Magnus etſi Eccleſiæ ſtudioſiſſimus, iniquitati temporum conſulens, Comites, Abbatiarum munere ſibi conciliare adactus eſt; & hoc ſenſu Abbates, id eſt beneficiarios

laïcos

laïcos per Aquitaniam inſtituït. Aymoïnus; *Carolus ordinauit per totam Aquitaniam Comites, Abbatéſque, nec non alios plurimos, quos Vuaſſos vulgò vocant.* Et alio loco: *quibuſdam Abbatiolas ſicut erant integras dedit, quibuſdam de Abbatia Martiniana beneficiola donauit.* Eodem beneficiorum genere Comites ſibi deuinctos habuit & Ludouicus P. Idem Aymoïnus: *Ludouicus quos potuit conciliauit ſibi dans eis Abbatias, Comitatus, & villas.* Carolus Caluus quoque ciuilibus bellis rebus attritis, Comitibus, & laïcis, vt eos in officio contineret, Abbatias paſſim diſtribuit, vt Odulfo Comiti dedit Cellam S. Iudoci ablatam cœnobio Ferrarienſi, Auctore Lupo Abbate. Cui malo vt conſuleretur coacta Synodus Meldenſis, anno Chriſti 845. vnde fluxit vt Comites, & alij laïci Monaſteriorum incubatores, Abbatum nomine gloriarentur: hoc ſenſu accipe apud Aymoïnum, Abbates quos per Aquitaniam ordinauit Carolus M. vt præmonuimus. Hoc ſenſu Robertus, & poſt eum Hugo M. vterque Comes Pariſiorum, & Dux Francorum, & Cœnobij ſancti Germani Pariſienſis beneficiarius, Abbatem ſe inſcribebat. Aymoïnus: *Tamen vigore decedente Regum, Robertus Comes Pariſiorum, qui Marchio Francorum vocabatur, frater videlicet Odonis Regis, nec non Hugo magnus, quinetiam vſque ad tempora Roberti Regis ea quæ Abbates accipiebant ſibi addixerunt, & ſtatuentes Decanos Monachis, ſibi nomen Abbatis vſurpauerunt.* Et alio Capite ſuperiori: *Intereà baptizati ſunt quidam Normanni ab Hugone Abbate & Marchione.* Et Hugo dein Rex Francorum Abbi-Comitis nomine vtebatur. Gerbertus, Epiſtola ad Geraldum Abbatem Auriliacenſem. *Qui ſtatus regnorum penès vos ſcit, ſcire cupit, & an Hugo, quem*

lib. 5. cap. 1. — lib. 5. cap. 34. — lib. 5. cap. 36. — ep. 28. — lib. 5. c. 34. — lib. 5. c. 33. — ep. 17.

veſtrâ linguâ Abbi-Comitem dicitis vxorem duxerit. Hoc ſenſu Hucbertus Comes, germanus Thietbergæ Reginæ, Abbatem ſe dictitabat. Regino Prumienſis:
lib. 2. Chr. A.C. 859. *Lotharius Hucberto Abbati inter Iuram & Montem Iouis commiſit, eò quòd tunc fideliſſimus putaretur, vtpotè affinitate conjunctus propter ſororem Thietbergam.* In Concilio Rhemenſi ſub annum 893. celebrato, notatur Balduinus Comes Flandrenſis, quòd res Monaſteriorum, & nomen Abbatis vſurparet: de quo ad eum datæ litteræ à Fulcone Archiepiſcopo Rhemēſi, vt refert Flodoardus:
lib. 4. hiſt. cap. 7. *Quòd Eccleſiaſtica ſimul, & legalia jura contemneret, res Eccleſiaſticas & honores ſibi non conceſſos inuaderet, &c. Locum ſacri Monaſtici ordinis peruadens, & Abbatis ſibi nomen vſurpans, vnde communi decreto Epiſcoporum iudicatū fuerat eum auctoritatis Canonicæ anathemate feriendum.* Denique ea ætas laïcos peruaſores Monaſteriorum Abbates-Comites vnà vocitare non erubuit: *Tunc temporis,*
lib. 1. Chr. Camer. cap. 70. inquit Baldericus Nouiomenſis, *Abbas-Comes Abbatiunculam B. Humberti, cui Epiſcopum Stephanū Rex Carolus præfecerat poſſidebat, &c.* Comites porrò adeò fœdè rebus ſacris abutebantur, vt Decanos imponerent Monachis, eíſque relictâ portiunculâ, reliquum in ſuos vſus conuerterēt, vt ex Aymoïno notatū eſt: imò & in Monaſterijs cum vxoribus, liberis, & familia habitarent. Synodus
Can. 10. Meldenſis: *Peruentum eſt ſiquidem ad nos, quòd auditu lugubre & dictu nefas, actúque horribile, ac nimis triſte dignoſcitur; quia contra omnem auctoritatem, contra Patrum decreta, & totius Chriſtianæ religionis conſuetudinem, in Monaſterijs regularibus laïci in medio ſacerdotum, & leuitarum ac ceterorum Religioſorum virorum, vt Domini & Magiſtri, reſideant, & velut Abbates de illorum vita, & conuer-*

ſatione decernant. Et Concilium Troſleianum: *Nunc autem in Monaſterijs Deo dicatis Monachorum, Canonicorum, & ſanctimonialium, Abbates laïci cum ſuis vxoribus, filijs. & filiabus, cum militibus morantur & canibus.* A Regibus autem dabantur Abbatiæ laïcis in allodium. Synodus Meldenſis: *Prouidendum eſt Regiæ Majeſtati, vt Monaſteria quæ, &c. Et nunc in allodium ſunt data, quapropter omnis exinde religio funditus eſt euerſa, qualiter vota fidelium inconuulſa permaneant.* Et alio Canone: *Monenda eſt ſolertia regia, vt ſtrenuos & fideles Miſſos per regnum ſibi commiſſum dirigat, & inueſtigent, ac diligenter imbreuient res Eccleſiaſticas, quas per ſubreptionem atque ignorantiam quorumcumque in Allodium ipſe, aut pater ſuus donauit.* Sæpiùs dabantur in beneficium, id eſt feudum, ſub lege ſeruitij militaris. Annales Fuldenſes: *Rex* [Carolus III.] *poſt Paſcha in Galliam profectus, Hugonē Hlotharij ex Vualdrada filium ad ſe venientem in ſuum ſuſcepit dominium, & ei Abbatias & Comitatus in beneficium dedit, vt ei fidem ſeruaret.* Baldericus loco citato: *Tunc temporis Abbas Comes, Abbatiunculam B. Humberti, cui Epiſcopum Stephanum Rex Carolus præfecerat, poſſidebat, ipſámque regiam ac locupletem Abbatiam ſanctiſſimi Gaugerici cum omnibus appenditijs ſibi beneficiatam de regio jure tenebat.* Et idem de monaſterio Altimontis: *Superuenientibus autem cauſis diuerſarum tempeſtatum quas legimus, Comitibus in beneficium traditum eſt, & ad tantum caſum paulatim deuoluitur; vt Monachis quidem egeſtate coactis paucorum clericorum cuſtodiæ mandaretur.* Vnde factum, vt Comites Abbates, manſus, vel prædia Abbatiarum militibus ſuis in ſubbeneficium, ſiue retrofeudum darent. Aymoïnus: *Et ſtatuentes Decanos Monachis ſibi nomen Abbatis vſurpauerunt: ea verò quæ tunc*

Can. 41.

Can. 42.

A. C. 881.

Hic eſt Hugo Abbas de quo Ioannes 8. ep. 132. & 305. & Hincmar. ep. ad Lud. B. c. 7.

lib. 1. c. 70.

lib. 3. c. 6.

lib. 5. c. 34.

ſibi ex rebus Eccleſiaſticis vendicarunt, proprijs militibus diſtribuerunt, & iuri Eccleſiaſtico ſubtraxerunt. Notgerus
19. Mart. tom. 2. in vita ſancti Landoaldi, apud Surium. *Poſt Normannicam autem repulſionem, primus quidam Thietbeldus locum prælibatum vbi corpora ſanctorum erant repoſita, à Comite Flandrenſi, Abbatiam ſancti Confeſſoris Chriſti Bauonis tenente accepit, iure beneficij, poſt eum Adelgaudus.* Nec ſolùm militiæ; ſed etiam mundo muliebri, & Reginarum, illuſtriúmque Matronarum delicijs indultæ à Regibus Abbatiæ. A Carolo Simplici deſciuit Hugo Comes Pariſiorum, quòd Haganoni Comiti, conſiliorum omnium participi, ereptam Rothildi ſocrui ſuæ Calenſem Abbatiam virginum tranſcripſiſ-
A.C. 923. ſet, vt narrat Flodoardus. Laudunenſi Abbatiâ Gerbergam parentem multauit Ludouicus Vltramarinus, quòd ſe inſcio Heriberto Comiti Viromanduenſi enupſiſſet, eâque Gerbergam vxorem donauit,
A.C. 951. auctore eodem Flodoardo. Lugendum hoc loco Regum noſtrorum fatum, quibus bellica neceſſitas, & vitium ſeculi priùs vim intulit, quam paſſa eſt Eccleſia: at non tacenda infracta Ottonis Magni virtus, qui in ſummo rerum diſcrimine poſitus, Comitem Bauariæ Abbatiam Laurishamenſem in beneficium depoſcentem animosè repulit, palàm conteſtatus ſe non datu-
lib. 4. c. 15. in Othone I. pag. 105. rum ſanctum Canibus, vt ſcribunt Luitprandus Ticinenſis, & Abbas Vrſpergenſis.

Cap. XIV.
Erectio Epiſcopatuum.

ACvnis exemptâ fide, & iam ad Barbaros penetrante, nouos Epiſcopatus propagare, & epiſcopos ſubmittere, vicinioribus metropolitanis ex officio viſum eſt, omiſſo etiam Romano Pontifice, ob moræ periculum. Sic Phædimus Amaſeæ Metropolitanus, Neocæſareæ vrbi, in qua decem & ſeptem fidelibus non amplior erat numerus, Gregorium Thaumaturgum primarium dedit Epiſcopum, & verbo abſentem ordinauit citra manuum impoſitionem, auctore Gregorio Nyſſeno. Ad conuerſionem Sarracenorum moſes aſceta deſignatus Epiſcopus, & ab Epiſcopis Alexandrinæ Diœceſeos ordinatus, repulſo Lucio Pſeudopatriarchâ Alexandrino, vt conſentiunt Socrates, Theodoritus, & Nicephorus Calliſtus. Diuiſâ in duas prouincias Cappadociâ Valentis Imperio, Baſilius Cæſarienſis Metropolitanus, vt damnum quodãmodo ſarciret, Saſimorum Eccleſiam euexit in Cathedralem, & Gregorium Nazianzenum Epiſcopum impoſuit, vt refert ipſe Nazianzenus, & Gregorius Presbyter in eius vita. In Africa labante diſciplinâ, hæreticorum contagio ſæpiùs contingebat vt plebes, quæ proprium nunquam Epiſcopum habuerant, ſibi Epiſcopum dari poſtularent: quocirca nouarum ſedium inſtitutionem reuocari placuit ad Concilium plenarium, id eſt totius prouinciæ cum Metropolitano: Concilium Africanum; *Placuit & illud vt plebes quæ numquam habuerunt proprios Epiſcopos, niſi ex*

in vit. Gregor. Thau.

lib. 4. c. 29. lib. 4. c. 23. lib. 11. c. 47.

Nazianz. orat. 20. & in Carm. de vit. ſua. Greg. presb. in vit. Naz.

Can. 65. cod. Can. Eccl. Afric.

95. Syn. Carth. Can. 56. apud Balſamon.

Concilio plenario vniuſcuiuſque prouinciæ & primatis, atque conſenſu eius, ad cuius Diœceſim eadem Eccleſia pertinebat, decretum fuerit, minimè accipiant. Labente æuo ſummi Pontifices Epiſcopatuum inſtitutionem, velut vnam è majoribus cauſis penès ſe collocarunt. Laudunenſem ſanè Epiſcopatum à ſua ſede auulſum inſtituit Remigius Rhemenſis, & Genebaldum primum dedit Epiſcopum, auctore Hincmaro; ſed auctoritate Apoſtolicâ factum nemo eſt qui dubitet, cùm ex mandato Hormiſdæ P. Vicariâ Sedis Apoſtolicæ fungeretur intrà fines regni Clodouei, vt patet ex Epiſtola Hormiſdæ. Trajectenſem Epiſcopatum inſtituit Vuilibrodus primus Friſonum Epiſcopus, ſed auctoritate Pontificiâ, nempe vt legatus Sergij P. ex Sigiberto, Beda, & Bonifacio Moguntino. Inſtituit & Epiſcopos in Germania Bonifacius, at non niſi auctoritate Sedis Apoſtolicæ commendatâ à Gregorio III. vt liquet ex eius Epiſtola ad Bonifacium: *Præcipimus*, inquit, *vt iuxta ſacrorum Canonum ſtatuta, vbi multitudo excreuit fidelium, ex vigore Apoſtolicæ ſedis debeatis ordinare Epiſcopos.* Piâ tamen contemplatione, vt non vileſcat dignitas Epiſcopatus, ſecutis inde ætatibus, magis, magíſque ſe explicante auctoritate Pontificiâ, Epiſcopatuum creatio, diuiſio, vnio, tranſlatio, velut è majoribus negotijs vno calculo ad Summum omnino redacta Pontificem: ex quo emanauit dictatum Gregorij VII. *Quòd ſolus Romanus Pontifex iure dicatur vniuerſalis, &c. Quòd illi ſoli licet pro temporis neceſſitate nouas leges condere, nouas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere, & è contrà, diuitem Epiſcopatum diuidere & inopes vnire.* In hanc ſententiam Iuo Carnotenſis, Epiſtola ad Paſchalem II. de non ſoluenda vnione No-

In vit. Rhemig. apud Sur. 13. Ian. & opuſc. c. 6. & 16.

Sigibert. ad A.C. 697. Beda lib. 5. hiſt. Angl. c. 11. Bonifac. ep. 97.

ep. 1. can. præcipimus. 16. qu. 1. V. Bonifac. ep. 132. & 142.

Gregor. VII. poſt epiſt. 55. lib. 2.

ep. 238.

uiomenſis & Tornacenſis Epiſcopatus: *Nec in hoc reſiſtimus*, inquit, *quin poſſit Sedes Apoſtolica Parochiarum amplitudinem minorare, aut breuitatem dilatare, ſi vtilitas populi Dei ità exigat, & nullum inde ſchiſma contingat.* Et Bernardus Clareuallenſis ad Mediolanenſes: *Plenitudo ſi quidem poteſtatis ſuper vniuerſas orbis Eccleſias, ſingulari prærogatiuâ Apoſtolicæ ſedi donata eſt, qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: poteſt, ſi vtile iudicauerit, nouos ordinare Epiſcopatus vbi hactenùs non fuerunt; poteſt eos qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictauerit; ità vt de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat & è conuerſo, ſi neceſſe viſum fuerit.* Eccleſiarum quidem ſtatum ſæpiùs perturbarunt principes rerum nouarum cupidi ſectâ in duas prouincias Cappadociâ, inſano Valentis odio in Baſilium, Cæſareæ Tyanâ Metropoli additâ, vt conſtat ex Baſilio, Nazianzeno, & Gregorio Preſbytero: cùm exinde paſſim variaret ſtatus prouinciarum Innocentius I. ad Alexandrum Antiochenum edixit, diuiſione prouinciarum à principe factâ non innouari ſtatum prouinciarum: tum acceſſit canon XII. Concilij Chalcedonenſis, quo lex in futurum dicta, ne prouincia ſcindatur in duas, néue alter Metropolitanus in eadem prouincia per pragmaticam, id eſt reſcripto principis, ordinetur, in futurum verò vt Epiſcopatus nouo Metropolium apice inſigniti à principe, ſolo honore, id eſt, nomine Metropolis fruantur, ſaluo veræ Metropoli ſuo iure. Huic tamen Canoni derogatum eiuſdem Concilij Canone XVII. quo cauebatur; vt ſi ciuitas aliqua à principe innouata fuerit, ciuiles, & publicas formas Eccleſiaſticarum quoque Parochiarum ordo conſequatur; quod facilè ſibi perſuaſere Impera-

ep. 131.

Baſil. ep. 259. 248. 379. Naz. orat. Greg. Presb. in eius vit.

c. peruenit. 101. diſt.

tores CP. & eundem Canonem in Synodo VI. in Trullo confirmari curarunt, etſi reuerâ ad ciuitates de nouo à principe conditas tantùm pertineret, & nouorum inde Epiſcopatuum & Metropolium de proprio motu *ἀυτοϱέμητως* excitandarum iure vſi ſunt; quod adulatoriè probauit Balſamo, adductâ Nouellâ Alexij Comneni. Religioſiùs Reges noſtri, ſi vnum, aut alterum demas: tentauit Childebertus Meleduni (oppidum eſt Diœceſis Senonenſis) Epiſcopum inſtituere ex voto plebis, ſed facilè à conſilio diſceſſit, motus, vt opinor, Leonis Senonenſis Epiſtolâ, quæ lucem acceptam debet Sirmundo. Audaciùs multò à Sigiberto Rege Epiſcopatus apud Vicum Ariſitenſem, in gratiam Monderici à Guntrano perfugæ, ex finibus Rutenenſis auulſus eſt, habuítque ſub ſe Diœceſes, id eſt Parochias circiter quindecim, quas Dalmatius Rutenenſis Epiſcopus vindicabat, teſte Gregorio Turonenſi; & ab eo extitiſſe videntur alij Ariſitenſes Epiſcopi, vſque ad tempora Dagoberti II. quibus Rhemenſi Synodo ſubſcripſit Emmo Ariſitenſis apud Flodoardum: ſed de his altum exin ſilentium, Ariſitenſis vici nullum veſtigium, vt Cathedræ ſcelus meritò dixeris obſcurâ clade damnatum. Pari rerum nouarum ſtudio Promotus Presbyter in Caſtro Dunenſi Carnotenæ Diœceſis à Sigiberto rege fuerat inſtitutus Epiſcopus; ſed intercedente Pappolo Carnotenſi Epiſcopo, Synodi Pariſienſis IV. decreto remotus eſt. Verùm functo iam Sigiberto cùm rurſus turbas cieret, fauente Childeberto plebi ſuæ redditus; at Diœceſi caruit vt narrat Gregorius Turonenſis. In Germania Magdeburgenſem Metropolim, & Aldenburgenſem Epiſcopatum per ſe inſtituit Otho

Can. 38.

Iuſtinianus Achrido vrbẽ natalem de ſuo nomine Iuſtinianeam primã vocauit, & Archiepiſcopali dignitate decorauit: eodem honore donauit patriam Theodoræ vxoris in Cypr. Inſ.

Niceph. cal. lib. 17. c. 29.

Nouel. Iuſt. 11. & 131. c. 3

Niceph.

Greg. lib. 2. in can. 12. Syn. Chalced. Can. 38. Syn. 6. in Trul.

to. 1. Conc. Galliæ.

lib. 5. hiſt. cap. 5.

lib. 2. hiſt. Rem. c. 5.

lib. 7. c. 17.

Otho I. Bambergenſem Epiſcopatum Henricus II. ex Sifrido, & Helmoldo. In Hiſpania nouos Epiſcopatus in villulis poſuit Bamba Rex Gothorum, ſed facinus damnatum in Concilio Toletano XII. receptam à Sarracenis Ouetũ, Epiſcopali Cathedrâ adornauit Froila: ſed expiatâ poſteà noxâ ea in Metropolim euecta, auctoritate Ioannis VIII. referente Roderico Toletano. Nec apud Reges hæſit ſæua fabricandorum Epiſcopatuum ambitio, ſed infelici contagio ad regulos prolapſa eſt; Duces dico, & Comites: primus Nomenoius Dux Britonum, tyrannidem meditans ex quatuor Epiſcopatibus, ſeptem conſtituit, Dolenſem Metropolim eſſe voluit, depulſâ Turonenſi: diutini fax inde belli inter Nomenojum, & eum ſecutos Heriſpium, & Salomonem Duces, & Carolum Caluum: nec non ciuilis controuerſiæ inter Turonenſem & Dolenſem Epiſcopos: qua de re Salomoni Epiſtolam ſcripſit Nicolaus I. (malè Ioanni VIII. tribuunt Romani Correctores apud Gratianum, vt obſeruo ex Matthæo Paris, qui eius Epiſtolæ Nicolaum laudat auctorem, ex Gratiano, & ex Sirmundo qui integram edidit Nicolai nomine.) ſcripſit, inquam, Turonenſem Epiſcopum pro Metropolitano colendum ab Epiſcopis totius Britanniæ; tum de iure Metropolis quærendum pace ſemel conſtitutâ inter Regem & Ducem; interim Eccleſiam Dei diuiſionis damnum pati ob diſcordias principum nefas eſſe. Varijs tẽporibus recruduit hæc lis, donec tandẽ ſupremo Innocentij III. judicio ſecundum Turonenſem definita eſt, vt liquet ex Regiſtro ipſius Innocentij, Rogero Houedeno, & Matthæo Paris. In Germania Aldenburgenſem Epiſcopatum Lubekam tranſtulit pro-

lib. 1. c. 11. 12. 16.

Can. 4.

lib. 4. hiſt. c. 6. & 18.

c. hæc quippe. 3. qu. 6. in Ioann. A.C. 1199.

tom. 3. Conc. Galliæ.

Ioann. 8. ep. 124. Gregor. 7. lib. 7. ep. 15. Steph. Torn. ep. 115. 127. 159. lib. 2. ep. 78. 79. 80. in Ioann. 1199.

priâ auctoritate Henricus Leo, Dux Saxonum. Helmoldus: *Circa id temporis*, inquit, *rogauit Dominus Geroldus Epiſcopus Ducem, vt ſedes Cathedralis, quæ antiquitus erat Aldenburg, transferretur Lubekæ; eò quòd ciuitas hæc eſſet populoſior & locus munitior, & omni prorſus aptitudine commodior: quod cùm placuiſſet Duci, condixerunt diem quo venirent Lubekæ ordinaturi de ſtatu Eccleſiæ, & Epiſcopatus, & deſignauit Dux locum in quo fundari deberet Oratoriũ, in titulum matricularis Eccleſiæ, & areas clauſtrales, & ſtatuerunt illic præbendas duodecim clericorum canonicè viuentium, &c.* Sed hæc iure irrita, niſi medio Romano Pontifice. Sanè Regis conſenſum accedere non injuriâ volunt, ob regium Eccleſiarum patronatum. Hoc iure, Medardi tempore, Epiſcopatus Nouiomenſis & Tornacenſis in vnum coaluere, conſenſu Metropolitani, & prouincialium, Regis, & vtriuſque plebis: Fortunatus in eius vita: *Pontificali demum, Metropolitani ſcilicet & comprouincialium ſuorum euictus auctoritate, Regiſque, ac procerum aſſenſu, plebiſque coactus inceſſabili acclamatione, vix conſenſit, & vnanimi, Pontificali videlicet, ac regali autoritate duas illas Eccleſias vnã fecit. Vtrũque ouile Paſtor egregius conſilio, & auctoritate cõprouincialiũ Epiſcoporũ, tempore Hormiſdæ P. ſub S. Remigio, tunc temporis Rhemorum Archiepiſcopo, aſſenſu Regis, & Curialium, ac vtriuſq; plebis acclamatione tandẽ ſuſcepit, & vt vtrique Eccleſiæ Cathedralis ſemper honor maneret benignè conceſſit.* Trajectenſem etiam Epiſcopatum ex dono Pipini principis inſtitutum ſignat Sigebertus; imò & conſenſum regium ſatîs apertè accerſit Nicolaus I. cùm Salomoni Duci Britonum ſcribit; de iure Metropolis non antè quæſitum iri, quàm reformatâ pace inter Carolum Regem & Ducem: quare multis pòſt ſeculis

lib. 1. hiſt. c. 90.

cap. 18. apud Sur. Iun. 8.

A.C. 697.

adhuc pendente lite, non immeritò audita Philippi Au-guſti querela apud Lucium III. *Contra Turonenſem Eccleſiam, quæ noſtra eſt, erigere conatur Apoſtolica ſedes in Britãnia minore Dolenſem Archiepiſcopum, & integritatem regni noſtri, quæ temporibus patrum noſtrorum illæſa perſtitit lædere, minuere, detruncare. Hæc ſunt beneficia meritorum regni noſtri, &c.* Paucis pòſt annis Vuillelmo Rhemenſi Epiſcopo conceſſit Innocentius III. vt Monaſterium caſtri Moſomi in Epiſcopatum extolleret; ſed res in irritum excidit, iuſtâ, vt colligere licet, Regis interceſſione, Romanas molitiones frangente; quæ enim inuidia Reges eodem iure cenſeri quo vulgus patronorum, ſinè quorum aſſenſu ſtatus Eccleſiæ ne tentetur annuunt Pontifices? & ex his Ioannes Sariſberienſis ad Alexandrum III. *Præſertim cùm non aſſentiente, nedum reluctante fundatore ſtatus Eccleſiæ mutari non poſſit, aut ſubijci ſeruituti*; Quæ, inquam, inuidia hoc reuerentiæ deferri Regibus; quum Athanaſius nefas duxerit Eccleſiam Alexandrinam, quæ Conſtantini ſumptibus exſtructa, conſecrari ante decretum principis; ὐκ ἐγκαινίων ἡμέραν ἐπετελέσαμεν θεοσεβάσατε αὐγȣ̃στε. τȣ̃το γὰρ ἀθέμιτον ἦν ἀληθῶς πρὸ τῆς σῆς προστάξεως ποιῆσαι. *Non encaniorum feſtum celebrauimus, religioſiſſime Auguſte; id enim celebrare ante tuum decretum verè nefarium fuiſſet.*

Stephan. Tornac. ep. 125. & 129.

lib. 1. ep. 161. 162.

cap. ſuggeſtũ. de iur. patr. c. peruenit. de conſ. c. dilecta. de exceſſ. præl. ep. 126.

Athanaſ. Apolog. 1. ad Cõſtant.

CAP. XV.
Fundatio Monaſteriorum.

MONACHIS tumultuantibus conſultò fræ-
num eis injectum eſt, perpetuâ lege ſanci-
tâ, ne monaſteria ſinè conſenſu Diœceſani
Epiſcopi ędificarentur. Concilium Chalce-
Can. 4. donenſe: ἔδοξεν μηδένα μὲν μηδαμȣ̃ οἰκοδομεῖν, μηδὲ
συνιστᾶν Μοναστήριον ἢ εὐκτήριον οἶκον παρὰ γνώμην τȣ̃ τ̃
πόλεως ἐπισκόπȣ: *Viſum eſt nullum vſquam ædificare,
nec conſtruere poſſe Monaſterium, vel oratorium, præter ſenten-
tiam ipſius ciuitatis Epiſcopi.* Conſtantinopolitana Sy-
nodus I. & II. ex Balſamone: μὴ ἐξεῖναι Μοναστήριον
οἰκοδομεῖν ἄνευ τ̃ τȣ̃ ἐπισκόπȣ γνώμης, καὶ βȣλῆς: *Vt
nemini liceat Monaſterium ædificare abſque Epiſcopi ſententia,*
Can. 27. adde id c. 58. Epaun. cap. 10. *& conſilio.* Concilium Agathenſe: *Monaſterium nouum,
niſi Epiſcopo aut permittente, aut probante nullus incipere, aut
fundare præſumat.* Aedificationem autem monaſterio-
rum priùs permittere vetitum eſt Epiſcopo, quàm fun-
damenta dedicarit per orationem, & Crucis fixionem;
Nouel.Iuſt. 5. c. 1. 67. c. 1. 123. Balſ. in c. 7. Synod. 7. & cap. 86. Syn. Carthag. lib. 3. iur. Græc. Rom. p. 235. & ſeq. διὰ εὐχῆς, καὶ σαυροπηγίȣ, ex Nouellis Iuſtiniani, &
Theodoro Balſamone: ex quo manauit vt Patriarchica
cenſerentur monaſteria, id eſt exempta à juriſdictione
Epiſcopi, & ad Patriarcham immediatè pertinentia,
quæ ſub Patriarchali Crucis fixione, ἐπὶ σαυροπηγίοις
πατριαρχικοῖς fundamenta habuiſſent, vt produnt Epi-
ſtolæ Synodicæ Germani P. C. imò & nouiſſimè ſūmi
pontifices, vt monachorum immane ſtudium in con-
dendis paſſim monaſterijs coërcerent partes ſuas inter-
poſuerunt, lege factâ, ne monaſteria de nouo excita-

rentur abſque ſpeciali etiam conſenſu ſedis Apoſtolicæ. Receptis Galliæ moribus Epiſcopali, vel Pontificio hac in re conſenſui regium quoque accedere dudum ſolenne fuit, iuxta legem Romanam ex qua noua Collegia inſtitui non potuerunt ſinè conſenſu principis. Sic Monaſterium à S. Vualerico conditum apud Ambianos, non ſinè conſenſu Epiſcopi, & Clotharij II. Regis, vt refert incertus eius vitæ Autor apud Surium: *Simul autem abeuntes (Vualericus, & Vualdolenus) ad Clotharium Regem peruenerunt, ab eóque locum ab hominibus remotum, quem incolerent petierunt, &c.* Porrò Clotharius Rex ex conſenſu Ambianenſis antiſtitis, ità vt petierant, locum eis auium largitus eſt, ſeceſſus genere vitæ, & Monaſtico inſtituto idoneum, quem antiquitus Lenconaüm dicere conſueuerant. Sic à Grimoaldo Majore domus Sigiberti Regis condita duo Monaſteria Stabulenſe, & Malmundarienſe, & Remaclo Leodienſi in diſciplinam tradita, ſub conſenſu regio. Stephanus Abbas Leodienſis in vita ſancti Modoaldi Treuirenſis, apud Surium: *Grimoaldus Major domus Sigiberti illa duo præclara Monaſteria Stabulaus & Malmundarium ex proprio conſtruxit, quæ peracta pia ſolicitudine & exornata omni pulchritudine, facta quoque ibi legitima adiacentium terrarum, aliarúmque poſſeſſionum traditione, beato Remaclo ad inſtituendam illic Monaſticam vitam, ſub firma adſtipulatione, & regij ſigilli impreſſione contradidit.* Eodem jure Monaſterium Caſæ-Dei apud Aruernos ex humili caſa excitatū à Roberto Abbate, impetrato conſenſu Henrici I. Regis Francorum, & Leonis IX. Pontificis. Scriptor vitæ Roberti apud Surium: *Videns Dei famulus tanti boni præparatam diuinitus occaſionem habitâ ſuper hoc*

cap. vn. §. fin. de Rel. dom. in 6. cap. vn. de exc. præl. eod.

l. 3. ff. de Colleg.

1. April. tom. 2.

12. Maij. tom. 3.

24. April. tom. 2.

cum fratribus ſuis deliberatione, aſſenſu etiam & conſilio Aruernenſis Epiſcopi bonæ memoriæ Renconis, cœpit Monaſterium ædificare, cum ſummâ omnium gratulatione, iuxta loculum in quo priùs habitauerat, & proſperè conſummauit: eo tempore Francis imperabat Henricus, ſedem Apoſtolicam Leo nonus tenebat. Papam igitur ſupradictus Epiſcopus adijt, vir ſanctus Regem Francorum vtique ſuper noui loci ſtabilitate auctoritatis robur & congrua priuilegia petituri, &c. Inde deducto jure reformatio, ſeu emendatio MONaſteriorum, non ſinè nutu principis tentata anno 1017. Moniales aſceterij ſancti Eligij Pariſiorum depulit Gualo Pariſienſis Epiſcopus, ſuffectis Foſſatenſibus MONachis; verùm ex diplomate Philippi I. quod intexuit Iuretus, anno M. C. XXVIII. pulſæ Moniales ſancti Ioannis Laudunenſis, ob malos mores, ſubintroductis MONachis, ſed impetrato conſenſu principis. Robertus MONtenſis: *Lauduni*, inquit, *in Eccleſia ſancti Ioannis conſilio regis, & principum, Monialibus quæ malè infames erant ejectis, & Monachis in earum locum ſubſtitutis, Drogo, religione & facundia venerabilis à Bartholomæo Epiſcopo primus Abbas ordinatur.* Ob laſciuiam itidem exactæ Argentolienſes Aſcetriæ, & earum ædes redijt ad Dionyſianos; ſed hoc factum curiæ totius perſuaſione, vt ait Sugerius Abbas, id eſt ſuaſu Ludouici Craſſi, & principum. Tentauit Otho III. etiam Romæ in conſpectu ſummi PONtificis, MONachos ſancti PAuli ob diſciplinæ lapſum eijcere, ſubrogatis in eorum locum Canonicis, nec reuerentiâ Summi PONtificis, ſed PAuli in ſomnis monitu deterritum, ne MONaſterium in alieno ordine reſtitueret, narrat Glaber Rodulfus. Aliquando & in MONaſteriorum ædificatione expetitus conſenſus Ducum, Comi-

[Margin notes: in Iuon. epiſt. 70. — A. C. 1128. — in vit. Ludouic. Craſſ. — lib. 1. hiſt. cap. 4.]

túmve, quorum in prouincijs Monaſteria conſtruebantur: vt Odonis Burgundiæ Ducis in exſtructione Ciſtercienſis Monaſterij. Sigebertus: *Anno Domini* 1098. A. C. 1098. *Robertus Abbas Moliſmenſis, Monaſteriũ Ciſtercienſe inſtituit auctoritate & conſenſu Hugonis Archiepiſcopi Lugdunenſis & Sedis Apoſtolicæ legati, & Vualterij Cabillonenſis Epiſcopi, & Odonis Burgundiæ Ducis, &c.* Non diſpari poteſtate euocati Cluniacenſes in maius monaſterium Turonenſe, ab Odone Comite Campaniæ, monente Hermengarde vxore ſua, pulſis clericis ſecularibus ob vitæ turpitudinem, auctore Anonymo de geſtis Epiſcoporum Turonenſium, & Abbatum Majoris Monaſterij. Hæc legens noli obſtrepere violatos Canones Eccleſiæ: interfuit Reges, & proceres hâc ætate in diſciplinæ patrocinij ſocietatem vocari.

Cap. XVI.
Ius metati in Epiſcopijs.

Episcopis, etiam ante Conſtantinum, fuit propria & ſtata domus Epiſcopalis, quæ Græcis vocabatur ἐκκλησίας οἶκος. Tempore Aureliani Imperatoris de hæreſi damnatus, & Epiſcopatu abjectus Paulus Samoſatenus, Domino in eius locum adlecto; verùm cùm domo Eccleſiæ exire nollet, μηδαμῶς ἐκστῆναι τοῦ Παύλου τοῦ τῆς ἐκκλησίας οἴκου θέλοντος, inquit Euſebius, adîtus hac de re Aurelianus decreuit, vt domus Eccleſiæ illi tribueretur, cui Italiæ, & vrbis Epiſcopi annuerent. Domus Epiſcopi hoſpitalitatis templum patuit clericis in ciuitatem veniẽtibus & peregrinis: hoc inſtituto in domum lib. 7. hiſt. cap. 24.

Epiſcopalem deduxit, epuliſque excepit Melas Rhino-
curtenſis Epiſcopus etiā Arrianos ſicarios in ſe ſubmiſ-
lib. 6. hiſt. cap. 31. ſos, eiſque miniſtrauit. *αὐτίκα δὲ*, inquit Sozomenus,
*τοὺς ἄνδρας οἷα γε ἐξ ὁδοῦ κεκμηκότας εἰς τὸ ἐπισκοπικὸν
καταγώγιον ὁδηγήσας καὶ τράπεζαν παραθεῖναι. Extem-
plò verò homines eos de via feſſos in hoſpitium Epiſcopale dedu-
xiſſe, menſam appoſuiſſe.* Commendatur & Acacius Be-
rœenſis Epiſcopus, quòd eius domus omni tempore ci-
uibus & peregrinis patens fuerit. τεκμήριον, inquit idem
lib.7.c.27. Sozomenus, *δὲ μεγίστης ἔδωκεν ἀρετῆς παρὰ πάντα τὸν
χρόνον τὸ ἐπισκοπικὸν καταγώγιον ἀνεωγμένον ἔχων.
Argumentum maximæ virtutis dedit, quòd omni tempore aper-
tum habuerit Epiſcopium.* Hinc, gręcis vocatur *οἶκος
ἀσπαστικὸς*: *ſalutatorium*, vt apud Theodoritum Theo-
doſius aditu templi prohibitus ab Ambroſio Mediola-
nenſi, abſtinuiſſe fertur, & abſolutionis petendæ gra-
tiâ Epiſcopum conueniſſe, *ἐν τῷ ἀσπαστικῷ οἴκῳ* inde &
In Leone philoſ. p. 495. & 98. Cedrenus, *μητατόριον*. Noſtri *ſalutatorium*. Gregorius
lib. 2. c. 21. Turonenſis: *Ipſi ſacerdoti* (Eparchio Aruernenſi Epiſ-
copo) *in ipſo quod modò ſalutatorium dicitur, manſio erat,
atque ad gratias Deo nocturno tempore reddendas ad altarium
Eccleſiæ conſurgebat.* Vigente porrò imperio non ſolùm
in clericos & peregrinos, ſed etiam in proceres & præ-
fectos prouinciarū hoſpitalitatem excoluere Epiſcopi,
ep. 371. pacis fouendæ gratiâ inter regnum & ſacerdotium. He-
liæ præfecto Cappadociæ ſcribit Baſilius, Cæſarienſis
Metropolitanus, à fundamentis ſe Baſilicam exſtruxiſſe,
& iuxtà ædes liberas Epiſcopo. *οἴκησιν τὴν μὲν ἐλευ-
θέριον ἐξῃρημένην τῷ κορυφαίῳ*, & clericis ędes ſuas
proximas. *ὧν ἡ χρῆσις κοινὴ πρός τε ὑμᾶς τοὺς ἄρχοντας,
καὶ τοὺς παρεπομένους ὑμῖν; quarum quidem vſus communis*

vobis

vobis, præfectis & familiæ veſtræ. Conſules & præfectos ſæpiùs epulis excipiebat Ambroſius: quo exemplo Vincentius præfectus prætorio Galliarum, Martinum Turonenſem prouocabat ad ſimile officium: *Memini,* inquit Seuerus Sulpitius, *Vincentium præfectum, virum egregium, & quo nullus ſit intrà Gallias omni virtutum genere præſtātior, dum Turones præteriret à Martino ſæpiùs popoſciſſe, vt ei conuiuium in ſuo Monaſterio daret, in quo quidem exemplum beati Ambroſij Epiſcopi præferebat, qui eo tempore conſules & præfectos ſubinde paſcere ferebatur: ſed virum altioris ingenij ne qua ex hoc vanitas, atque inflatio obreperet noluiſſe*: ſuâ laudè non caret humilitas Martini: ſed in Ambroſio aliiſque mirari ſuppetit œconomiam Pauli, qui omnia omnibus factus eſt, vt omnes lucrifaceret, Timotheum circumcidit, κατὰ συμπεριφοράν, vt ſe Iudæis accommodaret, & ſucceſſoribus exemplo ſuaſit, vt his hoſpitalitatis officijs præſides & præfectos delinirent. Nec huiuſmodi epularum vſum damnauit Hieronymus, ſed effuſiorem ſumptum illo loco: *Turpe eſt ante fores ſacerdotis Chriſti crucifixi, & pauperis, & qui cibo quoque veſcatur alieno, lictores conſulum & milites excubare, iudicémque prouinciæ meliùs apud te prandere, quàm in palatio.* In Gallia Francis rerum potitis conſuetudo etiam inualuit, vt reges prouincias luſtrantes, Epiſcoporum tectis exciperentur; Eulogias, ſeu benedictiones ſancti Martini à Gregorio Turonenſi oblatas in ipſius hoſpitio libauit Guntranus: *Manè autem facto* (de ſe teſtis eſt Gregorius Turonenſis) *dum Rex loca ſanctorum orationis gratiâ viſitaret, ad metatum noſtrum aduenit: Surrexi gauiſus fateor ad occurſum eius, & datâ oratione deprecor, vt manſione meâ eulogias beati Martini dignaretur accipere; quod ille*

Dialog. 1. de virtut. Monach. Orient.

Clem. Alexand. lib. 4. Στρωματ.

ad Nepotian.

lib. 8. hiſt. cap. 2.

non reſpuens benigno animo ingreſſus, hauſto poculo admonitis nobis ad conuiuium lætus abſceſſit: Non ingratijs conſuetudinem ratam habuerunt Pontifices Gallicani, ſed eam temperarunt amoto fœminarum contubernio. Concilium Meldenſe: *Vt Epiſcopium quod domus Epiſcopi appellatur, qualiſcumque ſit in oculis Domini Epiſcopus, ipſe tamen à Rege regum rex conſtitutus pro ſanctitate ordinis Epiſcopalis, ſicut ſanctus Gregorius ad Fortunatum docet, Epiſcopum venerabiliter, ac reuerenter introëat, vt ſecundùm ſanctam prædeceſſorum conſuetudinem, quando orationis & debitæ ſuſceptionis gratiâ, in tranſitu conuenienti ciuitatem ingreſſus fuerit, habitaculis Epiſcopalibus reuerenter inhabitet, & non diuerſoria fœminarum magnificentiâ ſua, & religio venerabilis ibidem fieri permittat.* Synodus Ioannis Papæ IX. *Vt paſtus Imperatoris ab Epiſcopis, & Comitibus ſecundùm antiquam conſuetudinem ſoluatur: quòd ſi nouo tempore fiſcus Comitalis in ius Eccleſiaſticum conuerſus eſt, augeatur ſtipendium imperiale ab Eccleſia iuxta quod res publicæ fuerint minoratæ.* Præter ius metati, paſtus, & procurationis iure, nonnullis in Eccleſijs & Monaſterijs vtuntur Reges noſtri, vt in ſancti Theodorici fano poſt ſolennem Rhemis inaugurationem hoc iuris non omiſiſſe Carolum VI. auctor eſt Ioannes Froſſardus, ſcriptor Gallicus: *Si vint le Roy celuy iour, diſner en l'Abbaye ſainct Thierry, à deux lieües de Rheims; car ceux de leans luy doiuent ce paſt, & ceux de la Cité de Rheims le ſacre du Roy.* Idem metati ius, Imperatori & legatis eius ex conſuetudine partum in ædibus Antiſtitum Italiæ, & Germaniæ, ex quo graue diſſidium fluxit inter Adrianum IV. Summum Pontificem, & Fridericum I. nam inter capitula ab Adriano propoſita, illud in primis agitatum fuit, in palatijs Epiſ-

Can. 16.

Can. 9.

vol. 1. c. 60.

coporum non recipiendos nuncios Imperatoris : cui excipiebat Fridericus apud Radeuicum; *Nuncios,inquit, noſtros non eſſe recipiendos in palatijs Epiſcoporum aſſerit, concedo ſi fortè aliquis Epiſcoporum habet in ſuo proprio ſolo,& non in noſtro palatium; ſi autem in noſtro ſolo & allodio ſunt palatia Epiſcoporum, cùm profectò omne quod ædificatur ſolo cedat, noſtra ſunt & palatia.* In Oriente etiam Græculis Ducibus ius metandi in Epiſcopijs, & monaſterijs tributum, ad libidinem ex nutu Nicephori Generalis. Cedrenus: τοὺς στρατιωτικοὺς ἄρχοντας δουλικῶς χρᾶσθαι τοῖς ἐπισκόποις; καὶ κληρικοῖς ἐκέλευσε καταγομένους αὐθεντικῶς ἐν τοῖς ἐπισκοπείοις καὶ μοναστηρίοις καὶ καταχρᾶσθαι τὰ αὐτῶν : *Duces quoque militares iuſſit Epiſcopis & clericis mancipiorum loco vti, propriâ auctoritate, in Epiſcopijs & Monaſterijs diuertere,eorúmque rebus pro arbitrio abuti.* Quid in Gallia? etiam Comites ex conſuetudine ius manſionis, ſiue hoſpitij in domibus Eccleſiarum & cœnobiorum ſibi aſſeruêre:cuius oneris amoliēdi gratiâ,priuilegiū emunitatis à principibus noſtris cōceſſum;cuius formula concepta apud Marculſum : *Statuentes ergo vt neque vos, neque iuniores, neque ſucceſſores veſtri, nec vlla publica judiciaria poteſtas, quocūque tempore, in villis vbicumque in regno noſtro ipſi Eccleſiæ aut regia, aut priuatorum largitate conlatis, aut qui in anteà fuerint collaturis, aut ad audiendas altercationes ingredi, aut freda de quibuſlibet cauſis exigere, nec manſiones, aut paratas, vel fideiuſſores tollere non præſumatis,&c.* Vnde deſcriptum ferè priuilegium Monaſterij Corbeienſis à Clothario datum, quod exſtat apud Sirmundum, & priuilegium Lauriſhamenſis Monaſterij, quod auctorem habet Carolum Magnum, in Chronico Lauriſhamēſi,& tot alia quæ paſſim occurrūt.Sed reue-

lib. 2. de geſt. Frideric. c. 30.

in Niceph. Gen. p. 395.

Lib. 1. c. 32 formul.

to. 1. Conc. Gall.

rentia regiæ emunitatis vix continuit Comites : Pauliacenſem Villam, cœnobij Floriacenſis crebrâ Arnuſti Comitis metatione attritam luget Aymoïnus Floriacenſis : *Nam Arnuſtus quidam fuit vir ſecularis militiæ clarus ſtipendijs, qui ab Archembaldo huius loci Abbate beneficiario iure aliqua ex poſſeſſionibus Monaſterij ſibi tradita poſſidebat : hic oblitus benefactorum, fidei quoque quam ſacramento S. ſpopõderat Benedicto, ac illi pro poſſe famulantibus, monachis Pauliacenſis Parochiæ prædium aſſiduâ exinanibat metatione.* Ideóque Comites ab huiuſmodi metatu arcuit Ioannes IX. in ſuprà laudata ſynodo, damnatâ quâ nitebantur conſuetudine : *Vt domibus Eccleſiarum, neque Miſſus, neque Comes, vel iudex quaſi pro conſuetudine, neque placitum, neque hoſpitium vendicent; ſed in publicis vicis domos conſtituant in quibus placitum teneant, & ſecundùm antiquam conſuetudinem hoſpitentur.*

lib. 2. de mirac. ſancti Bened. c. 5.

Can. 11. c. 1. de immunit. Eccleſ.

CAP. XVII.

Honores in Eccleſia. Relatio nominis in ſacris. Honor proceſſionis, Thuris ſuffitus.

IAM olim ab Apoſtolis inſtituta lex Eccleſiæ fuit, vt myſteriorũ tẽpore plebs ſeorſim ſtaret à clericis, Clemens, vel alius quiſquis auctor eſt conſtitutionum Apoſtolicarum : εἰς τὸ ἕτερον μέρος οἱ λαικοὶ καθεζέσθωσαν μετὰ πάσης ἡσυχίας καὶ εὐταξίας: *Vt laïci in altera parte decenter & quietè ſedeant.* Sed & inter laïcos non vnus, & fortuitus fuit conſeſſus : monachis enim diebus ſolennibus ad Eccleſiam procedentibus (ab initio enim erant extra clerum) proprius extra templi adyta locus fuit, medius

lib. 2. c. 57. c. Sacerdot. de cõſecrat. diſt. 2.

inter clerum & plebem. Dionyſius Areopagita ad Demophilum : Ταῖς δὲ τεταγμένοις θεραπευταῖς, αἱ πύλαι τῶν ἀδύτων εἰσὶν ἀφωρισμέναι. καθ᾽ ἃς τελοῦνται, καὶ παρεστᾶσιν, οὐ πρὸς φυλακὴν αὐτῶν, ἀλλὰ πρὸς τάξιν ἐπίγνωσιν ἑαυτῶν, μᾶλλον τοῦ λαοῦ παρὰ τοὺς ἱερατικοὺς πλησιάζοντες : *Ijs qui Monachi ſunt ordinati, adytorum portæ ſegregatæ ſunt, iuxta quas initiantur, & adſtant, non ad cuſtodiam, ſed vt ordinem recognoſcant ſuum, ſintque ipſo populo propinquiores ſacerdotibus.* Sacris etiam virginibus ijs nimirum, quæ domi virginitatem colebant in Eccleſiam conueniētibus, erat locus ab alijs tabulati interſtitio ſegregatus : Ambroſius ad Virginem lapſam. *Nónne,* ait, *vel illum locum tabulis ſeparatum in quo in Eccleſia ſtabas recordari debuiſti, ad quem religioſæ Matronæ, & nobiles certatim currebant tua oſcula petentes, quæ ſanctiores & meliores te erant?* Seorſim & à viris conſidebant mulieres in Eccleſia : Auctor conſtitutionum apoſtolicarum loco ſuprà laudato : καὶ αἱ γυναῖκες κεχωρισμένως καὶ αὐταὶ καθεζέσθωσαν σιωπὴν ἄγουσαι : *Item vt ſedeant mulieres ſeparatim ac cum ſilentio.* Procedente tempore, vergente in ſenium apoſtolicâ diſciplinâ, laïcis, intrà cancellos (quæ erat ſtatio clericorum) apparere, & ſacræ plebi ſe immiſcere non dubitantibus, ſancitus canon ne laïci templi adyta ingrediantur, dempto Imperatore, cùm altare accederet oblationis gratiâ. Synodus VI. in Trullo : μὴ ἐξέστω τινὶ τῶν ἁπάντων ἐν λαϊκοῖς τελοῦντι ἔνδον ἱεροῦ εἰσιέναι θυσιαστηρίου μηδαμῶς ἐπὶ τοῦτο τῆς βασιλικῆς εἰργομένης ἐξουσίας καὶ αὐθεντείας ἡνίκα δ᾽ ἂν βουληθείη προσάξαι δῶρα τῷ πλάσαντι, κατά τινα ἀρχαιοτάτην παράδοσιν : *Nulli omnium liceat, qui quidem ſit in laïcorum numero, intrà ſacrum altare ingredi, ab eo ta-*

ep. 8. & c. 7. de Hierar. Eccleſ.

ad Virgin. lapſ. c. 6.

Can. 69.

men nequaquam prohibitâ poteſtate Imperatoris, quandoquidem voluerit Creatori dona offerre ex antiquiſſima traditione. ait, ex traditione, id eſt, conſuetudine, quâ vſi Valens & Theodoſius: de Valente Gregorius Nazianzenus. ἐπειδή γε αὖθις τρόπον τινὰ συνεκκλησιάσας ἡμῖν εἴσω τοῦ παραπετάσματος: *Cùm quidem ille neſcio quomodo rurſus nobiſcum in Eccleſiam ſe contuliſſet, & intrà velum extitiſſet.* De Theodoſio inſignis eſt narratio apud Theodoritum: Ob ſtragem Theſſalonicenſium Theodoſius ab Ambroſio Mediolanenſi excommunicatus, templíque aditu prohibitus, verùm emenſâ penitentiâ abſolutus, poſt abſolutionem templum ingreſſus, ex more Sanctuarium inijt, vt munera Deo offerret, poſt oblationem, cùm intrà cancellos maneret cõmunionis gratiâ, per primarium Diaconum ab Ambroſio monitus vt exiret, & inter laïcos conſiſteret, cui monitioni lubens paruit Imperator, palàm obteſtatus ſe non fiduciâ dignitatis manſiſſe intrà cancellos, ſed fretum conſuetudine Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ: quocirca redux Conſtantinopolim, monitionis non immemor, cùm ſolenni die ſacris intereſſet, vbi ſacra dona obtuliſſet ſanctuario pedem extulit, & quærenti Nectario id temporis C. P. cur intus non ſiſteret; ægrè tandem ait ſe didiciſſe ab Ambroſio veritatis magiſtro, quid Imperatorem inter ac Epiſcopum intereſſet. In Gallia multò antè Trullenſem Synodum, Turonenſis II. proſpexerat ne laïcis Presbyterium pateret, niſi communionis gratiâ; ſed nihilo minùs laïci, præcipuè Duces & Comites, aliíque proceres clericorum conſeſſu abſtinuêre poteſtatis inſaniâ, vel conſuetudinis tenaci vinculo: quocirca veterem diſciplinam exſuſcitare tentauit Carolus M. repe-

orat. 20. quæ eſt Funebr. Baſil.

lib. 5. hiſt. c. 17. id. Nicephor. lib. 12. cap. 41.

Can. 4. c. 1. de vit. & honeſt. cleric.

tito canone Turonenſi ſuo in Capitulari. Nec ſenioribus (ſic ea ætas Comites, alióſque Dynaſtas vocabat, ætatis nomine in reuerentiæ autoramentum dignitati accommodato) defuit prouidentia legum & canonum, imò iuſtis in Eccleſia honoribus eos cohoneſtauit Capitulare Caroli M. & Concilium Vuormacienſe iiſdem verbis: *Vt Epiſcopi prouideant, quem honorem Presbyteri pro Eccleſijs ſuis ſenioribus tribuant.* Et Concilium Troſleianum: *Presbyteris noſtris humilitatis exempla, & monita dare debemus, videlicet vt eis, in quorum ditione ſuæ conſiſtunt Eccleſiæ, congruum honorem & obſequium impendant debitum, id eſt ſpiritale, atque Eccleſiaſticum, & hoc ſinè vllo typho vel contentione, aut rebellione:* honorum modus minimè expreſſus eſt, ſed totus Epiſcoporum iudicio relictus. Verùm ſi decurrentis vſus veſtigia obſeruemus, honor, proceſſus, & relatio nominis in ſacris diptychis & thymiamatis oblatio non minores in his partes tenebũt, de quibus ſingillatim ediſſerere non alienum erit ab inſtituto. A primis Eccleſiæ temporibus honos proceſſus, vt loquuntur, ſiue occurſus Epiſcopis à clerô & plebe ſolenni pompâ & exſultatione impenſus. Auguſtinus ad Maximinum Epiſcopum Donatiſtam: *Tranſit honor huius ſeculi, tranſit ambitio in futuro Chriſti iudicio, nec apſidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec ſanctimonialium occurſantium atque cantantium greges adhibebũtur ad defenſionem, vbi cœperit accuſare conſcientia, & conſcientiarum arbiter iudicare: quæ hîc honorant, ibi onerant, quæ hîc releuant, ibi grauant.* Sic Athanaſio ab exſilio redeunti cùm clero plebs Alexandrina obuia occurrit varijs agminibus per ſexus, ætates, & artes diſtinctis. Gregorius Nazianzenus: τοσαύτη τ͂ μνημονευομένης, εἰσόδȣ νῦν ἡ καταπλη-

lib. 7. c. 103.

Capitul. lib. 1. c. 148. Conc. Vuormac. Can. 58.

Can. 6.

ep. 203.

orat. 21. pag. 392.

ξις κατὰ τὰ γένη, καὶ ἡλικίας, καὶ τέχνας διαιρεθέντες φιλοῦσι γὰρ μάλιστα ἡ πόλις αὕτη οὕτω διασκευάζεσθαι ὅταν τινὶ πλέκωσι τιμὴν δημοσίαν : *Tantus eius memoriæ infixi ingreſſus ſtupor; nam per ſexus, & ætates, atque artes diuiſi; amat enim maximè ciuitas illa ad hunc modum inſtrui, cùm publicum honorem alicui adornat.* Sic Epiphanium Cypri Epiſcopum Conſtantinopolim ingredientem, Ioannes Chryſoſtomus C. P. cum ſolenni cleri proceſſione ſuſcepit : ὁ δὲ Ἰωάννης, inquit Sozomenus, εἰσιόντα αὐτὸν τῇ ὑπαντήσει τοῦ παντὸς κλήρου ἐτίμησεν : *Ioannes ingredientem totius cleri proceſſione veneratus eſt.* Sic priſcus Monachorum mos fuit occurſandi Epiſcopis, prælatis ſacroſanctis Euangelijs. Ekkeardus Iunior de caſibus Monaſterij ſancti Galli : *Parat illicò Baſilicam, & aram, parat tapetis, & pallio dorſili caminatam, Euangelio Epiſcopum aliquos qui aderant presbyteros recipere iubet.* Et inferiùs: *Poſt non multùm quoque temporis accidit Petrum etiam Veronenſem Epiſcopum à palatio redeuntem, ſimili loci gratia inopinatum venire; fratres autem ſuſcipientes illum quod melius quidem habebant Euangelium ei offerebant.* Et idem alio loco : *Ad recipiendum enim Epiſcopum cum Euangelio, etiam ſi frater conſcriptus non fuerit, æquum eſſe vt pariter occurrant omnes concordant. Suſcipitur Epiſcopus, Victor Euangelium obtulit ipſi, quod vbi ille oſculatur, Victor reuertitur* : Vnde proceſſionis obſequium inter jura Epiſcôpalia conſtitutum, vt apud Innocentium III. Vuigornienſis Epiſcopus hoc argumento ſuam juriſdictionem tuebatur in Eccleſias vallis de Euesham, & Abbati Eueshamienſi excipienti de poſſeſſione quadraginta annorum, replicabat poſſeſſionem interruptam, *Per proceſſionem Pentecoſtalem in Villa & Eccleſia de Mortana.* Quare exempti à juriſdictione

lib. 8. hiſt. c. 14.

de Caſib. M.S. Galli. cap. 1.

cap. audiτis. de præſcr.

Epiſcopali

Epiſcopali, ſe quoque à proceſſionis onere ſolutos aſſeruerunt. Matthæus Paris: *Eodem anno Clarembaldus ſancti Auguſtini electus* (id eſt Prior ſancti Auguſtini Cantuarienſis) *benedictionem à Thoma Cantuarienſi Archiepiſcopo accipere quærebat, ſed in ſua Eccleſia & ſinè proceſſione, vt ſuſpicio ſubjectionis in poſterum prorſus adempta eſſet.* A. C. 116. Et Auctor Florilegus: *Euſtachius*, inquit, *London. Epiſcopus petijt ab Abbate Guillelmo, & conuentu Vueſtmonaſterij proceſſionem, procurationem, viſitationem, & omnimodam iuriſdictionem propter quæ ad Papam fuit appellatum.* A. C. 1210. Nec ſolùm Pontificibus, ſed etiam Regibus, & principibus à ſacro ordine occursûs honos impenſus, ex antiquiſſima conſuetudine. Alexandro triumphatori Aſiæ Hieroſolymam accedenti, obuiàm factus Iaddus Pontifex ſolenni cum ſtipatu ſacerdotum & plebis, teſte Ioſepho. lib. 11. antiq. Iud. c. 8. Attalum Aſiæ Regem Athenas ingredientem ſacerdotes infulis amicti honorificè excipiunt. Liuius: *Ciuitas omnis obuiam effuſa cum conjugibus ac liberis, ſacerdotes cum inſignibus ſuis intrantem vrbem, ac diui propè ipſi exciti ædibus ſuis exceperunt.* lib. 31. Apud Romanos Imperatori templum ingredienti occurrebat Pontifex, & æditui in limine Principem, Comitéſque luſtrali aquâ inſpergebant, vt de Iuliano produnt Theodoritus, & Nicephorus Calliſtus, & poſteriores Græci die feſto Paſchatis, & alijs ſolennioribus Imperatori eundem cultum deferebant: Codinus; ἐξέρχεται ὁ πρωτοπάπας τῆς ἐκκλησίας μετὰ τοῦ ἀρχιδιακόνου καὶ τινῶν τῶν ἀναγνωστῶν, καὶ δίδωσι λαμπάδα τῷ βασιλεῖ: *Egreditur Protopapa ex Eccleſia cum Archidiacono, & Lectoribus quibuſdam, traditque Imperatori lampada.* lib. 3. hiſt. cap. 15. lib. 11. cap. 1. V. Philoſt. lib. 5. de vit. Apoll. c. 9. de offic. Conſtantinopol. c. 14. Germaniæ Imperatoribus, & Francorum Regibus, perſimilis occursûs honos ab Eccleſia tribu-

lib. 2. hiſt. tus. Diebus feſtis ad Eccleſiam procedebat Otho ma-
V. Saxon. Grammat. gnus, non ſinè ſolenni Cleri occurſu: Ditmarus; *Nam-*
lib. 11. hiſt. Dan. p. 189. *que ſolebat*, inquit, *in ſolennitatibus vniuerſis ad Veſperam, & ad Matutinam, atque ad Miſſam cum proceſſione Epiſcoporum venerabili, deinde ceterorum ordine clericorum, cum crucibus, ſanctorúmque reliquijs, & thuribulis ad Eccleſiam vſque deduci.* Friderico I. Ticinum adeunti, obuiàm proceſſit Epiſcopus cum clero, & Crucis labaro, ſacris
lib. 3. Euangelijs, & thuribulis. Guntherus in Ligurino,

—— —— Non eſt tractabile ſenſu,
Eloquióque meo, quæ gaudia, quantus ab vrbe
Occurſus populi, quo ſcilicet ordine caſtus
Antiſtes, lætiſque ſuo cum Præſule clerus
Veſtibus ornati nitidis precioſa ferentes
Signa Crucis, textúſque ſacros, thuriſque vaporem
Prodierint.

Philippum Auguſtũ ex ſacra expeditione regredientem Pariſios, ſolenniter à clero, & populo cum proceſſione
A.C. 1192. receptum teſtis eſt Florilegus. Imò & iam olim (ne hoc ſileam) Totilæ Gothorum Regi expugnatâ vrbe, templum Diui Petri orationis gratiâ properanti, occurrit Pelagius Pontifex; τὰ τοῦ χριστοῦ λόγια ἐν ταῖς χερσὶ φέρων, *Euangelia in manibus geſtans*, auctor eſt Proco-
lib. 3. de bell. Gothico. pius. Eadem iura affectarunt præfecti prouinciarum, etiam ſtante imperio; ſed dignitati pontificiæ conſuluit Iulianus lege impóſitâ ſuis Pontificibus, ne longiùs præſidibus obuiàm excurrerent, quàm ad limen templi.
Iuliani ep. & apud Sozomenum. lib. 5. c. 15. τοὺς ἡγεμόνας, hæc ſunt verba Iuliani Epiſtolæ ad Arſacium Pontificem Galatiæ, ὀλιγάκις ἐπὶ τῆς οἰκίας ὅρα, τὰ πλεῖστα δὲ αὐτοῖς ἐπίστελλε. εἰσιοῦσι δὲ εἰς τὴν πόλιν ὑπαντάτω μηδεὶς αὐτοῖς ἱερέων, ἀλλ᾽ ὅταν εἰς τὰ ἱερὰ φοι-

τῶσι τῶν θεῶν, ἔισω τῶν προθύρων. ἡγείσθω δὲ μηδεὶς αὐτῶν ἔισω στρατιώτης, ἑπέσθω δὲ ὁ βουλόμενος, ἅμα γὰρ εἰς τὸν οὐδὸν ἦλθε τοῦ τεμένους καὶ γέγονεν ἰδιώτης: *Præſides domi rarò inuiſas, ſed ſcribas ad eos litteras ſæpiſſimè: ingredientibus illis in vrbem, nemo ſacerdos obuiàm prodeat, niſi quando ad templa Deorum accedunt ſolùm intrà veſtibula: eos intrantes nullus miles præcedat; ſequatur autem qui vult, nam ſimul vt ingreditur limen delubri, priuati perſonam induit.* In Gallia Duces & Comites Epiſcopalia & regalia iura ex conſuetudine ſibi aſciuerunt, & occurſus honorem ab Epiſcopis & Clero exegerunt. Gregorius Turonenſis: *Dum hæc agerentur, & Britanni circa vrbes Namneticam vtique, & Redonicam valde ſæuirent, Guntchramnus Rex exercitum contra eos commoueri iuſſit, in quorum capite Beppolenum, & Ebracharium duces delegit, &c. Ebracharius verò vſque Venetos vrbem acceſſit; miſerat enim ad eum obuiàm Epiſcopus Regalis clericos ſuos cũ crucibus, & pſallentio, qui eos vſque ad vrbem deduxerunt.* Et vt intelligas ex conſuetudine ius prognatum, multis pòſt ſeculis audi Theobaldum Comitem Carnotenſem imperãtem monachis ſancti Petri, vt ſibi proximè venturo cum proceſſione occurrant: *Die proxima*, inquit Fulbertus ad Abbonem Floriacenſem, *Comes Theobaldus redit, ſe in Monaſterium recipi cum proceſſione præmandat; monachi reſpondent ſe libenter hoc agere, ſi præſumptorem illum non adduxerit ſecum:* Is erat monachus quidam nomine Megenardus, qui Abbatis dignitatem ambiebat. Haud ſecus in Germania Duces & Comites proceſſus honore nimiùm gloriati ſunt, quę res liuorem Imperatorum ſæpius prouocauit: Multatus ab Othone magno Albertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, quòd Herimanno Saxoniæ Duci regium in modum cum ſolenni pompa obuiàm prodijſſet. Dit-

lib. 10. hiſt. c. 9.

ep. 21.

lib. 2. hiſt. marus : *Interim*, inquit, *Herimannus Dux Saxoniam regebat, poſitáque ad Magdeburg concione ſuſceptus eſt ab Archiepiſcopo, manúque deducitur ad Eccleſiam, accenſis luminaribus, cunctiſque ſonantibus campanis, &c. ob hoc Cæſar Auguſtus maſculè ſuccenſus Alberto per Epiſtolam mandauit Epiſcopo, vt tot ſibi equos mitteret, quot Duci campanas ſonare, vel quot lucernas accendi præceperat.* Aequè & priuatis Eccleſiarum conditoribus honor proceſſionis indultus, ſed à quo tempore, breui excurſu hoc loco diſquirendum. Proceſſionis honorem fundatori adſcriptum

cap. nobis. de iure patronat. Clemens III. deducit ab antiquis canonibus, reſpiciens, nî fallor, vulgatos Gelaſij canones, nempe Can. *piæ mentis*, & Can. *Frigentius*, de quo eum notant recentiores Interpretes, quaſi ad vſum ſui temporis retrotraxerit Gelaſij Canones, & eis abuſus ſit, cùm fundatorem nullo à plebe diſcrìmine habere videantur, ex eo quòd fundatori nihil iuris tribuunt, *præter proceſſionis aditum, qui Chriſtianis omnibus in commune debetur.* Sed ego ſententiam Pontificis audacter vindico : ius patronatus fateor paulatim creuit, vt & alia pleraque iura, nec ab initio in clericorum præſentatione verſatum, ſed in nudo & ſimplici proceſſionis aditu, cum aliqua tamen honoris & dignitatis prærogatiua coniuncto ; & ea ſinè dubio fuit mens Gelaſij : fruſtra enim alioqui fundatori excepiſſet proceſſionis aditum, ſi non aliâ omnino ratione habiturus eſſet, quàm quâ priuatus quilibet, & vnus è plebe. Conjecturam iuuat quòd Gregorius I. ſequenti ſeculo proceſſionis gratiam nuncupauit, quod antè Gelaſius proceſſionis aditum : *Nec antè*, inquit ille ad Felicem Meſſanenſem Epiſcopum, *dedicationis munus impartias, quàm ſuperiùs comprehenſus fuerit ordo donationis*

Can. piæ mentis. Can. Frigentius 16. qu. 7.

lib. 12. ep. 10.

impletus; enunciaturus ex more nihil illic conditori iuris alterius iam deberi, niſi proceſſionis gratiam, quæ Chriſtianis omnibus in commune debetur. Rectè proceſſionis gratiam, in honoris argumentum; ineptè enim gratiam dixeris, quæ fundatori ex æquo cum plebe communis eſſet. Inter dominicos Eccleſiæ honores ſe infert & relatio nominis in ſacris diptychis, quæ ex beneficio quaſi in obſequium Eccleſiæ traducta eſt. Veteris Eccleſiæ mos fuit, vt tam viuorum, quàm defunctorum nomina referrentur in ſacris diptychis, & recitarentur inter ſacra Miſſarum ſolennia, ac quidem principe gradu Sanctorum, & Martyrum nomina: Dionyſius Areopagita; καὶ ἀσπασαμένων ἀλλήλους ἁπάντων ἡ μυστικὴ τῶν ἱερῶν πτυχῶν ἀνάῤῥησις ἐπιτελεῖται: *Cùm omnes ſe interſe ſalutauerunt, myſtica ſanctorum in ſacris tabulis conſcriptorum recitatio fit*: Et Cyprianus ad Clerum. *Denique & dies eorum quibus excedunt annotate, vt commemorationem eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.* De Martino Turonenſi Fortunatus ad Childebertum & Brunichildem. de Eccleſ. Hierarch. cap. 3. epiſt. 37. lib. 10. cap. 10.

Nomina veſtra legat Patriarchis atque Prophetis
Cui hodie in templo diptychus edit ebur.

Sanctorum & Martyrum nomina in recitatione excipiebat nomen Romani Pontificis: Concilium Vaſenſe I. *Et hoc nobis iuſtum viſum eſt, vt nomen Domini Papæ, quicumque ſedi Apoſtolicæ præfuerit in noſtris Eccleſijs recitetur.* Vnde Hadrianus II. ad Epiſcopos Galliæ: *Precamur autem,* inquit, *& obſecramus in Domino, vt crebrò dictum Apoſtolicæ recordationis Papam Nicolaum in codicibus, vel diptychis Eccleſiarum veſtrarum ſcribi, & nomen eius inter ſacra miſſarum ſolennia imprætermiſſè recitari faciatis, ità vt alijs quoque* Can. 2. epiſt. 9.

fratribus & Diœceſeon veſtrarum ſacerdotibus id ipſum agere præcipiatis. Tum recitabantur Patriarcharum & Epiſcoporum nomina; nec illorum nomina è ſacris diptychis expungi potuere, ante damnationis ſententiam: ex quo Conſtantinopolitana Synodus I. & II. ex Balſamone, depoſitionis pœnam infligit Presbytero, ſi ante condemnationem ab Epiſcopi communione receſſerit: καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐν ταῖς ἱεραῖς τῶν λειτουργιῶν εὐχαῖς κατὰ τὸ παραδεδομένον τῇ ἐκκλησίᾳ μὴ ἀναφέρει: *Et eius nomen in ſacris myſteriorum precibus, vt Eccleſiæ traditum eſt, non referat*: Et eâdem ratione Ioannis Chryſoſtomi, quia injuriâ Epiſcopatu pulſus fuerat, nomen ſacris diptychis reſtitutum ab Attico eius ſucceſſore, de quo Socrates: μνείαν Ἰωάννου ἐν ταῖς εὐχαῖς ἐκέλευσε ποιεῖσθαι ὡς καὶ τῶν ἄλλων ἐπισκόπων τῶν κεκοιμημένων εἴωθει γίνεσθαι: *Memoriam Ioannis in precibus iuſſit fieri, ſicut de alijs Epiſcopis defunctis ſolet.* Contrà Epiſcopis ob hæreſim, vel aliam labem à communione ritè faceſſere iuſſis, illicò eorum nomina diptychorum albo eximebantur; vnde Gelaſius, & Anaſtaſius II. vterque ſuis Epiſtolis Anaſtaſium Imperatorem rogant, vt Acacij Conſtantinopolitani à Felice Papa damnati nomen taceretur in ſacris diptychis; quare Vitalis & Miſinus Epiſcopi à monachis, quos Græci ἀκοιμήτους rei poſtulati apud Felicem Papam, quòd Petri Gnaphei Antiocheni de hæreſi damnati nomen recitaretur ἐν ταῖς ἱεραῖς δέλτοις in ſacris tabulis, ex Euagrio. Sic poſtquàm à Nicolao I. depoſiti fuiſſent Guntherius Colonienſis, & Thietgaudus Treuirenſis ſtatim ab eodem emiſſæ litteræ ad Hincmarum Rhemenſem, ne hi in catalogo Epiſcoporum reciperentur: quâ re commotus Hincmarus Pon-

Can. 13.

Socrates lib. 7. c. 25. id. Theod. lib. 5. c. 34.

lib. 3. hiſt. cap. 20.

lib. 3. hiſt. Rhem. c. 13. in fin.

tificem conſulit, teſtē Flodoardo, an Ebonem depoſitum in ſacris Eccleſiæ ſuæ diptychis celebrari par eſſet, necne? Epiſcoporum etiam memoria damnabatur è ſacris diptychis, ſi fortè malè meruiſſent de Eccleſia, vt ſi eam teſtamento prætérijſſent, inſtitutis non ſuis, vel hæreticis. Concilium Africanum : *Item conſtitutum eſt, vt ſi quis Epiſcopus heredes extraneos à conſanguinitate ſua, vel hæreticos etiam conſanguineos, aut paganos Eccleſiæ prætulerit, ſaltem poſt mortem anathema ei dicatur, atque eius nomen inter Dei Sacerdotes nullomodo recitetur.* Nec modò in matricibus Eccleſijs, ſed etiam in Monaſterijs celebrabantur Epiſcoporum nomina : inde eſt quòd inter iura Epiſcopalia, quæ Epiſcopis ſuppetunt in Monaſterijs, Balſamo refert nominum ἀναφορὰν, ſeu relationem. Sacras diptychorum ceras, & relationis ſeriem adornabant nomina Imperatorum, Regum, & Principum, & pro eorum ſalute preces publicæ fundebantur, ex Pauli inſtituto. Tertullianus : *Precantes*, inquit, *ſumus ſemper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcumque hominis & Cæſaris vota ſunt.* Hâc mente Chriſtiani apud Euſebium coram Aemiliano Præfecto Aegypti profitentur ſe orare pro Valeriano & Galieno Imperatoribus. καὶ τούτῳ διηνεκῶς ὑπὲρ τῆς βασιλείας αὐτῶν ὅπως ἀσάλευτος διαμείνῃ. προσευχόμεθα : *Sinè intermiſſione pro eorum regno vt ſtabile & firmum permaneat precamur.* Et Chryſoſtomus in Paulum. καὶ τοῦτο ἴσασιν οἱ μύσται πῶς καθ' ἑκάστην ἡμέραν γίνεται, καὶ ἐν ἑσπέρᾳ καὶ πρωΐα πῶς ὑπὲρ παντὸς τοῦ κόσμου καὶ βασιλέων καὶ πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων ποιούμεθα τὴν δέησιν : *atque id nouerunt fideles*

Conc. Afric. c. 48. Syn. Carth. c. 84. ex Balſam.

in Can. 11. Conſtantinopol. Syn. 1. & 2.

1. ad Timoth. c. 2. Apologet. c. 30.

lib. 7. hiſt. c. 10.

1. ad Timoth. c. 2. homil. 6.

quomodo diebus ſingulis veſpere & manè fiat, quomodo pro omni mũdo & regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt preces facimus. Imò & poſteriori æuo conſuetudo lege ſancitâ.
Can. 7. Concilium Toletanum XVI. *Conuenit vt tam per omnes ciuitates, vel loca, in quibus ſedes Epiſcoporum eſſe noſcuntur ad regni eius ditionem pertinentes, quàm etiam per eorumdem Epiſcoporum diœceſes, excepto paſſionis Dominicæ die, quando altaria denudata perſiſtunt, nec cuiquam in eodem die Miſſarum licet ſolennia celebrare, cunctis alijs diebus quibus idem Dominus noſter in hac vita ſuperſtes extiterit, pro cunctis eius filijs vel filiabus ſacrificiorum Domino libamina dedicentur.* Inualuit & mos Eccleſiæ, vt laïcorum offerentium nomina recitarentur inter miſſarum ſolennia. Innocentius I. ad
ep. 29. Decentium : *De nominibus verò recitandis, antequàm precem ſacerdos faciat, atque eorum oblationes quorum nomina recitanda ſunt ſuâ oratione commendet, quàm ſuperfluum ſit, & ipſe pro tua prudentia recognoſcis, vt cuius hoſtiam necdum Deo offeras, eius antè nomen inſinues; quamuis illi incognitum ſit nihil: priùs ergo oblationes ſunt commendandæ, ac hinc eorum nomina quorum ſunt oblationes edicenda, vt inter ſacra myſteria nominentur, non inter alia quæ antè præmittimus, vt ipſis myſterijs viam futuris precibus aperiamus*: Ex quo factum eſt vt conditorum Eccleſiarum, & benefactorum nomina recitarentur inter ſacra ſolennia. Concilium Emeritenſe:
Can. 19. *Proinde ſalubri deliberatione cenſemus, vt pro ſingulis quibuſque Eccleſijs, in quibus Presbyter iuſſus fuerit per ſui Epiſcopi ordinationem præeſſe, pro ſingulis diebus Dominicis ſacrificium Deo procuret offerre, & eorum nomina à quibus eas Eccleſias conſtat eſſe conſtructas, vel qui aliquid his ſanctis Eccleſijs videntur, aut viſi ſunt contuliſſe, ſi viuentes in corpore ſunt ante altare recitentur tempore Miſſæ: quòd ſi ab hac diſceſſerunt, aut*

diſceſſerint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur ſuo ordine. Hoc honoris delatum Vuillelmo de Ros, Abbati Fiſcanenſi in Monaſterio Vticenſi, in beneficiorum gratiam. Ordericus Vitalis *Nomen eius pro multis beneficijs, quæ Vticenſibus contulit, in rotulo generali ſcriptum eſt, & pro ipſo Miſſas, & orationes, & eleemoſynas, ſicut pro Monacho profeſſo prorſus agi ſtatutum eſt.* Tandem verò à Patronis Eccleſiarum hoc iuris raptim peruenit ad Comites, alióſque Dominos capitales, in quorum ſolo poſitæ eſſent Eccleſiæ, & in hunc vſque diem paſſim receptum in Gallia, nec ſinè ſtulta affectatione; imò & thuris oblatio ex conſuetudine ad Comites & Dominos majores proſilijt ex nimia clericorum adulatione. Thure vnum Deum excolendum docuêre Magi, qui vagientem in cunis Chriſtum thure, vt Deum, ait Nazianzenus, auro vt regem, myrrhâ vt vnum è mortalibus adorarunt. Thus ſacrificiorum omnium condimentum, non niſi altaribus adolendum tempore oblationis, iubet canon Apoſtolorum, víxque ſinè thuris ſuffitu fiebant publicæ preces: non alio ritu Zozimas aſceta apud Euagrium, cognitâ per viſum clade Antiochiæ vrbis, θυμιατήριον ἐζητήσατο, καὶ πάντα τὸν χόρον ἐν ᾧ καθειστήκεισαν ἐπιθυμιάσας ἐπὶ γῆς ἑαυτὸν ῥίπτει, προσευχαῖς τε καὶ λιταῖς τὸν θεὸν ἱλεούμενος: *Thuribulum poſcit, & totum chorum in quo ſimul conſtiterant incenſans ſe humi proſternit, precibus & orationibus Deum placaturus.* A Deo primùm, ad Pontificum cultum & obſeruationem tranſijt thuris religio. Thymiamate excolebatur Conſtantinopolitanus Patriarcha. Nicephorum cùm Proconneſſum in exſilium raperetur, nauigio præteruehi diuino monitu intelligens Theophanes, Abbas ſanctiſ-

lib. 3. hiſt. Eccleſiaſt.

orat. 38. pag. 613.

Can. 4. Apoſtol. lib. 4. hiſt. c. 7. id. Niceph. Call. lib. 17. c. 4.

ſimus, apud Cedrenum, θυμιάμασι καὶ κηροῖς προὔπεμπεν αὐτὸν : *ſuffitu & cereis proſecutus eſt.* Denique thuris nidor vectigalis factus adorationi principum. Solennibus feſtis thure perfundebatur Imperator à Conſtantinopolitano Patriarcha, omnéſque ſimul proceres. Codinus : κατὰ δὲ τὴν ἑσπερινὴν ὥραν ἀπέρχεται εἰς τὴν ἁγίαν σοφίαν ὁ βασιλεύς τε τῶν ἑσπερινῶν ὕμνων ἀκούων θυμιᾶται παρὰ τοῦ πατριάρχου, οὗτός τε καὶ πάντες οἱ ἄρχοντες : *Circa veſperam abit Imperator ad ſanctam Sophiam, audiénſque veſpertinos hymnos incenſatur à Patriarcha, omnéſque ſimul aulici proceres.* Et idem alio loco : θυμιᾷ τοίνυν ὁ πατριάρχης τὸν βασιλέα εἶτα τὸν μὲν θυμιατὸν δίδωσι τῷ ἀρχιδιακόνῳ : *Incenſat Patriarcha Imperatorem, deinde tradit thuribulum Archidiacono.*

pag. 402.

de offic. Conſtantinop. c. 14. n. 17.

eod. c. n. 21.

CAP. XVIII.
Jus amortizationis.

CHRISTIANORVM Eccleſias etiam ante Conſtantinum prædia poſſediſſe, inſinuant non tantùm Pij I. & Vrbani I. Epiſtolæ; ſed & ipſum Conſtantini edictum quo prædia Eccleſijs ablata reſtitui iuſſit, auctore Euſebio. Nec ſolùm parta Eccleſijs Conſtantinus refudit, ſed & eis omnino prædia ex teſtamento capere permiſit. Valens Eccleſijs donatione vel teſtamento quicquam relinqui vetuit; quo alludit Hieronymus ad Nepotianum : *Pudet dicere ſacerdotes idolorum, mimi, & aurigæ, & ſcorta hereditates capiunt, ſolis clericis & monachis hoc lege prohibetur, & prohibetur non à perſequutoribus, ſed à principibus Chriſtianis; nec de lege conqueror, ſed doleo cur meruerimus hanc legem, &c.*

lib. 10. hiſt. c. 5. & lib. 2. de vit. Conſtantini. cap. 39.

l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ.

l. 4. C. Th. de epiſc. & cleric.

l. 20. C. Th. eod.

Et in eandem ſententiam Ambroſius ad Valentinianum : *Nobis etiam priuatæ ſucceſſionis emolumenta recentibus legibus denegantur , & nemo conqueritur ; non enim putamus injuriam , quia diſpendium non dolemus.* Conſtantini verò legem tandem reſtituit Iuſtinianus. Lege cum Gallico imperio natâ , fundi Eccleſijs tranſcribi nequeunt , ſinè conſenſu principis : hoc nomine Chilpericus defunctorum qui Eccleſias inſtituiſſent teſtamenta euertit , & hereditates in fiſcum redegit , aiebat enim plerumque, vt eſt apud Gregorium Turonenſem : *Ecce pauper remanſit fiſcus noſter, ecce diuitiæ noſtræ ad Eccleſias ſunt tranſlatæ , nulli penitus niſi ſoli Epiſcopi regnant,perijt honor noſter,& tranſlatus eſt ad Epiſcopos ciuitatum : hæc agens aſſiduè teſtamenta quæ in Eccleſijs conſcripta erant plerumque diſrupit.* Guntranus verò poſteà hæc teſtamenta reſtituit, & Eccleſias res ſuas ſibi habere lubens indulſit : *Multa & ipſe* , ait Gregorius Turonenſis , *Eccleſijs conferens, teſtamenta quoque defunctorum qui Eccleſias heredes inſtituerant, & ab Chilperico compreſſa fuerant, reſtaurauit.* Conſtans exinde , & perpetua lex manſit , vt reſcripto principis opus eſſet , quo Eccleſia immobilium capax efficeretur. Sic eâdem ætate , ſe & ſua beato Martino obtulit Gundulfus quidam , verùm priùs impetrato præcepto regio : *Tandem* , ait Gregorius Turonenſis, *inſpectis propriæ conſcientiæ noxis , conuerti decreuit ſe , vt humiliatis capillis ipſi ſancto deſeruiret antiſtiti , ſed priùs à rege præceptum elicuit , vt res ſuas omnes baſilicæ traderet viuens.* Hoc pacto & Florus Vice-Comes Andegauenſis Glanafolium Monaſterium poſuit Mauro Benedicti diſcipulo , & latifundijs dotauit priùs exorato reſcripto Theodeberti Regis. Fauſtus in vita beati Mauri apud Surium : *Florus autem accedens ad Regem deprecatus eſt*

ep. 31.

l. ſancimus. C. de Epiſcop. & Cleric.

lib. 6. hiſt. c. 46. Aymoin. lib. 8. c. 59.

lib. 7. hiſt. c. 7.

lib. 3. de Miracul. S. Martin. c. 15.

tom. 1. Ian. 14.

eum, vt præceptum regiæ dignitatis facere iuberet ſuper teſtamentum quod ipſe de proprijs rebus, quas loco illi tradiderat ſcribere rogauerat, quod rex libentiſſimè annuit. Sic Theobaldum Comitem Bleſenſem ſe, & ſua Monaſterio offerentem non admiſit, nuptiáſque ei ſuaſit Nortbertus fundator Ordinis Præmonſtratenſis; quia non latebat eum lege regni feuda non poſſe alienari in Eccleſias & Monaſteria abſque conſenſu principis, & clientum Comitis: *Didicerat autem*, hæc ſunt verba Nortberti vitæ apud Surium, *Principem illum ampliſſimas habere poſſeſſiones, & caſtra quamplurima, nec cuncta facilè poſſe mancipari alicui religioni, tum propter regni munitionem, tum propter aliorum multorum nobilium, qui eius principis beneficiarij erant, deſtructionem.* Nouum valde & inſolens fuit, quòd condictâ in Syriam ſacrâ expeditione ab Eugenio III. is Cruceſignatis, quo faciliùs prædiorum emptorem inuenirent viatici inſtruendi gratiâ, etiam in Eccleſias ius alienandi tribuit, datis hac de re litteris ad Ludouicum Iuniorem Francorum regem, quæ exſtant apud Othonem Friſingenſem hiſce verbis: *Liceat eis etiam terras, ſiue ceteras poſſeſſiones ſuas, poſtquàm commoniti propinqui ſiue Domini ad quorum feudum pertinent, pecuniam commodare aut noluerint, aut non valuerint, Eccleſijs, vel perſonis Eccleſiaſticis, vel alijs quoque fidelibus liberè ſinè vlla reclamatione impignorare.* Idémque poſteà conſtitutum ab Innocentio III. conſcripto altero in Sarracenos delectu, ſe tamen in leges Galliæ molitum fateri coactus eſt idem Pontifex alio loco, cùm prædia ad rectum cœnobij ſancti Germani Pariſienſis dominium ſpectantia, in alias Eccleſias, vel Monaſteria ne alienarentur edixit, vel alienata eiurarentur intrà annum & diem, & ad priuatos poſſeſſores

tom. 3. Iun. 6.

lib. 1. de geſt. Friderie. c. 35. Eugen. III. ep. 1. tom. 3. Conc.

lib. 1. ep. 371.

tranſmitterentur iuxta conſuetudinem Gallicanam : *Præſenti*, inquit, *priuilegio duximus ſtatuendum, vt ſi qui terras ad vos de iure ſpectantes, in quibus portionem habetis, vel campos donatione, aut venditione, ſeu quolibet alio alienationis titulo in aliam Eccleſiam, vel religioſa loca tranſtulerint, Eccleſijs illis, vel locis religioſis vltra annum & diem, eas ſinè aſſenſu veſtro non liceat retinere, ſed iuxta conſuetudinem Gallicanarum Eccleſiarum talibus perſonis precio, ſeu dono concedant, quæ vobis, & Monaſterio veſtro iura veſtra cum integritate perſoluant.* Eodem iure vſi ſunt Germani : inde querelæ aduersùs Gemmelaum Comitem, quòd Gemblacenſe cœnobium feudorum dote ornaſſet, inſcio Imperatore. Sigebert. in vita Guiberti, primi huiuſce loci Abbatis, apud Surium : *Quidam qui bona fidelis Chriſti Guiberti obliquo oculo limabant, aures Cæſaris aduersùs eum appellant, & inuidiosè ei derogantes contra rempublicam eum egiſſe accuſant, quòd Gemmelaus regalem fiſcum majoribus ipſius munificentiá imperiali loco beneficij attributum, in partem proprietatis ſuæ vſurpauerit, & injuſſu Regis fundato ibi cœnobio in ſortem Eccleſiaſtici iuris iniuſtè transtulerit, quod fieri nullomodo lex publica ſinit.* Huiuſmodi legem, ne prædia poſſiderentur ab Eccleſijs, ſolenni die inaugurationis à ſe ſancitam prædicat Otho IV. Imperator, apud Guillelmum Britonem,

Innoc. III. lib. 2. ep. 81.

tom. 3. Maij. 23.

Philippid. lib. 10.

Illo quippe die, quo me diademate primùm
Reddidit inſignem patrum pater imperiali,
Hanc promulgaui legem, inſcriptiſque redactam
Iuſſi per totum ſeruari firmiter orbem :
Eccleſiæ decimas, oblatáque munera tantùm
Poſſideant, villas nobis & prædia linquant,
Viuat vt hinc populus, habeátque ſtipendia miles.

cap.36. His veſtigijs Guillielmus I. Rex Anglorum legem edidit in magna charta, ne priuatis liceret prædia tranſcribere Collegijs Monachorum, ſinè regis permiſſu: legem exſuſcitauit Eduardus I. Matthæus Vueſtmonaſterienſis: *Anno gratiæ M.CC.LXXX. Rex, Pontifices, & Principes Anglicani conuenerunt in vnum, ſtatuentes quòd religioſæ perſonæ in ampliationibus terrarum non creſcerent, dicentes quòd ad detrimentum regni & obſequij militaris feoda militaria & aliæ poſſeſſiones ad religioſorum manum mortuam deuenerunt*: Quod intelligendum ſinè ſpeciali regis licentia, vt expreſſit Thomas Vualſingham. in Eduard. I. A. C. 1276. Hâc lege Anſelmus à Guillelmo II. Rege Anglorum rerum in Anglia Beccenſi cœnobio donatarum amortizationem petijt, nec obtinuit, niſi præſentibus donatoribus, vt ipſe teſtatur lib. 2. ep. 26. in epiſtola ad Fratres Beccenſes: *Quoniam verò Rex chartam noſtram de rebus, quas habemus in Anglia, non niſi præſentibus datoribus, qui non omnes in curia Paſchali affuerunt, voluit confirmare, iuſſit me vſque Pentecoſten ad curiam ſuam, vbi omnes ſimul iam conuenerunt, exſpectare.* Legem porrò ad manum mortuam vocarunt, quòd res ſemel quæſitæ Monaſterijs, velut mortuæ, commercio in perpetuum eximuntur, & hanc legem tenaciſſimè in Anglia ſeruari ſcripſit Polydorus Vergilius. lib. 17. hiſt. Angl. Nec meliùs actum cum Orientali Eccleſia: lex fuit Nicephori Phocæ, ne Monaſteria noua conſtruerentur, ſed conſtructorum cura gereretur, & adjectum, ne quid fundi Eccleſiæ, vel Monaſteria ſibi acquirere poſſent. Zonaras: in Niceph. phoca. idem Cedren. p. 541. & lib. 2. iur. Græco-Rom. ἐνταῦθα καὶ ψήφισμα βασίλειον ἔθετο, ἐν ἀκινήτοις τὰς ἐκκλησίας μὴ ἐμπλατύνεσθαι, καὶ ἡ πρόφασις ὅτι κατ' ἐκεῖνον ὑπὸ τῶν ἀρχιερέων, οὐκ εἰς δέοντα τῶν ἐκκλησιῶν ἀναλίσκονται: *Decreto quoque regio ſanxit, ne fundi Eccleſiarum augerentur, hoc prætextu, quòd in ſuos vſus ab Epiſcopis, non in Eccleſiarum ne-*

ceſſitatem conſumerentur. Nicephori conſtitutionem poſteà ſuſtulit Nouella Baſilij Porphyrogenetæ, vt refert Balſamo; & rurſus eandem reſtituit Emanuël Comnenus, atque adeò exſtructo monaſterio, monachis non prædia, ſed alimenta ex fiſco præbuit, auctore Nicetâ. Eodem iure vſi ſunt Galliæ Comites, & alij proceres, ne quid Eccleſiæ in eorũ territorio, ex donatione, vel alio titulo comparare poſſent ſinè eorum conſenſu, & iurium dominicorum remiſſione. Ordericus Vitalis monachus Vticenſis: *Inter hæc audiens quidam miles bonus de Drocis, Vuado nomine, condonauit Eccleſiam ſancti Michaëlis ſitam ſuper arua in pago Ebroïcenſi, conſentientibus Dominis ſuis, & filijs, & parentibus, & amicis.* Et alio loco: *Tunc Robertus de Laci dedit ſancto Ebrulfo de duabus partibus decimæ de Bernerijs medietatem: Rogerius autem filius eius poſt obitum patris ſuâ conceſſione prædictam eleemoſynam corroborauit, pro qua conceſſione quadraginta ſolidos Drocenſium recepit, & vxor eius decem ſolidos ex charitate monachorum habuit; hoc ſæpe dictus Radulphus qui capitalis Dominus erat gratanter annuit, & conceſſionem à coniuge ſua, ſobol éque benigniter exegit.* Idem ex charta Fulcherij Canonici Carnotenſis: *Etſi de meis hominibus beato Ebrulfo dare, vel vendere aliquis aliquid voluerit, omnibus omnimodo do licentiam, quatenus hoc abſque timore meì facere praualeant.* Et idem ex charta donationis Petri Manlienſis: *Etſi aliquis de hominibus meis aliquid ſanctis, monachiſque in eleemoſynam dare voluerit, quicquid abſque damno ſeruitij mei, & imminutione juſtitiæ meæ datum fuerit, libentiſſimè annuo cum filijs, tali tenore, & tam firmâ conceſſione; vt ſi aliquis ex ipſis pro quolibet reatu feudum ſuum amittat, Eccleſia Dei eleemoſynam quam poſſidet nullatenus perdat.* Et idem rurſus: *Feſza vxor Bernardi*

in Can. 1. Syn. Conſtantinopol. 1. & 2.
lib. 7. annal. p. 228.
lib. 3. hiſt. Eccleſ.
eod. lib.
lib. 5. hiſt. Eccleſ.
eod. libr.
eod. libr.

cæci dedit monachis ſancti Ebrulfi Mãciæ degentibus medietatem terræ ſanctæ Columbæ, tam plani, quàm nemoris: hoc autem fecit concedentibus Dominis ſuis, Gothleno ſcilicet, qui aliam medietatem terræ propter penuriam ſeruicij tunc in dominio tenebat, & Guaſzone de Paxeio qui capitalis Dominus erat. Quantò magis Comites Campaniæ, Andegauenſis, Niuernenſis, & Dynaſtæ Montmorentiaci, hoc ius manus mortuæ ſoluendæ, in Eccleſijs exercuerint ex veteribus tabulis ſatîs ſupérque fidem faciunt Chopinus, Coquilleus, & Quercetanus, aliíque recentiores: Denique inſtar regum noſtrorum Comites, alijque Domini principales paſſim Eccleſias adegerunt, vt incapacitatis noxam luerent, vel fundos dimitterent, quæ res Alexandri IV. expoſtulationem prouocauit, in hæc verba: *Sanè intelleximus quòd in regno Franciæ, communiæ, Scabini, ſeu conſules, & alij Domini temporales, & ij qui juriſdictionem in ipſis communijs, ciuitatibus, caſtris, & villis temporalem exercent, vel quibus in illis commiſſa eſt executio juſtitiæ ſecularis, moleſti ſunt nimiùm Eccleſijs ſuper pluribus, & infeſti; & inter cetera nituntur & ſtudent, vt illis collectas, & tallias, & alia huiuſmodi eædem Eccleſiæ, prætextu bonorum quæ acquiſiuerunt, tribuant & perſoluant, vel extra manum ſuam ponant huiuſmodi acquiſita. Volentes itaque, &c.*

Chopin. de ſacra Polit. lib. 3. tit. 1. n. 8.
Coquil. in hiſt. niuern. pag. 125.
Quercetan. lib. 2. hiſt. Montmor. cap. 6.
cap. 1. de immun. Eccleſ. in 6.

DVCES,

DVCES, ET COMITES PROVINCIALES.

LIBER II.

CAPVT I.

Ius belli.

SVPERIORE libro Ducum & Comitum inſignia quæ verſarentur in rebus ſacris exegimus; nunc in iſto politica & ciuilia proſequemur; primùm de iure belli priuati inſtitutâ diſſertatione. Stante Romanorum Republicâ ſummum belli, pacíſque arbitrium penès ſenatum, populúmque Romanum fuit, nec juſtum bellum ſed latrocinium habitum, quod non autore ſenatu, & injuſſu populi decretum eſſet. Sic Carthaginenſibus bellum indictum ex iuſſu populi. Liuius: *Latum inde ad populum vellent, iuberent populo Carthaginenſi bellum indici.* Nouum & inſolens viſum, quòd Talua prætor de bello Rhodijs indicendo legem rogaſſet inconſulto ſenatu. Liuius: *Sed & prætor nouo, malóque exemplo rem ingreſſus erat, quod antè non conſulto ſenatu, non Conſulibus certioribus factis, de ſua vnius ſententia rogationem ferret, vellent, iubeéntne Rhodijs bellum indici. Quum anteà ſemper priùs ſenatus de bello conſultus eſſet, deinde ad populum latum*: Hac de cauſa à legatis accuſatus

lib. 21.

lib. 45.

lib. 38.

Cn. Manlius apud Liuium, quòd Gallogræcis bellum intuliſſet abſque auctoritate ſenatus, & iuſſu populi. Senatui reſtitutum hoc ius Stiliconi gratulatur Claudianus.

de laud. Stilicon. lib. 1.

Hoc quoque non parua fas eſt cum laude relinqui
Quòd non antè fretis exercitus adſtitit vltor
Ordine quàm priſco cenſeret bella ſenatus,
Neglectum Stilico tot iam per ſecula morem
Rettulit, vt ducibus mandarent prælia patres,
Decretóque togæ felix legionibus iret
Teſſera.

Eâdem diſciplinâ ſubditis populi Romani etiam bello petitis, nefas fuit per ſe proprijs viribus bellum excipere, ſinè Romano duce, exercitúque. Liuius : *Æqui Latinum agrum inuaſerant, oratores Latinorum à Senatu petebant, vt aut mitterent ſubſidium, aut ſe ipſos tuendorum finium cauſa capere arma ſinerent : tutius viſum eſt defendi inermes Latinos, quàm pati retractare arma.* Quid in Republica Aetolorum? non alibi de bello & pace actum, quàm in concilio omnium ordinum quod panætolium dictitabant. Liuius toties laudatus : *Legibus cautum erat ne de pace, bellóve, niſi in panætolico & Pyrrhiaco concilio ageretur.* Summâ rerum Romanarum tranſlatâ ad Cæſares, ſtatim lege Iuliâ majeſtatis ſancitum, ne quis injuſſu principis bellum gereret, delectum conſcriberet, exercitum compararet. Huius legis meminit Dio : ἐκεῖνα δὲ ἐπὶ πᾶσιν ὁμοίως ἐνομοθετήθη μήτε καταλόγους σφᾶς ποιεῖσθαι· μήτε ἀργύριον ἔξω τοῦ τεταγμένου ἐισπράσσειν, εἰ μὴ εἴπι ἡ βουλὴ ψηφίσαιτο, ἢ ὁ αὐτοκράτωρ κελεύσειεν : *Hæ verò leges omnibus ex æquo prouinciarum rectoribus factæ, ne quem delectum*

lib. 2. idem Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 8. antiq. Ro. p. 491. Trebell. Poll. in Probo.

lib. 31.

l. 3. ff. ad l. Iul. majeſt. l. vnic. C. vt vſus arm. inſc. princ. interd.

lib. 53.

militum agerent, ne pecuniam ſupra modum qui conſtitutus erat exigerent, ſenatus, imperatoriſve iniuſſu. Eo nomine à Tiberio in exſilium actus Capito Procurator fiſci in Aſia, quòd militem armaſſet inſcio principe. Dio Caſſius: lib. 57. in fin. τοῦτο δὲ τὸν καπίτωνα τὸν τὴν ἀσίαν ἐπιτροπεύσαντα ἐς τὸ συνέδριον ἐσήγαγε, καὶ ἐγκαλέσας αὐτῷ ὅτι στρατιώταις ἐχρήσατο, καὶ ἄλλα τινὰ ὡς καὶ ἀρχὴν ἔχων ἔπραξεν ἐφυγάδευσε: *Capitonem procuratorem Aſiæ in ſenatum introduxit, & criminatus quòd militibus vſus fuiſſet, aliáque egiſſet quaſi poteſtatem habens, in exſilium miſit.* Francos inter ferrum & arma natos, haud continuit regum majeſtas, quin ſuas, ſuorúmve iniurias bello & armis vlciſcerentur, omiſſo iudice: jámque à prima regum dynaſtia inualuit hoc genus proteruiæ, vt patet ex varijs Gregorij Turonenſis locis. lib. 5. c. 5. & 32. lib. 6. c. 17. lib. 7. c. 47. lib. 8. c. 18. lib. 10. c. 27. Tentauit Carolus M. huiuſmodi bella priuata, (Faidas ea ætas vocitabat) ſancitâ lege coërcere: *Neſcimus*, ait, *quâ pernoxiâ inuentione à nonnullis vſurpatum eſt, vt hi qui nullo miniſterio publico fulciuntur, propter ſua odia, & diuerſiſſimas voluntates peſſimas, indebitum ſibi vſurpant in vindicandis proximis & interficiendis hominibus vindictæ miniſterium, & quod rex ſaltem in vno exercere debuerat propter terrorem multorum, ipſi impudenter in multis perpetrare non metuunt propter odium, & putant ſibi licere ob inimicitiarum vindictas, quod volunt vt Rex faciat propter Dei vindictam.* Capitul. lib. 4. c. 27. & 55. Capitul. lib. 5. c. 180. Tum exemplo aui Carolus Caluus legem inſtaurauit vt faida pacificetur, ſed Francorum ingenio vix vnquam auelli potuit inſana hæc opinio, pulcherrimum per arma vindictæ genus, & indecorum viris fortibus legum inerme præſidium. Capitul. Carol. Cal. tit. 34. c. 10. Ab occaſu Carolinæ ſtirpis, aſſurgente Capetiâ, nondum adultis viribus, magis in dies ſæuierunt priuata inter proceres

bella, & iuſti penè belli ſpeciem æquarunt, ità vt præiret ſolennis indictio, ſeu diffidatio. Iuo Carnotenſis ad Paſchalem II. *Reſponſum eſt ex parte Rotroci neutrum debere fieri, quia munitio illa ei adjudicata erat in curia Comitiſſæ, de cuius feudo erat, cùm iudicio Eccleſiæ ad prædictam curiam hæc cauſa tranſlata eſſet, & prædictus Iuo pro peregrinatione Hugonis minimè erat reddendus, cùm prædictus Juo Rotrocum Dominum ſuum diffiduciaſſet, & prædam eius prior cepiſſet, homines ſuos eâ die quâ captus eſt in vinculis haberet, & ad forisfaciendum eidem armatâ manu militum eâ die procederet.* Quò alludit idem Iuo ad Philippum I. Francorum Regem: *Sed quia exaſperatus propter ſalubres monitus, quos Serenitati veſtræ ex ſumma fidelitate & caritate direxi, me diffiduciaſtis, & bona Epiſcopalis domus diripienda aduerſarijs noſtris expoſuiſtis, grauia & grandia inde perpeſſus incommoda, regali curiæ ad præſens nec ſecurè poſſum intereſſe, nec honeſtè.* Hanc diffidationum licentiam deteſtatur Nicolaus Cuſanus: *Hodie videmus*, ait, *aut confuſionem maximam in ordine iudiciario, aut penitus nullam iuſtitiam, honor honore diſtinguitur à iure, & occupare etiam maxima dominia nobiles licitè ſe poſſe dicunt, vbi poſſeſſorem nihil iuris habuiſſe, neque habere concedunt; per viliſſimum diffidationum modum honorem ſaluari putant, & vi poſt ipſam intimatam diffidationẽ ex quacũque confictâ, aut nullâ cauſâ qualitercumque rapta palàm, aut occultè licitè credunt poſſideri, etiam ſi bona Eccleſiæ, aut Clericorum forent.* Hoc æui furore Gaufridus Torennenſis Comes bello aggreſſus Geraldum Comitem Aureliacenſem. Odo Cluniacenſis: *Godefridus ille Torennenſis Comes, quâdam vice collecto militum agmine feſtinabat vt hunc virum Dei bellando laceſſiret, aut quæ erant iuris illius deuaſtaret, &c.* Gaufridus Martellus

ep. 173.

ep. 10.

lib. 3. de Concord. Catholic. c. 31.

in vit. Geral. lib. 1. c. 37.

Comes Andegauenſis Guillelmum Comitem Pictauienſem diffidauit & bello cepit, triennio in vinculis habuit, & tandem nonniſi duriſſimis conditionibus dimiſit, ex Vuillelmo Pictauienſi, & Glabro Radulpho: Eodem tempore exarſit bellum inter Gaufridum Martellum, & Vuillelmum Nothum Ducem Normanniæ, qua in expeditione Gaufrido operam nauarunt alter Guillelmus Comes Pictauienſis eius priuignus ex Agnete vxore, & Eudo Dux Britanniæ, auctore eodem Vuillelmo Pictauienſi, & Vuillelmo Gemiticenſi: & fatis functo Gaufredo Martello duriſſimum ortum eſt bellum inter eius heredes Gaufredum Barbatum, & Fulconem Rechinum fratres, de hereditate erciſcunda, quod non aliter finem nactum eſt, quàm Gaufridi captiuitate, teſte Aymoïni Continuatore. Eò inſania prorupit, vt clerici quoque à laïcis inſtructâ acie res Eccleſiæ repeterent. Petrus Damiani: *Noſtris quoque temporibus accidit vt in Burgūdiæ regno quidam clericus eſſet ſuperbus nimis ac tumidus, & non modò carnali vitæ ſeculariter deditus, ſed & contra ſuum ordinem terribiliter bellicoſus: hic itaque cùm Eccleſiam Beati Mauricij multis inclytam prædijs, ſuis ditionibus vſurparet; potens autem quidam è diuerſo ſui iuris eſſe non ſinè magna liuoris atque certaminis animoſitate contenderet, tandem belli dies vtroque paciſcente ſtatuitur, & à multis hinc inde frementium armatorum agminibus conuenitur, &c.* Religioſior Iuo Carnotenſis ad Diœceſanos, bellum deprecatur, ne ſuſcipiatur ſui liberandi causâ à Vice-Comite Carnotenſi. *Audiui*, ait, *Primates vrbis veſtræ ad inuicem coniuraſſe guerram ſe facturos aduersùs Vice-Comitem pro mea liberatione, quod nequaquam mea liberatio eſt, nec incluſionis meæ nonſolùm exaſperatio, ſed*

lib. de geſt. Guillelm. Ducis Normann. lib. 4. c. 9.

eod. libr. de geſt. Vuillelm. Ducis. lib. 7. c. 18. & 27.

lib. 5. c. 47.

opuſc. 34. c. 4.

ep. 20.

interminata productio : quare ne fiat prohibeo, interdico.
in Richardo I. Moribus Pictonum tritum refert Rogerus Houedenus, vt nobiles bello & armis cauſas proprias agitarent, ſiue allegarent, vt loquitur. Hinc ſecuta mutua inter Comites fœdera. Anno 1217. ictum fœdus inter Odonem Ducem Burgundiç Theobaldum Comitem Campaniæ cum Blanca eius matre, & Herueum Comitem Niuernenſem ad coërcendos contumaces vaſſallos quo ad
in hiſt. Niuern. p. 122. reſipiſcerent, vt refert Guido Coquille. Cum iure belli, proprius fuit Ducibus & Comitibus clamor militaris, inſtar Regum noſtrorum : regium Francorum ſi-
lib. 12. Eccleſ. hiſt. 1119. gnum fuit, *Meum gaudium*, idiotiſmo *Montioye.* Ordericus Vitalis : *Latitantes verò ſub ſtramine ſubitò proruperunt, & Regale ſignum Anglorum cum plebe vociferantes ad munitionem cucurrerunt, ſed ingreſſi, meum gaudium, quod Francorum ſignum eſt versâ vice clamauerunt.* Et frequentiùs conjunctum Dionyſij diui tutelaris Galliæ nomen, hoc modo : *Montioye ſainct Denis*, vt paſſim occurrit. Comitibus variè clamatum, vel prouinciæ aut principis vrbis ſuæ ditionis, vel diui tutelaris nomen, vel inſignis gentilitij, vt Comiti Toloſano, Toloſa: Raymundus de Agi-
in hiſt. Hieroſolym. les : *Atque illatis ſignis in ciuitatem & acclamatâ Toloſâ, quod erat ſignum clamoris Comitis, diſceſſimus.* Eduardo Duci Aquitaniæ in prçlio Pictauienſi, S. Georgius, Guien-
vol. 1. c. 162. na. Ioannes Froſſardus ſcriptor Gallicus : *Là crioyent aucuns Cheualliers, & Eſcuyers de France, qui par troupeaux ſe combattoient, Montioye ſainct Denys, & les Anglois cryoient ſainct George Guyenne.* Comiti Flandrenſi Flandria ad
vol. 2. c. 69. Leonem, idem Froſſardus : *Là cryoit Flandres au Lyon.* Duci Normanniæ, ſolennis Numinis inuocatio ; Deus adjuuet. *Diex aye Dame, Diex aye.* Comiti Campaniæ

militare celeuſma, *Paſſauant le meilleur.* Ludouico II. Borbonio Duci repetitum carmen, *Noſtre-Dame, Noſtre-Dame.* Dynaſtis Montmorenciacis, *Dieu ayde au premier Chreſtien.* Comiti Altiſſiodorenſi, *Noſtre-Dame Auxerre.* Bertramo Gueſclino, *Sainct Yues Gueſclin*, vel ſæpius, *Noſtre-Dame Gueſclin*, apud Froſſardum: Vaſſallis tamen non licuit bello experiri, niſi priùs petito conſenſu Domini principalis. Auctor vitæ Burchardi Comitis: *Non enim*, inquit, *mos erat, nec eſt Francis in bello aliquomodo introire abſque præſentia, aut iuſſu proprij ſenioris.* Cruore & ſtrage hominum fœda hæc bella, ſed tolerantiâ & conniuentiâ Regum fœdiora. Geſtum inter Gaufridum Martellum, & Guillelmum Normannum bellum modò memoraui, & malo exemplo belli fortunam expertus Guillelmus, pactâ cum Henrico I. Rege Francorum lege, vt quas vrbes, vel caſtra à Gaufrido cepiſſet, vel in futurum caperet, in perpetuum ſibi retineret, vt addit Vuillelmus Pictauienſis. Diutino bello diſceptata controuerſia inter Gaufredum Barbatum, & Fulconem Comites, etiam ſpectante Philippo I. & Vuaſtinenſem pagum à Fulcone abſtentionis ab hoſtis partibus præmium ferente. Rem narrat Aymoïni Continuator: *Poſteà verò motum eſt bellum inter Gaufridum Barbatum, Andegauenſium Comitem, & fratrem eius Fulconem Rechim Comitem Vuaſtinenſium, conquerens ſiquidem prædictus Fulco de fratre ſuo, ſuper eo, quòd ei paruam terræ partem dediſſet Regem adijt, & fideliter compromiſit quòd totum Vuaſtinenſe ei relinqueret, ſi de bello ſibi non noceret. Rex autem ſuper hoc accepto conſilio, quod petebat conceſſit. Inuadens igitur Fulco fratrem ſuum per auxilium Andegauenſium & Turonenſium Baronum, hominum multâ ſtra-*

Quercetan. lib. 1. hiſt. Montmor. c. 4.

vol. 1. c. 220. & vol. 3. c. 222.

in ſuppl. antiq. Pariſ.

loc. citat.

lib. 5. c. 47.

ge factâ eum in campo deuicit, cepit, & vſque ad finem vitæ ſuæ in carcere tenuit; quâ peractâ expeditione Vuaſtinenſe ſicut promiſerat Regi vuerpiuit. Quid D. Ludouicus? graſſantibus bellis inter Comitem Cabillonenſem, & Comitem Burgundiæ, inter Comitem Campaniæ, & eundem Comitem Cabillonenſem partes ſuas interpoſuit, non vt rex contemptę majeſtatis acerbus vltor, ſed vt arbiter, & pacis ſequeſter: MIſſis è comitatu ſuo legatis, qui huiuſmodi lites & ſimultates componerent, vt refert Ioinvilla ſcriptor Gallicus. Imò & Diuus princeps anno 1231. pactis conuentis cum Petro Mauclerc, Duce Britonum, ius belli ei integrum reliquit, vt docet Argentreus. Priuatis bellis iuſtitium indixit Philippus Pulcher, edicto anni M. CCC. III. ſed temporarium, quo ad bellum regium incumberet: & poſt eum Ludouicus Hutinus nobilibus Niuernenſibus belli priuati ius vindicantibus, eo vti minimè prohibuit, ſed de conſuetudine querendum interlocutus eſt, ex fide Guidonis Coquillei. Eodem morbo laborauit Germania, nec bella priuata ſuſtulere Imperatores, ſed his modum impoſuere. Fridericus I. apud Abbatem Vrſpergenſem: *Si liber homo ingenuus, miniſterialis, vel cuiuſcumque conditionis fuerit incendium commiſerit pro guerra propria, pro amico, pro parente, vel cauſa cuiuſquam alterius occaſione de ſententia & iudicio proſcriptioni ſtatim ſubjectus habeatur. Hic excipiuntur ſi qui forte manifeſtâ guerrâ caſtra manifeſtè capiunt, & ſi qua ibi ſub-vrbia, aut ſtabula, aliáve tuguria præiacent igne ſuccendunt.* Et imperante Ludouico Bauaro reſtituta vetus lex Germanię; ne priùs priuatum bellum inferretur, quàm triduò antè denunciatum foret. Froſſardus: *Et fut là endroit renouuellé vn jugement & ſtatut, & affermé qui auoit*

in Chron. D. Ludou. p. 256.

lib. 5. hiſt. c. 17.

Stylus parlam. fol. 183.

in hiſt. Niuern.

ad ann. 1187.

vol. 1. c. 34.

auoit eſté fait à la Cour de l'Empereur le temps paſſé, qui eſtoit tel; que qui vouloit autruy greuer, ou porter dommage, il le deuoit deſier ſuffiſāment trois iours deuant ſon fait, & qui autrement le faiſoit, il deuoit eſtre rattaint de mauuais & vilain fait. Huic reipublicæ labi iam olim vt mederentur Gallicani Epiſcopi anno 1034. primùm in Aquitania, tum in alijs prouincijs, priuatis bellis inducias decreuere, Treugæ Dei nomine, vt ſcribunt Glaber Rodulphus, Sigibertus, Iuo Carnotenſis, & alij: diſſenſit vnus omnium Gerardus Cameracenſis Epiſcopus, cuius ſententiæ ſatîs firigidam rationem affinxit Sigibertus, hanc videlicet; *Genus humanum ab initio trifariàm eſſe diuiſum in orantibus, pugnatoribus, agricultoribus, & vnum duorum, & duos vnius egere auxilio; ideò debere arma ferri, & rapinas reddi pro autoritate legis & gratiæ vltorem percuſſi vel occiſi, non exacerbari cogendo, ſed ſecundùm Euangelium ei reconciliari.* Sed verior & ſanior Gerardo mens ſedit, non Epiſcoporum, ſed regum eſſe de bello & pace cauere: *Hoc enim*, inquit Baldericus Nouiomenſis, *non tam impoſſibile, quàm incongruum videri reſpondit, ſi quod regalis iuris eſt ſibi vendicari præſumerent, hoc etiam modo ſanctæ Eccleſiæ ſtatum confundi, quæ geminis perſonis regali videlicet, ac ſacerdotali adminiſtrari præcipitur; huic enim orare, illi verò pugnare tribuitur: igitur regum eſſe ſeditiones virtute compeſcere, bella ſedare, pacis commercia dilatare; Epiſcoporum verò reges vt viriliter pro ſalute patriæ pugnent mouere, vt vincant orare*: Et hac de re conſultus Iuo Carnotenſis à Daimberto Senonenſi Archiepiſcopo, in huiuſmodi pactis de pace ſeruanda auctoritatem regiam deſiderari agnoſcit; *Treuia Dei non eſt*, inquit, *communi lege ſancita, pro communi tamen vtilitate hominum ex placito,*

lib. 4. c. 5. ad an. 1031. ep. 44.

lib. 3. c. 27. & 52.

ep. 90.

& pacto ciuitatis ac patriæ Epiſcoporum, & Eccleſiarum vt noſtis eſt auctoritate firmata; vnde factum vt milites non ſinè conſenſu regis & Domini capitalis iuſiurandum de pace colendæ
ep. 266. *ſubirent.* Idémque Iuo Carnotenſis, ad Cononem Præneſtinum Epiſcopum: *Suaſit enim Hugo filius Geruaſij propter violatam pacem ſe eſſe iniuſtè excommunicatum, & terræ patris ſui iniuſtè diuinum officium eſſe interdictum, quia dicit eâ die, quâ vocatus erat ad iuſtitiam, ſe à Domino rege ſuo fuiſſe detentum, quæ excuſatio aduersùs pacem violatam apud nos nullius momenti eſt; quia rex & princeps hanc licentiam dederunt militibus ſuis, vt abſolutam fidelitatem iurarent paci & iuſtitijs pacis infra ſeptem dies, quibus moniti eſſent ſe venturos ad iuſtitiam, niſi eos detineret aut proprij corporis inualetudo, aut propriæ perſonæ violenta detentio, nec rege excepto, nec Domino.* Reipublicæ ſaluberrimum fuit huiuſce treugæ conſilium, & cœleſti Mariæ Virginis fabro lignario viſæ ſuffragio comprobatum, & à primoribus Galliæ
A. C. 1183. id. Rigord. de geſt. philip. Aug. ex animo ſuſceptum. Robertus Montenſis: *Anno ſuperiori apparuit Domina noſtra, Mater miſericordiæ, ſancta Maria cuidam fabro lignario opus facienti in quadam ſylua, & obtulit ei ſigillum iconiæ ſuæ, & filij ſui Saluatoris noſtri, cuius ſic conſcriptio erat, Agnus Dei qui tollis peccata mundi dona nobis pacem: & dixit ei, vt ferret illud ſigillum ad Epiſcopum Podienſem, vt prædicaret in prouincia ſua, & alijs circumquaque, vt omnes qui vellent pacem tenere ſanctæ Eccleſiæ, & filijs ſuis, facerent huiuſmodi ſigilla & portarent in ſignum pacis, & facerent alba parua caputia ad oſtentationem pacis & innocentiæ, & dato ſacramento pacem tenerent, & inimicos pacis deſtruerent, quod & factum eſt: nam multi Epiſcopi, & conſules, & viri conſulares & mediocres & pauperes hanc ſectam tenentes pacē tenent, & inimicos pacis perſequuntur.* Feli-

liciter & anteà ſedandis tot ciuilibus Comitum bellis occurrit decreta in Concilio Claromõtano ab Vrbano II. in Syriam expeditio, poſitis ſimultatibus his, in belli ſocietatem coëuntibus. Guibertus Abbas: *Erat eo tempore antequàm gentium fieret tanta profectio maximis ad inuicem hoſtilitatibus totius Francorum regni facta turbatio, crebra vbique latrocinia, viarum obſeſſio paſſim audiebantur; imò fiebant incendia infinita, nullis præter ſolâ & indomitâ cupiditate exiſtentibus cauſis exſtruebantur prælia, & vt breui totum claudam, quicquid obtutibus cupidorum ſubiacebat, nuſquàm attendendo cuius eſſet, prædæ patebat. Mox ergo & mirâ & incredibili, ob inſperabilitatem animorum immutatione commoti, ſignum Pontificis prædicti præceptione indictũ, cruces videlicet ab Epiſcopis & Presbyteris ſibi precantur imponi, & ſicut rapidiſſimi venti impetus, ſola non magna pluuiæ vnda reſtringi; ita illicò contigit ad inuicem ſimultates vniuerſorum, & bella ſopiri per inditam ſibi aſpirationem, haud dubium quin Chriſti.* lib. 2. hiſt. Hieroſol. c. 7.

CAP. II.

Jus Vectigalium. Jndictio quatuor Caſibus. Focagium. Vectigal ſalis. Pedagium.

VIGENTE Romanâ Republicâ nefas fuit Vectigalia inſtitui ſinè ſenatus, populíque auctoritate: Vectigal nouum ex ſalaria annona ſtatuerunt Liuius Salinator, & Claudius Cenſores, auctore Liuio, ſed non ſinè nutu ſenatus, populique. Vectigal quoque in opera publica indictum à Lepido & Fuluio Cenſoribus; verùm auctore ſenatu, ac populo, penès quem ſummum imperium fuit. Liuius: lib. 29.

lib. 40. *Cenſoribus*, inquit, *poſtulantibus vt pecuniæ ſumma ſibi, quæ in opera publica vterentur, attribueretur, vectigal annuum decretum eſt.* Euerſâ Republicâ in populi ROMANI iura ſucceſſerunt Cæſares, & quamprimùm ſancita lex, ne ſinè præcepto principis noua vectigalia inſtituerentur. l. vectigalia. 10. ff. de public. l. vnic. ff. ad l. Iul. de ambit. l. 3. C. vectig. nou. inſt. non poſſ. Auguſti lex fuit, ne præfecti prouinciarum ſupra modum definitum vectigalia exigerent ſenatus, imperatoríſve injuſſu, vt ex Dione, ſuperiori Capite obſeruatum: non immeritò à Gallis apud Auguſtum accuſatus Licinius præfectus Galliæ, quòd vectigalia vltra legem corroderet, lib. 53. & quia vectigalium ratio menſtruis penſionibus diuidebatur, quatuordecim menſes conſtitueret Decembrem menſem, verè decimum dictitans, & duos Auguſtos, menſes vndecimum & duodecimum, & eo nomine pecunias exigeret: ſed periculum à capite amolitus eſt vocato in prædam Auguſto, narrante Dio- lib. 54. ne. Eo nomine inſimulatus Athanaſius apud Conſtantinum, Arrianis doli artificibus, quòd lineam veſtem imperaſſet Aegyptijs, tributi vice: ὡς Ἀθανασίου λινῆν ἐσθῆ- lib. 1. c. 20. τα τελεῖν τοὺς αἰγυπτίους τῇ Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίᾳ κελεύσαντος, inquit Socrates. Lege Francicâ quoque noua ſinè auctoritate principis vectigalia inſtitui vetitum. Ca- lib. 3. c. 12. pitulare Caroli M. de theloneis: *Placet nobis vt antiqua & iuſta tholonea à negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quámque de nauigijs ſeu mercatis; noua verò ſeu injuſta, vbi vel funes tenduntur, vel cum nauibus ſub pontibus tranſitur, ſeu his ſimilia, in quibus nullum adiutorium itinerantibus præſtatur, vt non exigantur, &c. Si quid verò fuerit vnde dubitetur, ad proximum placitum noſtrum, quod cum ipſis miſſis* lib. 4. c. 47. *habituri ſumus interrogetur.* Accedit aliud eiuſdẽ principis; *De injuſtis occaſionibus & conſuetudinibus nouiter inſtitutis,*

ſicut ſunt tributa & tholonei in media via, vbi nec aqua, nec palus, nec pons, nec aliquid tale fuerit vnde iuſtè cenſus exigi poſſit, vel vbi naues ſubter pontes tranſire ſolent, ſiue in medio flumine vbi nullum obſtaculũ eſt, vt auferantur, antiquæ autem ad noſtram notitiam deferantur. Inde deductâ lege Friderici in deſcriptione regalium primos apices tenuit ius vectigalium: Comites tamen & Seniores Galliarum, vergentibus iam præfecturis & beneficijs in dominia, nouis cẽſibus & vectigalibus prouinciales atterere non dubitarunt, quos hac de re increpat Concilium Turonenſe III. cap. vnic. quæ ſunt regal. in vſib. feud. *Admonendi ſunt Domini ſubditorum, vt circa ſuos piè, & miſericorditer agant, vel eos quâlibet injuſtâ occaſione condemnent, non vi opprimant, non illorum ſubſtantiolas injuſtè tollant, nec ipſa debita quæ à ſubditis reddenda ſunt impiè ac crudeliter exigantur.* Can. 39. Imò non defuerunt Comites qui adumbratam religionem in quæſtu ponerent, & ſpecie commeatus Romanæ, vel Turonenſis peregrinationis pecunias à pagenſibus emungerent. Concilium Cabillonenſe II. Can. 45. Burchard. lib. 19. c. 51. *Sunt quidam potentum qui acquirendi cenſus gratiâ, ſub prætextu Romani, ſiue Turonici itineris multa acquirunt, multos pauperum opprimunt, & quod ſolâ cupiditate faciunt, orationum ſiue ſanctorum locorum viſitationis causâ ſe facere videri affectant.* Eò anguſtiarum redacti infelices ruſtici, vt tributis exhauſti migrare compellerentur, & nouas ſedes quærere. Odo Cluniacenſis, in vita Geraldi Comitis Aureliacenſis: lib. 1. c. 24. *Aliquando enim non paucos ex ruricolis obuios habuit, qui derelictis colonijs ſuis in aliam prouinciam tranſmigrabant; quos cùm recognouiſſet, & quónam cum ſua ſupellectile tenderent inquiſiſſet, reſponderunt, quòd iniuriati fuiſſent ab eo cùm ipſe beneficiauerat eos. Milites verò qui obambulabant principi ſuadebant, vt eos verberari iuberet, & ad do-*

munculas vnde diſceſſerant redire compellerent, ſed ille noluit,&c. Ergo permiſit eos abire quò ſibi commodius putarent, & dedit licentiam conuerſandi. Nec feliciùs audierunt ſecutæ ætatis Comites, & proceres. Petrus Venerabilis in Apologia Cluniacenſium, ad Bernardum Claruallenſem: *Patet quippe cũctis qualiter ſeculares Domini ruſticis, ſeruis, & ancillis dominentur; non enim contẽti ſunt eorum vſuali & debitâ ſeruitute, ſed & res cum perſonis, & perſonas cũ rebus ſibi ſemper immiſericorditer vẽdicant; inde eſt quòd præter ſolitos cenſus ter, aut quater in anno, vel quotiens volunt, bona ipſorũ diripiũt, innumeris ſeruitijs affligũt, onera grauia & importabilia imponunt, vnde plerumque eos etiam ſolum proprium relinquere, & ad peregrina fugere cogunt, & quod deterius eſt, ipſas perſonas, quas tam charo pretio, hoc eſt ſuo Chriſtus ſanguine redemit, pro tam vili, hoc eſt pecunia venundare non metuunt.* Et Cæſarius Heiſterbachcenſis: *Vacca*, inquit, *ipsâ ſuâ inquietudine, & depaſtione, nobiles & aduocatos temporis noſtri deſignat, qui domos & agros ſubditorum hoſpitando depaſcunt, & per aſſiduas exactiones quas in illos faciunt, in ſubſtantia recreſcere non ſinunt.* Hoc iure vſus Comes Toloſanus, vt pedagia, guidagia, ſalinaria, & alia huiuſmodi in ditionis ſuæ finibus inſtar regum exigeret; quam ob rem anathematis minis territus à Milone legato ſedis Apoſtolicæ, de iuſto vectigalium modo Innocentium III. ſummum Pontificem conſuluit, & ab eo reſcriptum tulit, non ferenda cenſeri vectigalia quæ principis beneficio, vel conſuetudinis centenariæ ſuffragio deſtituerentur. *Præterea*, inquit, *cùm pedagia, guidagia, ſalinaria, tibi legatus interdixerit memoratus, auctoritate Apoſtolicâ duximus declarandum, illa eſſe pedagia, ſalinaria, guidagia interdicta, quæ non apparent Imperatorum vel*

lib. 1. ep. 28. vide Ioan. Saresb. policrat. lib. 6. cap. 1.

lib. 2. Mirac. c. 7.

cap. ſuper quibuſdam. ex. de verb. ſig.

Lateranenſis Concilij largitione conceſſa, vel ex antiqua conſuetudine à tempore cuius non exſtat memoria introducta. Nec alio iure quàm conſuetudine ius collectam exigendi euindicaſſe Abbatem ſancti Germani de Pratis, auctor eſt Stephanus Tornacenſis : *Abbas*, inquit, *S. Germani de Pratis per ſingulos annos in terra ſua moderatam collectam habet, & habuit, iure conſuetudinis cenſum ſibi debitum & recipit & recepit; & ecce quodam motu ſatellites Palatini prohibent hominibus & hoſpitibus Eccleſiæ prædictæ ne ſoluant, quod ipſi ſoluerunt & patres eorum.* Vnde factum vt ſæpius feudo exheredati, id eſt multati ſint Comites & alij Domini principales ob malas conſuetudines, id eſt nouas & improbas exactiones. Robertus Montenſis: *Vuillelmus Talauacius Comes Sagienſis, & filius eius Ioannes, & item Ioannes nepos eius, filius Guidonis primogeniti ſui Comitis Pontini, conceſſerunt regi Henrico caſtrum Alenceium & Roccam Mabirit, cum eis quæ ad ipſa caſtella pertinent; & forſan ideò prædictas munitiones perdiderunt, quia malas conſuetudines ipſi & eorum interceſſores diu ibi tenuerant, quas Rex Henricus ſtatim meliorari præcepit.* Porrò iura dominica, conſuetudines, ea ætas dictitauit, quòd plerumque haud alio titulo, quàm moribus niterentur : Goffridus Vindocinenſis ad Paſchalem II. *Sunt enim*, inquit, *in partibus noſtris quidam ſatis nobiles genere, ſed multùm ignobiles actione, mihi quidem carne propinqui, at moribus & vitâ loginqui; hi de rebus Monaſterij, cuius licèt indignus curam gerere videor, peruerſas quaſdam exactiones, ſiue conſuetudines extorquere laborant, quas prædeceſſores eorum longè ante per violentiam rebus ipſis impreſſerant :* Et Robertus Montenſis : *Rotrocus Epiſcopus Ebroïcenſis, & Reinaldus de ſancto Valerico in Normãniam recognoſcere miſſi ſunt iuſſu Regis per*

ep. 187.

ad A. C. 1166.

lib. 1. ep. 2.

ad ann. 1164.

Epiſcopatus, regales reditus & conſuetudines ad Regem & ad Barones pertinentes. Et longè ante Synodus Meldenſis :

Can. 19. *Vt ab Eccleſijs veſtræ ditioni ſubiectis indebitas conſuetudines & iniuſtas exactiones de cetero non exactetis.* Eâdem ratione Græcis συνήθεια vocantur enthroniaſtica, id eſt quæ

Nou. Iuſt. 123. Nou. 1. Alex. Comn. lib. 2. iur. Græco-Rom. offerebantur pro introitu ſacerdotij, vel quæ ordinationis nomine, ex Nouellis Iuſtiniani, & Alexij Comneni. Inter Regalia ſe habet ius indicendi tributi quatuor vulgatis caſibus, nempe pro dote filiæ primogenitæ, pro militia nati, id eſt equeſtris dignitatis acceſſione; pro tranſmarina expeditione, vel redemptione capti ab hoſtibus. Hoc iure Vuiſigothorum Regi nubente filiâ Chilperici Regis, ei à Francis oblata munera. Gregorius Turonenſis : *Franci verò multa munera obtulerunt alij aurum, alij argentum, nonnulli equos, plerique veſtimenta, & vnuſquiſque vt potuit donatiuum dedit.* Et ex Gallia in Angliam deducto more; Henrico III. Anglorum Regi oblatum ſcutagium, ob collocandam ſororem

cap. 1. quæ ſunt regal. in vſibus feud. lib. 6. hiſt. cap. 45. id. Aimoin. lib. 3. c. 56.

A. C. 1242. primogenitā Friderico II. Imperatori : teſtis Matthæus Paris : eidem conceſſum ſubſidium ob collocandam

A. C. 1244. primogenitam filiam. Matthæus Paris : *Tandem vnanimiter cùm nullo modo ad aliam formam poſſent flecti, conceſſerunt Domino Regi ad maritandam filiam ſuam primogenitam de omnibus qui tenēt de Domino Rege in capite de ſingulis ſcutis viginti ſolidos ſoluendos, ſcilicet medietatem ad Paſcha, & aliam ad feſtum ſancti Michaëlis.* Pro militia filij Eduardo I. erogata triceſima rerum à clero & plebe : Mat-

ad ann. 1306. thæus Vueſtmonaſterienſis : *Die autem craſtinâ cinxit Rex filium ſuum baltheo militari in palatio ſuo, & dedit ei ducatum Aquitaniæ, &c. pro hac autem militia filij Regis conceſſus eſt Regi trigeſimus denarius à populo & clero : mercato-*

res

res verò viceſimum conceſſerunt. Vtriuſque indictionis ius, id eſt auxilia faciendi filium ſuum militem, & filiam ſuam maritandi, vt Thomæ Vualſingan verbis vtar, remiſit Eduardus III. in vitæ tempus. Proua militari expeditione ſolennis fuit Francis, & eorum exemplo, Germanis Regibus indictio, quam fodrum vocarunt. Otho Friſingenſis: *Mos enim antiquis*, inquit, *ex quo imperium Romanum ad Francos deriuatum eſt ad noſtra vſque deductus eſt tempora, vt quotieſcumque reges Italiam ingredi deſtinauerint gnaros quoſlibet de familiaribus ſuis præmittant, qui ſingulas ciuitates, ſeu oppida peragrãdo, ea quæ ad fiſcum regalem ſpectant, quæ ab accolis fodrum dicuntur, exquirant.* Hoc onere iam olim Aquitanos leuauit Ludouicus pius, tum Rex Aquitaniæ. Aimoïnus: *Inhibuit à plebeis vlteriùs annonas militares, quas vulgò foderum vocant, dari.* Difficillimis Reipublicæ temporibus, cùm in hoſtium poteſtate eſſent D. Ludouicus, Ioannes, & Franciſcus I. pro eorum redemptione vltrotributa vſurpata; in Anglia pridem capto Richardo I. à Leopoldo Duce Auſtriæ, diuiſa in clerum & plebem collatio, liberandi principis gratiâ, etiam annuente Innocentio III. Pontifice. Hæc iura ex indulgentia principum, vel vſurpatione paſſim in ſe tranſtulere Comites, & alij proceres, & hoc eſt, quod noſtri vocant, *Droit de Taille ez quatre cas.* Fodrum eos exegiſſe à ruſticis inſinuat Lucius III. Pontifex, cùm Eccleſiarum aduocatos notat, quòd ab ijs fodrum, albergarias, regium & ſimilia, tamquam à proprijs ruſticis extorquerent. Solenne vectigal indixit Philippus Dux Burgundiæ, ob tyrocinium militare Ioannis, filij Comitis Niuernenſis, & vaſſallos adegit, vt filio præſtò eſſent ſuis ſtipendijs in expeditione Hungarica, vel

in Eduard. 3. ad ann. 1339.

lib. 2. de geſt. Frid. c. 13. add. Radeuic. lib. 2. c. 10

lib. 5. c. 4.

Rog. Houeden. in Richard. I. Innoc. III. lib. 2. ep. 406. P. Bleſen. in epp.

cap. præterea. de iur. Patron.

vol. 4. c. 68. militiæ onus collatitio ære redimerent, teſte Froſſardo. Non aliena iura ab obſequijs Romanorum clientum in patronos, quorum præcipua erant, egentem patronum pecuniâ iuuare ob nuptias filiæ, vel ſi bello captus ob
lib. 2. antiq. Rom. λύτρον ſoluendum. Dionyſius Halicarnaſſæus: τοὺς δὲ πελάτας ἔδει τοῖς ἑαυτῶν προστάταις θυγατέρας τε συνεκδίδοσθαι γαμουμένας, εἰ σπανίζοιεν οἱ πατέρες χρημάτων καὶ λύτρα καταβάλλειν πολεμίοις εἴ τις αὐτῶν ἢ παίδων αἰχμάλωτος γένοιτο: *Clientum erat patronos in elocandis filiabus iuuare, ſi pecuniâ parentes deficerent, ſi vel ipſi, eorúmve filij capti eſſent pretium redemptionis hoſti ſoluere.* Regalibus etiam ſe infert cenſus capitis, quem noſtri, focagium dicunt, Græci *καπνικὸν*; quod genus vectigalis primùm inſtitutum à Nicephoro Generali. Zonaras:
in Niceph. General. Cedren. p. 394. τούτου καὶ ἡ τοῦ καπνικοῦ ἐπίθεσις ἐννόημα κάκιστον ἐπαχθεῖτο τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν καὶ πτωχείων γηροκομείων τε καὶ μοναστηρίων παροίκοις, καὶ παντὶ μήτε γῆν ἔχοντι μήτε τέλος: *Huius etiam fumarij impoſitio inuentum peſſimum paræcis Eccleſiarum, Monaſteriorum, ptochiorum, & gerocomiorum mandati, & cuiuis neque fundum, neque reditum habenti.* Solenne Francis vectigal ab antiquo Focagium, & ex Gallia ni fallor libatum ab Hieroſolymitanis Regibus.
lib. 22. de bell. ſacr. c. 23. Vuillelmus Tyrius ex forma colligendi cenſus: *Si verò prædicti quatuor ſelecti, qui ad hoc deputati ſunt, cognouerint pro certo, quòd alicuius ſubſtantia non valeat centum Byſantios accipiant ſuper eum Foagium, id eſt pro foco byſantium vnum.* Focagium imperauit Carolus V. Hoc iure vſi & Comites, aliíque Domini capitales in ſubditos. Flodoardus:
lib. 4. hiſt. Rhem. c. 49. *Quidam vir illuſtris cùm duxiſſet vxorem, &c. Ille nutu Dei compunctus ad miraculum vouiſſe traditur ſe vlteriùs mulierem non habiturum, familiámque vxori delegatam eidem addicens*

Eccleſiæ, hanc eis dedit legem, vt capitis cenſum ibidem dependerent, nùllique præter id obnoxij ſeruitio forent. Focagium, ſiue capitis cenſum, Aquitanis indixit Eduardus princeps Vualliæ, & Dux Aquitaniæ, ſed expoſtulantibus prouincialibus ob id proſcriptus, iudicio Parium Francorum, vt narrat Froſſardus. In Oriente Duces interdum *καπνικὸν* meruerant ex beneficio imperatorum: vol. 3. c. 241. 2, 6. 279.
vt Olbiano, & Cataquila ducibus ob egregiè nauatã in bello operam aduersùs Thomã perduellem, huius vectigalis prouentum conceſſit Michaël Balbus: Cedrenus. pag. 411.
οἷς τισιν ἀπονέμων ἀμοιβὰς ὁ βασιλεὺς, τὸ εἰς τὸ βασιλικὸν ταμιεῖον εἰσαγόμενον δημόσιον τέλος ὁ καπνικὸν καλεῖν εἰώθασιν ἐδωρήσατο. *Ideóque Imperator referendæ gratiæ causâ publicum vectigal, quod fumarium dicitur, & in ærarium principis inferri ſolebat, ijs dono dedit.* Regalium cenſum auget vectigal ſalinarum: hoc genus vectigalis primùm Romæ ab Anco Martio inſtitutum, auctore Plinio, lib. 31. c. 7.
exactis Regibus vnà ſublatũ. Liuius: *Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenſo pretio venibat in publicũ, omni ſumptu ademptum priuatis, portorijs quoque & tributo plebe liberatâ:* lib. 2.
Tum à Liuio & Claudio Cenſoribus reſtitutum, vnde Liuio inuſtum Salinatoris cognomen, vt prodit Liuius, lib. 29.
& inde vectigal ſalis inter publica vectigalia & Regalia cenſitum. In Gallia vectigal ſalis anno M. CCC. XLIII. primùm à Philippo Valeſio inſtitutum. Continuator Vrſpergenſis: *Hoc tempore Philippus Galliarum Rex intelligens lucri bonum odorem ex quauis re eſſe, tributum ſalis inſtituit, argutum inuentum, quò nemo liber à tributo eſſet: hinc enim Regibus quotannis pecunia ingens penditur:* Sed ante illum etiam Comites prouinciales, in quorum ditionibus fuêre ſalinæ, ex conſuetudine vectigal ſalis exactita-

l. inter publica. ff. de verb. ſig. c. vnic. quæ ſint reg. in vſib. feud.

vectigal ſalis exactũ à Ioan. 1355. Froſſ. vol. 1. c. 155.

de ſalinis Narbonenſ. Rutil. Numat. itiner. lib. 1. runt: vt ſalinaria pendebantur Comiti Toloſano, de quo reſcriptū Innocentij III. quod ſuprà attigimus, eiúſque vectigalis tenaciſſimum fuiſſe exactorem, teſtatur priuilegium emunitatis Caſtri Bellicadri à Raimundo Comite Toloſano conceſſum anno 1217. in quo oppidanis omnia vectigalia remittuntur, dempto pedagio ſalis. Tēporibus D. Ludouici vectigal ſalis à ſuis prouincialibus exigebat Carolus Rex Siciliæ, & Comes Prouinciæ, ep. 161. ex Cod. M. S. de quo eum perſtrinxit Clemens IV. Epiſtola ſua : *Sed nihilominùs*, inquit, *de alijs quæ non ità omnino nouimus, reddimus te ſolicitum, de Gabellis ſalis videlicet, quarum originem vidimus vitioſam, in his etiam quæ veteres appellantur vt de alijs taceamus, quæ tuo ſunt tempore, ſicut videtur, in multorum præiudicium introducta.* De Regalibus ſunt etiam portoria & pedatica: verùm ex conceſſione principum, vel vſurpatione peruenerunt ad Comites, alióſque proceres, vel etiam ad Eccleſias; vt beneficio Caroli Magni hæc conceſſa Monaſterio ſancti Germani de Pratis, lib. 5. c. 1. apud Aimoïnum: *Portum donamus, qui eſt intrà pagum Senonicum & Milıdunenſem, &c. ità vt nullus inibi portum, nec aquam habeat, niſi iam dicta poteſtas almi Germani, neque Theloneum, aut Rotaticum, ſeu Vultaticum, Ceſpitaticum, Ripaticum, vel Salutaticum cuiquam accipere liceat.* Pedagio Pontiſarenſi potiebatur Burchardus de Montemorenciaco, cuius reditus diuiſit in Eccleſiam Cluniacenſem, & ſancti Martini de Campis, ſanciente Ludouico Iuniori. In Martinianis : *Centum etiam ſolidos Eccleſiæ Cluniacenſi, & quadraginta ſancti Martini de Campis, quos dedit Burchardus de Monte-morenciaco de pedagio ſuo, quod eſt in camino Pontiſarenſi.* Eo nomine Comes, dominúſve qui pedaticum exigit, tenetur præſtare viam tutam à

latrocinijs, & damna paſſis ſarcire. Vetus id Sabaudiæ inſtitutum, & ab Henrico III. traductum in Angliam ſcribit Matthæus Paris : *Prætereà prouidit Rex de conſilio Sabaudienſium, vt ſi quis obiter ſpoliaretur, vel quomodolibet à latrone damnificaretur, ipſi, quibus incumbebat eminentiùs patriæ cuſtodia, cæſo ſatisfacerent competenter, & amiſſa ſecundùm conſuetudinem Sabaudicam reſtituerent : & hoc facto malefactores inſequentes, patriam mundarent ab eiſdem.* Altiùs repetendum hoc ius ex veteri conſuetudine Galliæ, & Hiſpaniæ, quâ vicani proximiores loci in quo latrocinium factum eſſet, latrones exhiberes aut noxam luere compellebantur. Ariſtoteles : ἐκ τῆς ἰταλίας φασὶν ἕως τῆς κελτικῆς, καὶ κελτολιγύων καὶ ἰβήρων εἶναί τινα ὁδὸν ἡράκλειαν καλουμένην δι᾽ ἧς ἐάν τε ἕλλην, ἐάν τε ἐγχώριός τις πορεύηται, τηρεῖσθαι ὑπὸ τῶν παροικούντων ὅπως μηδὲν ἀδικηθῇ, τοὺς γὰρ ζημίαν ἐκτίνειν καθ᾽ οὓς γένηται τὸ ἀδίκημα. *Ex Italia ferunt viam ad vſque Celtas Gallos, & Celtiberos protendi, Herculeam vocant, in qua & Græci, & indigenæ tranſeuntes ab incolis obſeruantur, ne quid ijs malè fortè accidat; quippe quòd damnum ij ſarciunt apud quos datum fuerit.* Quâ ratione Cumanus procurator Iudęæ, & direptâ à latronibus cuiuſdam ſerui Cæſaris ſupellectile, vicanis proximis obijciebat quòd latrones illos non comprehendiſſent, apud Ioſephum : κούμανος δὲ περιπέμψας τοὺς ἐκ τῶν πλησίον κωμῶν δεσμώτας ἐκέλευσεν ἀνάγεσθαι πρὸς αὐτὸν, ἐπικαλῶν ὅτι μὴ διώξαντες τοὺς λῃστὰς συλλάβοιεν : *Cumanus autem circùm mittens eos, qui in proximis vicis eſſent, vinctos ad ſe adduci iuſſit, obijciens quòd latrones illos non comprehendiſſent.* δεσπώτας, legit Cuiacius hoc loco, pro δεσμώτας : conuenientiùs ratus damnum imputari vicorum Dominis quàm vicanis, ſed nihil mo-

A. C. 1253.

lib. de mirabil. auſcult.

lib. 2. de bell. Iud. c. 11.

obſeru. lib. 19. c. 11.

uendum : nam & lege Græcorum homicidio patrato in agro, cuius auctor neſciretur, vicinam plebem luſtrari opus erat. Demoſthenes : τοὺς δ' ἀπογινομένους ἐν τοῖς δήμοις, οὓς ἂν μηδεὶς ἀναιρῆται, ἐπαγγελλέτω ὁ δήμαρχος τοῖς προσήκουσιν ἀναιρεῖν, καὶ θάπτειν, καὶ καθαίρειν τὸν δῆμον, τῇ ἡμέρᾳ ᾗ ἂν ἀπογένηται ἕκαστος : *Qui verò in municipijs deſiderantur quos nemo ſuſtulerit, eos indicet tribunus cognatis vt tollant, & ſepeliant & populus eo die luſtretur, quo ſinguli deſiderati fuerint.* Non abs re igitur incerti autoris ſcelus vicanis proximioribus reputabatur, quia etſi crimen ad paucos, eius ſuſpicio & inuidia ad omnes vicinos pertinebat. Regalibus addatur ius piſcandi in fluminibus publicis, & vectigal ex eo ; ideò bennæ Regiæ, ſeu piſcatoriæ in fluminibus inſtitutæ, & aliquando Regum nomine inſignitæ. Helgaldus Floriacenſis : *Ecce venientes ad portum Sequanæ, qui dicitur Caroli benna, hoc eſt piſcatoria, quæ erat difficultate tranſmeabilis.* Ex piſcatura Byſantina Imperatoribus accedebat vectigal, non minùs annuis decies mille aureis, quod auo in annonam Andronicum juniorem aſſignaſſe refert Nicephorus Gregoras. Ex captura Halecum, & aliorum piſcium acerbè exactum vectigal ab Henrico III. Anglorum Rege non reticet Matthæus Paris : *In his omnibus adeò tyrannizat & ſtudet deſæuire, vt etiam in littore maris pauperum piſcatorum Halecia, vel alios piſces, non permittit ad arbitrium illorum negotiando pertrectari, nec audent in maris confinio, vel ciuitatibus comparere ſpoliandi, tutiùs ſe arbitrantes fluctibus procelloſis vlteriora littora repetendo.* Sæuius cum piſcatoribus fiſcus, quàm mare, quibus fluctus parcunt, fiſcus non parcit. Sed & in locis vbi piſcatio in fructu eſt, vt in oris maritimis deci-

in orat. in Macartatũ.

l. inter publica. ff. de verb. ſig. c. vnic. quæ ſint, reg. in vſib. feud. Caſſiod. 5. var. 16.

in vit. Robert. R.

hiſt. lib. 9.

in Henrico 3. 1248.

mam ex ea ſibi Eccleſia vindicat, cui adſtipulatur Corcyræorum religio, quos piſcationis Thynnariæ decimam, δεκάτην τ̃ ἄγρας quotannis Ioui Olympio, & Apollini Delphico miſſitaſſe auctor eſt Pauſanias. A fiſco in Comites, & alios proceres etiam Eccleſiaſticos tranſijt ius piſcaturæ, & vectigal ex ea, regum beneficio, vel conſuetudine; vt in Abbatem ſancti Vincentij Villa regia Iſciacus, cum piſcatoria Sequanæ dono Childeberti Regis, apud Aimoïnum: *Concedimus noſtrum fiſcum largitatis noſtræ qui vocatur Iſciacius, qui eſt in pago Parrhiſiorum prope alueum Sequanæ, &c. cum piſcatoria, quæ appellatur Venna, cum piſcatorijs omnibus quæ ſunt in ipſo alueo Sequanæ, &c.* In Abbatem Floriacenſem piſcatoria Ligeris, munere Roberti Regis. Helgaldus: *Prætereà Patri Benedicto, & ſuis piſcatoriam Ligeritti fluminis beniġniſſimus adtribuit, ſcripto firmauit, & ex his nil aliud quàm interceſſionis illius quæſiuit ſuffragia.* In Abbatem ſancti Martini à Campis, gordum, ſiue piſcatoria Piſciacenſis in Sequana dono Ludouici Craſſi. Martiniana ex tabulis Ludouici Iunioris: *Gordum etiam piſcium apud Poiſſiacum in Sequana de dono patris mei.* Vectigal piſcaturæ, & ius regalium piſcium moribus ſibi aſſerebat Dux Britanniæ; & hoc ius nominatim, pactis cum Diuo Ludouico conditionibus, ſibi excepit Petrus Dux, auctore Argentræo. Vectigalia, pedagia, & alia id genus regalia labente imperio ſibi aſciuêre Italiæ Epiſcopi, & proceres, & ciuitates, quæ Friderico I. reſtituerunt, nec poſtliminio recepere, niſi de regio beneficio ritè docuiſſent, Guntherus.

At primùm Ligures ſuper hoc à rege rogati
Vectigal portus cudendæ iura monetæ,

in Phocic. p. 624.

lib. 2. hiſt. c. 20.

in vita Robert. R.

lib. 5. hiſt. Britan. c. 17.

Guntherus Ligurin. lib. 8. idem Radeuic. lib. 2. de geſt. Frideric. c. 9.

Cúmque molendinis telonia, flumina, pontes,
Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt,
Et capitolitium certo ſub nomine cenſum
Hæc Ligures ſacro tribuerunt omnia fiſco.
Tanta tamen clari fuit indulgentia Regis,
Vt quicumque bona priſcorum munere regum
Hactenus iſta fide poſſideat, idque probare
Legitimis poterat, nec demonſtrare tabellis
Principis aſſenſu, titulo gauiſus eodem
Nunc quoque poſſideat, reliquis in iura relatis
Regia librarum triginta millia puri
Annuus argenti fiſco ſolet addere cenſus.

Cap. III.

Ius condendarum legum. Ius conſuetudinarium in Gallia.

Svmmae poteſtatis culmen eſt ius ferendarum legum: vetere republicâ hoc iuris penès romanum populum præcipuum fuit, auctore Dionyſio Halicarnaſſæo: & hoc ius lege XII. Tabularum commendatum. Liuius: *Intercedentibúſque Tribunis interrex Fabius aiebat in duodecim Tabulis legem eſſe, vt quodcunque poſtremum populus iuſſiſſet, id ius, ratùmque eſſet.* Verùm lege regiâ tranſlato à populo in principem imperio, ſoli principi datum eſt leges condere, & interpretari, & ſoli principi exin leges emendare ius fuit. Tertullianus: *Nónne*, inquit, *& vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem & ſqualentem ſiluam legum, nouis principalium reſcriptorum, & edictorum ſecuribus truncatis, & cæditis, nónne vaniſſimas*

lib. 5. antiq. Rom.
lib. 7.
M. Tull. 3. de leg. & pro Seſtio.
l. vnic. §. eodem. ff. de orig. iur. l. 1. ff. de côſt. princ. l. vn. ff. ad l. Iul. ambit. l. fin. C. de legib.
Apolog. c. 4.

Papias leges, quæ ante liberos ſuſcipi cogunt, quàm Iuliæ matrimonium contrahi, pòſt tantæ auctoritatis ſenectutem, heri Seuerus conſtantiſſimus principum excluſit. Sic & Romani Pontifices tamquam orbis Chriſtiani principes, nouas leges ſciſcundi ius ſuum fecerunt: hinc dictatum Gregorij VII. Papæ, *Quòd illi ſoli licet pro temporis neceſſitate nouas leges condere.* Stabilito in Gallia Francorum imperio, ſolis Regibus leges condere ius ſuppetijt, ſuperſtite hoc auitæ libertatis veſtigio, vt in generali Ordinum conuentu promulgarentur. Hoc iure Carolus M. Francorum, & ceterorum quotquot ei parebant populorum leges firmauit, non aliter ſcilicet vim legum habituras: *Deinde* (ait ille in ſermone de fundatione Baſilicæ Aquiſgranenſis apud Miræum) *pro vtcunctis placuit prudentioribus regni noſtri legem Saxonum, Noricorum, Sueuorum, Francorum, Ripuariorum, Salicorum, ſicut mos & poteſtas imperatorum eſt, & omnium anteceſſorum meorum ſemper fuit, diſtinxi, diſtinctam ſub auctoritate regia, & imperatoria ſtabiliui, non ex mea adiuentione aut corde prolatam, ſed communi conſilio & generali conuentu totius Galliæ à me renouatam, & in melius auctam, ſicut patres & prædeceſſores mei feciſſe perhibentur, &c.* Et ſingulorũ leges non ſcriptas, ſcriptis commendari curauit idem Carolus. Eginartus in eius vita: *Omnium tamen nationũ quæ ſub eius ditione erãt, iura quæ ſcripta non erant deſcribi ac litteris mandari fecit.* Porrò hâc poteſtatis tẽperantiâ vſi Reges noſtri, vt in ſolenni inauguratione nouas leges & cõſuetudines eiurarẽt. De Chariberto auctor eſt Gregor. Turonẽſis: *Poſt mortẽ verò Clotharij Regis, Chariberto Regi populus hic ſacramentum dedit, ſimiliter etiã, & ille ſacramento promiſit, vt leges, conſuetudinéſque nouas populo non infligeret.* Iam olim non vno iure vte-

Gregor. 7. lib. 2. regiſt. poſt. ep. 55.

in eod. donat. piar. c. 11.

lib. 9. hiſt. c. 31.

bantur Galliarum prouinciæ, aliæ lege, aliæ conſuetudine: ſanè vtrumque ius non ſinè principali auctoritate valuiſſe ſatîs apertè inſinuauit Carolus M. cùm Conſtantini legem de Epiſcopali iudicio Capitulis additam, omnibus ſubditis obſeruandam propoſuit: *Licèt*, inquit, *quocumque videantur legis vinculo conſtricti, vel conſuetudinario more connexi*: Labente verò Carolini principatus robore, poſtquàm Duces, & Comites prouinciales præfecturas in adulterinos dominatus tranſtulêre, nouas leges concinnarunt, & prouincialibus conſuetudines, quibus pro lege vterentur dedere. Huiuſmodi conſuetudines ſuis conceſſere Comites Vuaſtinenſes, quas municipes adeò conſtanter tuiti ſunt, vt redeunte pago Vuaſtinenſi ad Philippum Regem eius nominis primum, Fulconis Comitis munere, non priùs annuerint, quàm in eorum conſuetudines Rex iuraſſet. Aymoïnus: *Inuadens igitur Fulco fratrem ſuum per auxilium Andegauenſium & Turonenſium Baronum, hominum multa ſtrage factâ, eum in campo deuicit, cepit, & vſque ad finem vitæ ſuæ in carcere tenuit; quâ peractâ expeditione, Vuaſtinenſe ſicut promiſerat, Regi vuerpiuit: Rex autem iurauit ſe ſeruaturum conſuetudines terræ illius, aliter enim nolebant milites ei facere ſua hominia.* Eodem iure, an injuriâ Duces Normannorum ſuis conſuetudines legum vice prodiderant, quas receptâ bello Normanniâ Philippus Auguſtus tulit, niſi quatenùs ſacris Canonibus vim inferrent, Guillelmus Brito,

lib. 6. Capitul. c. 281. Can. volumus. 11. qu. 1

lib. 5. hiſt. c. 47.

lib. 8. Philippid.

Rex malens bonus eſſe malis aſſueſcat amando
Vt ſibi paulatim populos, ne ſe peregrinis
Conſuetudinibus arctari fortè querantur,
Iudicia & leges non abrogat, imò tenenda

Omnia confirmat generaliter, hactenus illis
Obſeruata quibus non contradicit apertè
Ius, aut libertas non deperit Eccleſiarum.
Quædam aut in melius iuri contraria mutans,
Conſtituit pugiles vt in omni talio pugna
Sanguinis in cauſis ad pœnas exigat æquas
Victus vt appellans, ſiue appellatus eâdem
Lege ligaretur; mutilari, aut perdere vitam
Moris enim extiterat, apud illos hactenus, vt ſi
Appellans victus in cauſa ſanguinis eſſet
Sex ſolidos decies cum nummo ſolueret vno
Et ſic impunis amiſſá lege maneret:
Quòd ſi appellatum vinci contingeret, omni
Re priuaretur, & turpi morte periret:
Injuſtum iuſtus hoc iuſtè Rex reuocauit,
Réque pares Francis Normannos fecit in iſta.

Pari de fonte haud dubiè manarunt conſuetudines Rupellanæ, quas memorat Honorius III. Pontifex, putà à Comitibus Pictauienſibus, regionis olim toparchis; & ne hac de re dubites, variæ adhuc leguntur conſuetudines, Ducum vel Comitum quos auctores habuerunt nomine inſcriptæ, veluti Burgundica, quæ Philippi Ducis nomine ſuos apices altè commendat. Laudatur & apud Gegorium IX. Paroſinenſis (vel rectiùs Paronenſis, vt legunt Romani Correctores) municipij (id eſt in pago Veromanduorum) conſuetudo de iure retractus gentilitij, quæ indubitanter Comitibus Veromanduis accepto ferenda fuit. Inde iuris conſuetudinarij ſtudioſi imprimis fuere Comites, aliíque proceres Franci. Theobaldum Comitem Bleſenſem commendat Ioannes Sareſberienſis, in Epiſtola ad Alexandrum

in cap. ex parte. de conſuetudine.

cap. conſtitutus. de in integr. reſtitut.

ep. 89.

III. de huiuſce iuris peritia, quod ius ciſmontanum appellitat, vt diſtingueret à iure ſcripto, quod origine tranſalpinum eſſet, *Vnde*, inquit, *vt aſſerebat illuſtris Bleſenſium Comes Theobaldus, princeps quidem iuſtitiæ amator, & iuris ciſmontani peritiſſimus ad quem Epiſcopus Vuintonienſis liberorum cauſam tranſmiſerat, eò quòd ad ipſum res iſta iure feudi pertinebat accitis potioribus Epiſcopis Galliæ, conſilio eorũ aliorúmque ſapientũ, causâ cognitâ, patre defuncto eos legitimos agnouit heredes.* Ex Gallia, vt par eſt credere, libarunt ius conſuetudinarium, quo vſi ſunt reges Hieroſolymitani, eiúſque conſultiſſimi fuere: de Balduino Rege teſtatur Vuillelmus Tyrius: *Iuris etiam conſuetudinarij, quo regnum regebatur Orientale plenam habens experientiam, ità vt in rebus dubijs etiam ſeniores regni principes, eius conſulerent experientiam, & conſulti pectoris eruditionem mirarentur.* De Amalrico etiam idem Vuillelmus Tyrius: *In iure conſuetudinario quo regebatur regnum ſubtilis plurimùm & nulli ſecundus.*

lib. 16. hiſt. c. 2.

lib. 19. c. 2.

Cap. IV.

Jus creandorum magiſtratuum. Ius Vniuerſitatis, ſiue Communiæ.

Svmmi regalium faſtigij eſt ius creandorum magiſtratuum: exactis regibus Romanorum quamprimùm ſcita lex, ne quis abſque ſuffragijs populi magiſtratũ capeſſeret, legis contemptori capitis pœna propoſita, cuicumque eum occideret impunitate conceſsâ, vt refert Dionyſius Halicarnaſſeus: in hanc ſententiam Liuius: *Patres cenſuerunt*, inquit, *qui honorem quem ſibi capere per leges liceret*

lib. 5. antiq. Rom. pag. 292.

lib. 32.

peteret, in eo populo creandi quem velit poteſtatem fieri æquum eſſe : Extinctâ republicâ creatio Magiſtratuum à populo tranſijt ad principem. Hoc rerum cardine, recenti adhuc libertatis jacturâ, à populo ius legendi magiſtratus non omnino tulit Iulius Cæſar, ſed cum eo diuiſit : *Comitia*, inquit Suetonius, *cum populo partitus eſt, vt exceptis conſulatus competitoribus de cetero numero candidatorum pro parte dimidia quos populus vellet pronuntiarentur, pro parte altera quos ipſe edidiſſet.* Primus Tiberius fractis Quiritum animis, & ad ſeruitutem factis, ius omne deſignandorum magiſtratuum ad ſe, & ſenatum tranſtulit, omiſſo populo. Hac de re Tacitus : *Tum primùm è campo Comitia ad patres translata ſunt : nam ad eam diem etſi potiſſima arbitrio principis, quædam tamen ſtudijs tribuum fiebant.* Imò & poſteri principes adultâ poteſtate ius creandi Magiſtratus & inprimis Conſules totum ſuum fecerunt, ſenatûs vix ratione habitâ. Appianus : *ἔτι νῦν οἱ ῥωμαίων βασιλέες ὑπάτους ἀποφαίνοντες τῇ πατρίδι* : *Nunc quoque Romani Cæſares penès quos eſt creatio Conſulum.* Hoc pacto Conſulem à Gratiano ſe lectum gratulatur Auſonius. *Conſul ego Imperator auguſte*, inquit, *munere tuo, non paſſus ſepta, neque campum, non ſuffragia, non puncta, non loculos qui non prenſauerim manus, &c.* In Gallia æquè Francorum Reges iam à regni cunabulis Duces, & Comites, & alios majores officiales ſuo ipſi nutu elegerunt. Gregorius Turonenſis : *Igitur peruaſis Chilpericus Rex ciuitatibus fratris ſui, nouos Comites ordinat* : Et alio loco. *Nicetius per emiſſionem Eulalij à Comitatu Aruerno ſubmotus, Ducatum à Rege expetijt.* Fortunatus Sigoaldo,

l. vnic. ff. ad l. Iul. de ambit.

Sueton. in Iulio. c. 41.

lib. 1. annal.

lib. 1. de bell. Ciuil.

in Paneg. ad Gratian.

lib. 6. hiſt. c. 23.

lib. 8. c. 18.

lib. 10. c. 22.

Rex Childebertus creſcens te creſcere cogat;
Qui modò dat Comitis, det tibi dona Ducis.

lib. 10. c. 15. Et idem ad Galactorium, Comitem Burdegalenſem

Iudicio Regis valuiſti creſcere iudex,
Famáque quod meruit Regia lingua dedit:
Debet & ipſe potens vt adhuc bene creſcere poſſis
Præſtet vt arma Ducis qui tibi reſtat apex.

lib. 1. form. c. 8. Inde concepta apud Marculfum formula codicillorum, quibus princeps patricios, Duces, aut Comites quoſque inſtituebat his verbis: *Ergo dum & fidem & vtilitatem tuam videmur habere compertam, ideò tibi actionem Comitatus, Ducatus, patriciatus, in pago illo quem anteceſſor tuus ille, vſque nunc viſus eſt egiſſe, tibi ad agendum, regendúmque commiſimus.* Comites autem ipſi vicarios, centenarios, & Scabineos ſuos legerunt. Capitulare Caroli M. (lib. 3. c. 56.) *Vt iudices, aduocati, præpoſiti, centenarij, vicarij, Scabinei quales meliores inueniri poſſint, & Deum timentes conſtituantur ad ſua miniſteria exercenda, cum Comite & populo eligantur manſueti & boni.* Ideò Concilium Cabillonenſe II. Comites hortatur, vt idoneos & probos ſibi vicarios ſumant: (Can. 21.) *Comites*, inquit, *miniſtros, quos vicarios & centenarios vocant, iuſtos habere debent, ne fortè eorum auaritiâ, aut rapacitate populus grauetur.* Quod ſi vicarij lecti à Comitibus malè ſe gererent, Miſſis dominicis prouincias luſtrantibus ius fuit eos expungere, & alios ſublegere. Capitulare Ludouici Pij: (Add. 4. c. 75. adde c. ſeq. & Can. 33. lib. 3. Capitul.) *Vt miſſi veſtri vbicumque malos Scabinos inueniunt eijciant, & totius populi conſenſu in locum eorum bonos eligant, & cùm electi fuerint iurare faciant, &c.* Inde labente æuo, redactis in dominatum & ſortem hereditariam præfecturis, facilè Duces & Comites ius creandi præpoſitos ſibi aſſeruere, quo in hunc

diem vtuntur : & quia clericorum operâ, quòd vix alij
olim litterati eſſent, juris dicundi causâ abuterentur, in-
terceſſit Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. *Sed* cap. 12.
nec procuratores villarum, aut juriſdictiones etiam ſeculares ſub cap. 1. ex. de poſtu-
aliquibus principibus & ſecularibus viris, vt Iuſtitiarij eorum land. v. c. clericos. ex-
fiant, quiſquam clericorum exercere præſumat. Hinc litteræ ne cleric', vel Monac.
deprecatoriæ Stephani Tornacenſis pro quodam preſ- epiſt. 132.
bytero, qui juriſdictionem ſecularem, Comitis Flan-
drenſis nomine exercuerat, Romam labis purgandæ
causâ properante : *Iuriſdictionem Ciuilem*, inquit, *vſque
ad rigorem, quam imperium mixtum quidam appellant ſub po-
teſtate Comitis Flandrenſis procuratorio nomine diu exercuit,
vbi ex officio qualitercumque ſuſcepto tenebatur, & innocentes
abſoluere & noxios condemnare; neminem tamen, vt ipſe con-
fitetur ad effuſionem ſanguinis ore proprio condemnauit, ſed
confeſſos, aut conuictos de crimine, Communiæ Ambianenſi, ad
quam judicium ſanguinis ſpectat, ſecundùm quod meruiſſet reus,
iudicandos expoſuit & plectendos.* Ius creandorum Ma-
giſtratuum excipit ius Vniuerſitatis, ſiue communiæ :
inſignia reipublicæ ſunt ſuis legibus, & magiſtratibus,
& conſilio vti : his ornatæ fuerunt liberæ fœderatæ
ciuitates populi Romani, vel aliàs priuilegiariæ, & be-
ne meritæ, vt Amiſenorum ciuitas libera, Plinio ad Tra-
janum : *Amiſenorum ciuitas & libera & fœderata beneficio* lib. 10. epiſt.
indulgentiæ legibus ſuis vtitur : Et Mothonæ libera ciuitas 97. & ſeq.
Meſſeniorum, Pauſaniæ. μοθωναίοις δὲ βασιλεὺς μὲν in Meſſe-
Τραϊανὸς ἔδωκεν ἐλευθέρους ὄντας, ἐν αὐτονομίᾳ πολι- nicis p. 283.
τεύεσθαι : *At Traïanus Cæſar Mothonæis conceſſit vt cum
liberis populis cenſerentur, & ſuis legibus vterentur.* Et à
Seuero Alexandria ius βουλευτηρίου, id eſt ſenatus mu- in Seuero.
nicipalis accepit. Spartianus : *Alexandrinis ius Buleu-*

tarum dedit, qui ſinè publico conſilio, ità vt ſub regibus antè viuebant, vno iudice contenti, quem Cæſar dediſſet. Contrà fœdiſſima ſeruitutis nota, Vniuerſitatis, & publicæ adminiſtrationis ademptio : expugnatæ Capuæ à Romanis ademptum ius Vniuerſitatis, magiſtratuś, Conſilij. lib. 26. Liuius : *Ceterùm,* inquit, *habitari tamquam vrbem Capuam, frequentarique placuit, corpus nullum ciuitatis, nec ſenatum, nec plebis conſilium, nec Magiſtratus eſſe, ſinè conſilio publico, ſinè imperio, multitudinem nullius rei inter ſe ſociam ad conſenſum inhabilem fore, præfectum ad iura reddēda ab Roma quotannis miſſuros* : Inde eſt quòd imaginem reipublicæ 1. contra Rullum. nullam Capuæ relictam ait M. Tullius : *Majores noſtri Capuâ Magiſtratus, ſenatum, conſilium commune; omnia denique inſignia reipublicæ ſuſtulerunt, neque aliud quidquam, niſi inane nomen Capuæ reliquerunt, non crudelitate ſed conſilio; quòd videbant, ſi quod reipublicæ veſtigium illis mœnibus contineretur, vrbem ipſam imperio domicilium præbere poſſe.* Exciſâ necnon Corintho, omnia è Ciuitatibus Græciæ Concilia in Achaicis. ſuſtulit Mummius. Pauſanias : συνέδρια τε κατ' ἔθνος τὸ ἑκάστων ἀχαιῶν, καὶ τὸ ἐν φωκεῦσιν, ἢ βοιωτοῖς ἢ ἑτέρωθί που τῆς ἑλλάδος κατελέλυτο ὁμοίως πάντα, ἔτεσι δὲ οὐ πολλοῖς ὕστερον ἐτράποντο ἐς ἔλεον Ρωμαῖοι τῆς ἑλλάδος, καὶ συνέδρια τε κατ' ἔθνος ἀποδιδόασιν ἑκάστοις τὰ ἀρχαῖα : *Concilia omnia ſingularum Achaiæ nationum, ſiue in Bœotia, ſiue in Phocenſibus haberentur abolita; non multis pòſt annis Romanos Græcorum miſericordia cepit; quare & priſca concilia ſua cuique genti reſtituta.* Galliâ in poteſtatem Francorum feliciter deductâ ciuitatibus relicta auitæ libertatis veſtigia, ius Vniuerſitatis, ſiue Communiæ, & plebeij magiſtratus quos Majores, & Scabinos dictitarunt,

jurisdictione

juriſdictione ipſis permiſsâ. Alexander IV. Romanus pontifex: *In regno Franciæ*, inquit, *communiæ Scabini, ſeu Conſules juriſdictionem in ipſis communijs, ciuitatibus, caſtris, & villis temporalem exercent*. Inde Scabinos Hipretis Flandrorum apud Gregorium IX. juriſdictionis ſuæ tuendæ causâ expoſtulaſſe legimus in clericos, quòd ceſſiones paſſim reciperent iudicij mutandi gratiâ; & judicium ſanguinis penès Communiam Ambianenſem eſſe refert Stephanus Tornacenſis loco citato. Inter regalia igitur numeratur ius communiæ, id eſt legendorum Majorum, & Scabinorum, ſiue conſulum, & huius nomine litteræ Communiæ vt vocant, à regibus impetrari debent. Eodem iuris concentu Germanis & Italis inter Regalia cenſiti Conſulatus. Regalia Friderico I. remiſere Epiſcopi & Comites Italiæ, & inter ea Ducatus, Marchias, Comitatus, Conſulatus, Monetas, Telonia, &c. vt expreſſit Radeuicus. Et paulò pòſt reſtituto Mediolanēſibus iure creandorum Conſulum, ſibi vel legatis ſuis confirmationem excepit Fridericus. *Venturi verò conſules* (hæc ſunt verba pactionis apud Radeuicum) *à populo eligantur, & ab ipſo Imperatore confirmentur, quorum medietas ad ipſum veniat, dum in Longobardia fuerit; alibi autem eo exiſtente duo ad eum ex conſulibus veniant, & iuramento facto officium conſulatus ſui à Domino recipiant pro ſe & ſocijs ſuis facturis idem iuramentum Domino Imperatori coram communi ſuæ ciuitatis: ſi autem legatus à Domino Imperatore deſtinatus fuerit in Italiam, eadem coram ipſo, & per ipſum fiant*. Quin & Duces, & Comites, vt Regalibus inhiarunt, etiam conceſſionem huiuſmodi iuris communiæ vſurparunt. Hoc ius primùm à Guillelmo Comite Pictauienſi obtinuerunt Ru-

cap. 1. de immun. Eccleſ. in 6.

cap. fin. de alien. iudic. mut. cauſ.

ep. 131.

lib. 2. de geſt. Frid. cap. 5.

lib. 1. de geſt. Frid. cap. 41.

Majori & Burgen. de Rupella reſcripſit Honor. 3. in c. ex parte. de conſuetud.

pellani : à Ludouico Iuniore ratum habuere, quo nimiùm tumeſcentibus animis meritò nuper à Ludouico Iuſto multati ſunt, in pœnam inolitæ proteruiæ, & nefariæ defectionis.

CAP. V.

Jus cudendæ monetæ.

l. 8. & 9. ff. ad l. Cornel. de falſ. l. 2. C. de falſ. monet. Paul. 5. ſent. tit. 25.

LEGE Corneliâ nummariâ, & Conſtantini edicto ad ſolum Romanum principem ſpectauit ius cudendæ monetæ : ex quo Imperatori ſolenne fuit imperij cunabula noui nummi fabricâ inſtituere, velut iuſti principatus inſigni.

in Diadumeno.

Lampridius : *Statim apud Antiochiam moneta Antonini Diadumeni nomine percuſſa eſt, Macrini vſque ad iuſſum ſenatus dilata eſt.* Imò aureum nummum ab alio, quàm Romanorum Imperatore feriri, & aliâ quàm Cæſaris

l. 1. C. de vet. num. poteſt.

imagine ſignari nefas fuit : fœdus cum Arabibus ſoluit Iuſtinianus II. quòd annuum vectigal offerrent, nummo aureo non Romani principis vultu, ſed alieno charactere ſignato.

in Iuſtiniano Rhinotmete. id. Cedren. p. 365. Paul. Diac. lib. 19

Zonaras : καὶ τὰς πρὸς τοὺς ἄραβας συνθήκας παρέλυσεν, αἰτίαν εἰληφὼς, ὅτι σαλὲν τὸ τοῦ ἐτησίου φόρου χάραγμα οὐ ῥωμαϊκὸν εἶχε σφράγισμα, ἀλλὰ νέον ἀράβιον, οὐδὲ γὰρ ἐξῆν ἐν χρυσῷ νομίσματι χαρακτῆρα ἐντυποῦσθαι, ἢ τὸν τοῦ βασιλέως ῥωμαίων : *Etiam Arabicum fœdus rupit, causâ ex eo ſumptâ, quòd annui tributi moneta, non Romanum ſignum, ſed nouum Arabicum haberet; neque vero aureo nummo aliam imaginem, niſi Romani Jmperatoris inſculpi fas erat.* Nummo imaginem ſuam impreſſit Iſaacius Comnenus præferentem gladium ſtrictum àd dextram, malignâ interpretatione,

cum non Deo, ſed gladio acceptum tuliſſe imperium. Zonaras: ὁ δὲ κομνηνὸς τῇ βασιλείᾳ ἐγκαταστὰς ἑαυτῷ τὴν ταύτης συντυχίαν, καὶ οὐ τῷ θεῷ ἐπεγράψατο, καὶ τοῦτο δῆλον ὅτι τῷ νομίσματι ξιφήρη ἑαυτὸν ἐνεχάραξε: *At Comnenus firmato Imperio adeptionem eius non Deo, ſed ſibi aſcripſiſſe ex eo apparet: quòd in nummis ſuam imaginem ſtricto enſe inſculpendam curauit.* Primi Francorum Reges Galliæ rerum potiti, aureum nummum adhibitâ ſuâ imagine conflarunt: Perſarum autem regibus, & aliorum Barbarorum argenteis tantùm non aureis nummis vultus ſuos inſculpere religio fuit, Romani veneratione imperij. Procopius: φράγγοι νόμισμα δὲ χρυσοῦν ἐκ τῶν ἐν γάλλοις μετάλλων πεποίηνται, οὐ τοῦ ῥωμαίων αὐτοκράτορος ἥπερ εἴθισται χαρακτῆρα ἐνθέμενοι τῷ στατῆρι τούτῳ, ἀλλὰ τὴν τὴν σφετέραν αὐτῶν εἰκόνα. καίτοι νόμισμα μὲν ἀργυροῦν ὁ περσῶν βασιλεὺς ᾗ βούλοιτο ποιεῖν εἴωθε, χαρακτῆρα δὲ ἴδιον ἐμβαλέσθαι στατῆρι χρυσῷ, οὔτε τῶν αὐτῶν ἄρχοντα θέμις οὔτε δὲ ἄλλον ὁντιναοῦν βασιλέα τῶν πάντων βαρβάρων, καὶ ταῦτα μᾶλλον ὄντα χρυσοῦ κύριον. *Aureum nummum natiuo Galliarum metallo hi cudunt, non Romani Imperatoris, vt ceteri ſolent imagine, ſed ſuâ impreſſâ: Perſarum ſi quidem Rex, etſi argenteum numiſma ad arbitrium facit, aureo tamen non illi fas eſt ſuam vt imponat effigiem, nec Barbarorũ princeps alius quiſpiam id facere auſit, etſi auri Dominus.* Imperatorum æmulatione & Gothi Reges ſubſeſſores Italiæ, omnis generis nummos ſuâ imagine diſtinxerunt. Theodoricus apud Caſſiodorum, Comiti ſacrarum largitionum: *Verùm hanc liberalitatem noſtram alio decoras obſequio, vt figura vultus noſtri metallis vſualibus imprimatur, &c.* Et alio loco: *Omnino monetæ debet integritas quæri, vbi & vultus noſter imprimitur quid-*

in Iſaac. Comn.

lib. 3. de bello Gothic.

6. var. 7.

7. var. 32.

nam erit tutum ſi in noſtra peccetur effigie? ſit mundum quod ad formam noſtræ ſerenitatis adducitur, &c. Cautiores principes majeſtatis acerrimi vindices vix cuiquam magnatum ius monetæ communicarunt. Ariandem Aegypti prǽfectum capitali ſupplicio ſuſtulit Darius Rex Perſarum, quòd in Aegypto nummum Ariandinum de
lib. 4. ſuo nomine percutere non dubitaſſet, auctore Herodoto. Perennis Commodo in delicijs habitus, capite pœnas luit, quòd nummi eius imagine ſignati impera-
lib. 1. tori à nonnullis militibus exhibiti eſſent, vt refert Herodianus: nec tacenda hoc loco lex Hungarica, ne
lib. 1. de geſt. Frid. c. 31. cuiquam præter Regem monetæ & vectigalis ius ſuppetat: Otho Friſingenſis. *Hinc eſt vt cùm prædi[illegible] regnum per LXX. vel ampliùs diuiſum ſit Comitatus, de omni juſticia ad fiſcum regium duæ lucri partes cedant, tertia tantùm Comiti remaneat, nullúſque in tam ſpacioſo ambitu, Rege excepto, monetam vel telonium habeat.* Remiſſiores tamen non deſunt principes, qui conjunctas, vel illuſtres perſonas huiuſmodi ſummi faſtigij decore cohoneſtarunt. Gelonis Siculorum Regis permiſſu eius vxor Damareta nummum Damaretium à ſe denominatum cudit: νό-
lib. 11. μισμα, inquit Diodorus Siculus, ἐξέκοψε τὸ κληθὲν ἀπ' ἐκείνης δαμαρέτιον. Helenæ parenti Auguſtæ ho-
lib. 3. de vit. Côſtant. c. 46. nores tribuit Conſtantinus, & nummos, eius icone inſigniuit, χρυσοῖς τε νομίσμασι, ἐς τὴν αὐτῆς ἐκτυποῦσθαι εἰκόνα, ait Euſebius. Impenſo ſtudio Iuſtinianus vt Belliſarij merita in ſe & Rempublicam commendaret, & laborum ſocium teſtificaretur, vna in parte nummi ſe ipſum, in altera Belliſarium armatum expreſſit, cum hac inſcriptione; *Belliſarius gloria Romanorum*, vt ſcribunt Zonaras, & Cedrenus. Alio conſilio Seuerus Albinum perduellionis ſibi ſuſpectum, vt honoris ſpecie

ineſcaret, & incautum opprimeret nummos eius imagine inſignes cudi curauit, referente Herodiano. Francorum reges florente reipublicæ ſtatu, haud quemquam monetæ conſortem aſciuerunt, adeóque corônâ inauulſum hoc ius tuiti, vt vetuerit Carolus M. monetam, ſiue officinam monetæ vllo alio loco eſſe, niſi in Palatio: qua de re exſtat eius Capitulare: *Volumus vt in nullo alio loco moneta ſit, niſi in Palatio noſtro, niſi fortè iterum à nobis aliter fuerit ordinatum.* Et ſecuti reges monetam eſſe voluerunt in palatio, & alijs certis locis dumtaxat. Capitulum Caroli Calui: *Sequentes conſuetudinem prædeceſſorum noſtrorum, ſicut in illorum capitulis inuenitur, conſtituimus, vt in nullo loco alio in omni regno noſtro moneta fiat, niſi in palatio noſtro, & in Quentouico, ac Rotomago, quæ moneta ad Quentouicum ex antiqua conſuetudine pertinet, & in Remis & in Senonis, & in Pariſio, & in Aurelianis, & in Caillono, & in Metullo, & in Narbona.* Cadente Carolinæ prolis imperio cudendæ monetæ ius adepti ſunt nonnulli Epiſcopi & Comites vel ex priuilegio regum, vel conſuetudine, & vſurpatione. Artoldo Epiſcopo, & Eccleſiæ Rhemenſi vnà Comitatum Rhemenſem, & ius perpetuum cudendæ monetæ conceſſit Ludouicus Tranſmarinus. Flodoardus: *Poſt hæc Rex Ludouicus dedit Artoldo Epiſcopo, ac per eum Eccleſiæ Remenſi per præceptionis regiæ paginam Remenſis vrbis monetam iure perpetuo poſſidendam; ſed & omnem Comitatum Remenſem eidem contulit Eccleſiæ.* Ius nummi cudendi habuere etiam Epiſcopi Meldenſis, Ebredunenſis, Cadurcenſis, cuius aſſes ſæpiùs vidimus, Agathenſis & Magalonenſis, qui eo nomine expoſtulante D. Ludouico coërcitus ab Clemente IV. ſummo Pontifice, quòd Melgorenſes, alie-

Lib. 2.

lib. 3. c. 13.

tit. 31. c. 11.

lib. 4. hiſt. Rhem. c. 27. & ijſd. verb. in Chron. ad ann. 840.

Ep. Clement. IV. M.S. ep. 252. num monetæ genus cuderet : qua de re exſtat Pontificis Epiſtola ad Magalonenſem Epiſcopum, in codice eius Epiſtolarum nondum edito, cuius verba adſcribere hîc non piget : *Sanè de moneta Melgorienſi, quam in tua Diœceſi facis cudi, miramur plurimùm cuius hoc agis conſilio, non quòd injuriam facias Regi Franciæ, ſi in feudis non fabricatur ipſius, ſed Regis gloriæ, extra cuius dominium nec hoc potes, nec aliud operari : quis enim Catholicus monetam debet cudere cum titulo Machometi? quis etiam licitè eſſe poteſt alienæ monetæ percuſſor; cùm enim nulli liceat eam cudere, niſi cui vel ſummi Pontificis, vel principis auctoritate conceditur, quoniam nullus vnquam ſic effusè conceſſit, vt omnis generis monetam faceret : data auctoritas ad rem certam, quònam pacto ad aliam extenderetur? Si conſuetudinem forſan allegas in alternato negotio, te & predeceſſores tuos accuſas potiùs, quàm excuſes : cùm peruerſæ conſuetudines dici debeant corruptelæ. Quòd ſi conſuetudine & iure ceſſantibus lucro inhias, videre licet quantùm dedeceat excellētiæ pontificalis honorē, negotiationem huiuſmodi exercere, quā in inferioris gradus clericis reprobamus. Certè ſi venerabilem fratrem noſtrum Agathenſem Epiſcopum in hac parte inquireres, audires vtique ab eodem, quantùm ei hæc diſſuaſimus ad opus ſimile prouocato, cùm eſſemus in ſtatu alio conſtituti. Hinc eſt quòd fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus ſi in regis feudis hæc facias, pareas prohibenti; & ſi alibi, nihilominùs omnino deſiſtas, &c.* Ius flandæ monetæ in Caſtro Bellicadri habuit Archiepiſcopus Arelatenſis, quo ſimul cum caſtro ceſſit Michaël Epiſcopus anno M. CCXIIII. in Simonem Comitem Montisfortis ex veteri charta, cuius exemplum apud nos eſt. Imò & iam à primæ Dynaſtiæ temporibus ius monetæ tributum

Abbati, & Monaſterio Vuiſimburgenſi Diœceſis Spirenſis, præcepto Dagoberti Regis, eiuſdem conditoris. Vetus diploma Dagoberti apud Trithemium: *Ad hæc monetam in ſe habentem imaginem, & litteras, expreſſámque ſimilitudinem Nemetenſis monetæ eidem loco concedimus.* Eodem iure vſi leguntur plures Galliarum Duces, & Comites regalibus auidè inhiantes: eo gloriabantur Comites Pictauienſes; vnde frequens fuit vſus ſolidorum Pictauienſium: Goffridus Vindocinenſis ad Gerardum Engoliſmenſem: *Abbati Angeriacenſi, vt dicitur, promiſiſtis, quòd ſi trecentos ſolidos Pictauienſium maſculorum nobis daret, Rainaldum Cheſnelli deponeretis.* Geſta Ademari Epiſcopi Engoliſmenſis, ex Sirmundo hîc. *Cùm Epiſcopus à Præpoſito mille ſolidos Pictauienſium pro accaptamẽto exigeret, & ipſe reddere non poſſet, Iterius Epiſcopo mille dedit.* Præter hæc Raimundus de Agiles: *Erat moneta noſtra hæc, Pictauini, Cartenſes, Manſei, Lucenſes, Valentinenſes, Mergoreſi, & duo Pogeſij pro vno iſtorum.* Et Innocentius III. Pontifex: *Ad iudicium autem huius à Romana Eccleſia libertatis perceptæ, quinque ſolidos Pictauenſis monetæ nobis, noſtriſque ſucceſſoribus annis ſingulis perſoluetis.* Ex auro puriſſimo nummos cudit Ioannes Dux Bituricenſis, præcepto Caroli V. Ex auita conſuetudine monetæ ius vſurpauit Dux Britonum: ſed hæc omnia iura vnâ manu expunxit Franciſcus I. In Anglia æquè ſub rege Stephano, languente regni ſtatu multi inſurrexerunt Epiſcopi, & Comites, caſtra excitarunt, monetæ ius affectarunt, ſed rerum potiente Henrico II. poſito ſupercilio illico abſtinuêre. Rogerus Houedenus: *Henricus,* inquit, *Dux Normannorum venit in Angliam cum magno exercitu & reddita ſunt ei caſtella multa, & munitiones quamplu-*

in annali lib.

lib. 1. ep. 21.

in hiſt. Hieroſol. p. 165.

Regiſtr. 15. ep. 32.

Bodin. lib. 1. de rep. c. 10.

in Steph. A. C. 1149. Gu. Neubrig. lib. 1. c. 22.

res, & fecit monetam nouam, quam vocabant monetam Ducis; & non tantùm ipſe, ſed omnes potentes tam Epiſcopi, quàm Comites & Barones ſuam faciebant monetam: ſed ex quo Dux ille venit, plurimorum monetam caſſauit. In Germania & Italia ſimiliter multi Epiſcopi & Comites monetæ priuilegio, vel conſuetudine priuatos exceſſerunt. Ius monetæ, & telonij aſſecutus eſt Epiſcopus Cameracenſis, diplomate Othonis Imperatoris, cuius verba hæc ſunt lib. 1. c. 76. apud Baldricum Cameracenſem: *Inſuper noſtrâ largitione concedimus præfato Epiſcopo & ſucceſſoribus eius omne teloneum cum moneta ciuitatis ſuæ Cameracenſis, eo videlicet tenore, vt nouem partes Epiſcoporum vſibus deputentur; decima verò pars ad vſum fratrum eiuſdem congregationis perpetualiter in eleemoſyna noſtra proficiat.* Labente Imperio, Epiſcopi, & Comites Italiæ paſſim monetam, & alia regalia rapuere, ſed ea Friderico I. reſtituere, vt ſuprà obſeruatum. Spinulæ Genuenſi, & Marchioni Montisferrati in vit. Henrici 7. ius monetæ conceſſit Henricus Luceburgenſis. Conradus Vecerius: *Quippe Spinulæ, Marchionique Montisferrati cùm alia dignationum genera, tum ius monetæ cudendæ tribuit.* Porrò ſoli principi monetæ legem minuere, vel augere licet, vt volunt noſtri: Epiſcopi tamen, & Comites aliquando eadem iura tentarunt: monetam vitianti Lauſanenſi Epiſcopo interceſſerunt Canonici, & is velut monetæ Dominus, ſe ſuo iure vſum contendit lib. 1. ep. 178. apud Innocentium III. cuius verba hîc attexo: *Cúmque præfati Canonici ſuper monetæ diminutione & exactione noui pedagij memoratum Epiſcopum conuenirent, & peterent, quod ab arbitris præceptum fuerat obſeruari; reſpondit Epiſcopus memoratus, quòd moneta erat procul dubio diminuta, nec licuit arbitris ſuper hoc aliquid arbitrari, cùm tamquam Domino monetæ*

netæ licitum ei ſit eam pro ſuo beneplacito minuere & augere.

CAP. VI.

Jus remiſſionis criminum.

REGIA inter iura præſtat abolitio, gratia, & remiſſio criminum, ſolíque principi delicta indulgere, & reos pœnâ leuare integrũ eſt: nec ſolùm leges Romanæ, ſed etiam ſacræ, regibus tamquam vicarijs numinis poteſtatibus veniam criminum impensâ religione adſcribunt; Themiſtius ad Theodoſium: *μόνῳ θεῷ τε βασιλεῖ ἐν ἐξουσίᾳ ἐστὶ ζωῆς ἐπιδοῦναι. Vnius in Dei, principiſque poteſtate eſt vitam alteri concedere.* Adeò vt quibus rex crimen remiſerit, excommunicationis noxam eo nomine commiſſam exemptam voluerit Eccleſia. Inſignis in hanc ſententiã can. 3. Cõcilij Toletani XII. quem Iuo Carnotenſis non vno loco laudat ex lege Francica. *Et ideò quia remiſſio talium qui contra Regem, gentem, vel patriam agunt, per definitiones Canonum antiquorum in poteſtate ſolùm regia ponitur, cui & peccaſſe noſcuntur, ab eis nulla ſe deinceps ſacerdotum abſtinebit communio; ſed quos regia poteſtas aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes menſæ ſuæ effecerit, hos etiam ſacerdotum & populorum conuentus ſuſcipere in Eccleſiaſticam communionem debebit.* Inde eſt quòd motâ quæſtione in Concilio Cabillonenſi II. cuínam perſoluenda eſſet pœna patrati in Epiſcopum ſeu Presbyterum homicidij, patres Concilij rem ad principem rejecere, tamquam ſupremum arbitrum pœnæ, & veniæ criminum: *De Epiſcopis verò* (hæc ſunt verba Canonis) *Presbyteris, & Diaconibus, & Monachis interfectis, quærendum à Domino*

l. 1. C. de ſent. paſſ. & reſt. l. reſcripta. C. de precib. imp. offer.

orat. 5.

epiſt. 62. & 171 in decret. p. 16. c. 344.

Can. 24.

Imperatore eſt, cui illius homicidij precium exſoluendum ſit. Regię quinimò poteſtati ſubjecti ſunt, etiã dynaſtę & principes regni, nullo à priuatis diſcrimine. Idem in Deos, ac in mortales fulmen diſtringit Iupiter; ſcitè Virgilius,

1. Aeneid. *—— —— ô qui res hominúmque, Deûmque*
Æternis regis imperijs, & fulmine terres.

Et Seruius ibi: *Volũt quidam ſuperfluò*, inquit, *regis, ad Deos referri; terres, ad homines, neſcientes majoris eſſe poteſtatis idem poſſe circa Deos, quod circa homines.* Capitali igitur noxâ cõmiſsâ, etiam principes regni reſtitui non valent, ſinè indulgentia principis, & ità Carolus, Rex Nauarræ ob necem Caroli Hiſpani militiæ Gallicæ præfecti ſupplex, humóque prouolutus veniam exorauit à Carolo V. pro tribunali in ſolenni corona Parium & ſenatorum vol. 1. c. 154. ſedente, vt refert Froſſardus: & pari proſtratione Dux Burgundiæ, Aurelianenſis cædem piauit apud Carolum VI. narrante Monſtreletio. vol. 1. c. 49. Indulgentia criminum fit ex placito principis, varias ob cauſas, vt ob diem inſignem aut publicam gratulationem, vel ob rem proſperè geſtam, vel ob lætitiam aliquam, vel honorem domus diuinæ, id eſt auguſtæ. l. 8. 9. 12. ff. ad SC. Turpill. Ob honorem principis, putà ob ſolennem augurationem, ſeu pro jucundo aduentu, vt loquuntur. Sic in gratiam coronationis Ludouici IX. Francorum Regis vt ſoluerentur omnes cuſtodiæ, & præ ceteris Ferrandus Comes Flandrenſis, & Reginaldus Bononienſis petitum eſt. Matthæus Paris:

A. C. 1226. *Defuncto itaque Francorũ Rege Ludouico, Regina eius Blanca, fecit conuocare generaliter Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum prælatos, cum magnatibus ad coronam ſpectantibus, vt venirent ad coronationem Ludouici filij ſui, & Regis defuncti, Pariſios, pridiè Kalendas Decembris: ſed pars maxima*

optimatum ante diem præfixum petierunt de conſuetudine Gallicana omnes incarceratos, & præcipuè Comitem Flandrenſem Ferrandum, & Bononienſem Reginaldum à carceribus liberari,&c. Ob publicam gratulationem, fortè ob natalem filiorum principis; vt Conſtantino agnatis Criſpo, & Helenâ, conceſſa generalis indulgentia criminum, exceptis atrocioribus. Conſtantinus ad Maximum PP. *Propter Criſpi, atque Helenæ partum omnibus indulgemus, præter veneficos, homicidas, adulteros.* In Gallia Chilperici præcepto, ob acceſſionem filij, nomine Clotharij, carceribus ſoluti rei, & remiſſa reliqua tributorum. Gregorius Turonenſis: *Dehinc Chilperico Regi poſt multa funera filiorum, filius naſcitur: ex hoc iubet Rex omnes cuſtodias relaxari, vinctos abſolui, compoſitionéſque negligentium fiſco debitas præcepit omnino non exigi:* Nec ſolùm ortu principis redempti noxij, ſed etiam ſerui: inde concepta apud Marculfum formula: *Vt pro natali Regis, id eſt Regis filij in vnoquoque prædio fiſcali tres ſerui vtriuſque ſexus manumittantur.* Vario dignationis genere celebratus vbique gentium natalis principum: Nato Seſoſtri, pater eius omnes eo die natos ex tota Aegypto collegit & vnâ, eadémq; formâ educari curauit, ſibi perſuaſũ habẽs ſic educatos principi amicos, & cõmilitones optimos euaſuros, vt refert Diodorus Siculus. His diebus, clariſſimis Galliæ exortis Syderibus, nobiliſſimos dico principes inter arma & triumphos parentis natos, plurimos noxæ exemptos vidimus: ſed heu! plebis ſolatium, leuationem ſcilicet tributorum inuidit bellorum neceſſitas, & dignum Regis indole conſilium edomandæ ambitionis Hiſpanicæ, quæ totius Europæ dominatum animo præceperat, núncque ad Tetrarchiam fere reda-

l.1.C.Th. de indulg. crim.

lib.6.c.23. id. Aymoin. lib. 3. c. 54.

Marculf. lib.1. form. c. 39.

lib.1.var. hiſt.

cta extremùm ſpirat. Natali filiorum principum condonata infelicium reorum anima; ſed & aliquando eorum tumulus paris gratiæ decore conſecratus: filiam defunctam hoc honore proſequutus Theophilus Imperator, vt flagitioſis quibuſcumque ſepulcrum eius aſylum eſſe voluerit, auctore Cedreno. Solennis etiam indulgentia criminum ob ſolennem ingreſſum principis in ciuitatem: Auguſto hic honos delatus, ne dies eius in vrbem reditus cuiuſquam ſupplicio fœdaretur. Suetonius: *Obſeruatum etiam eſt, ne quoties introiret vrbem ſupplicium de quoquam ſumeretur.* A Clodoueo inſigne priuilegium emeruit Remigius, vt quoties Reges Rhemenſem vrbem accederent aut prætergrederentur, rei omnes vinculis ſoluerentur, vt narrat Author vitæ Leonardi vtriuſque ſynchroni apud Surium. Fuit etiam remiſſio criminum ob rem proſperè geſtam: putà captâ à Romanis Acradinâ arce Syracuſanâ, ſerui manumiſſi, & rei carceribus ſoluti. Liuius: *Acradinâ captâ ſerui ad pileum vocati, & carcere vincti emiſſi:* & multis pòſt ſeculis, ſublatis tyrannis, reis patuerunt carceres, Honorij, & Theodoſij munere. Honorius & Theodoſius Impp. *Liberatâ Republicâ tyrannidis injuriâ omnium reos relaxari præcipimus.* Vſu recepta & abolitio criminum ob religionem: putà piationem irati numinis etiam Ethnicis graſſante lue. Liuius: *Lectiſternia tunc primùm in vrbe Romana facta per dies octo, vinctis quoque dempta in eos dies vincula, religioni fuiſſe, quibus eam opem detuliſſent vinciri:* Chriſtianis quantò magis ob diem feſtum Paſchatis. Valentinianus Imp. *Ob diem Paſchæ quem intimo corde celebramus, omnibus quos reatus adſtringit, carcer incluſit, clauſtra diſſoluimus: attamen ſacrile-*

in Theophilo. 419.

in Auguſt. 57.

tom. 6. Nou. 6.

lib. 24.

l. fin. C. Th. de indulg. crim.

lib. 5.

l. 3. C. Th. de indulg. crim.

l. 3. C. Iuſt. de ep. aud.

gus, in majeſtate reus, in mortuos veneficus, ſiue maleficus, adulter, raptor, homicida, communione iſtius muneris ſeparentur: Et huius legis obſeruationi ſtudioſè inuigilaſſe Valentinianum locuples teſtis eſt Ambroſius: *Quid de pietate eius loquar, qui cùm homines nobili ortos genere, & locupleti proſapiâ accuſator vrgeret, præfectus inſiſteret, reſpondit, nihil cruentum ſanctis præſertim diebus ſtatueretur.* Contrà Iuſtinæ Valentiniani Iunioris matri grauis aſperſa labes, quòd Ambroſio, & pijs ciuibus certantibus de non tradendis Arrianis Baſilicis, multi circa dies Paſchatis in carcerem compacti ſint. Ambroſius ad Marcellinam; *Condemnationes illicò grauiſſimæ decernuntur; primò in corpus omne mercatorum. Itaque ſanctis diebus hebdomadis vltimæ, quibus ſolebant debitorum laxari vincula, ſtridunt catenæ, imponuntur collo innocentium.* Hanc legem indulgentiæ obuijs manibus amplexa Gallia: hinc recrudeſcit Anteſtij Ducis facinus, quòd diebus Paſchatis Palladius Santonum Epiſcopus ab eo in carcerem raptus ſit, nihil animum emollientibus ciuibus; *Tenetur in via Epiſcopus* (inquit Gregorius Turonenſis) *domus Eccleſiæ deſcribitur, réſque diripiuntur, ciues cum homine obtinere non queunt, vt ſaltem vel celebratâ ſolennitate Paſchali diſcutiatur*: Hâc religione ſeculi non tulit Pictauienſis Epiſcopus Abbatiſſam Monaſterij ſanctæ Crucis per dies Paſchæ à Chrodielde detineri in carcere. Gregorius Turonenſis: *Hæc autem*, inquit, *geſta ſunt ante ſeptem dies Paſchæ; cùmque Epiſcopus hæc omnia grauiter ferret, nec valeret ſeditionem diabolicam mitigare, miſit ad Chrodieldem dicens; Relinque Abbatiſſam vt in his diebus in hoc carcere non retineatur, alioqui non celebrabo Paſcha Domini, neque Baptiſmum in hac vrbe vllus Cathecumenus obtinebit, niſi Abbatiſſa à vin-*

in orat. funebr. Valent.

ep. 33.

lib. 8. hiſt. c. 43.

lib. 10. c. 15.

culo quo tenetur iubeatur abſolui. Non alieno pietatis ſpiritu Edbrithus Rex Cantuarienſium bello captus à Kenulpho Rege Merciorum libertati redditus ob diem feſtum τῶν ἐγκαινίων Eccleſię à ſe conſtructæ. Bedæ Con-
lib. 1. hiſt. Eccleſ. c. 16. tinuator. *Contra Cantuaritas ſucceſſiuum ab Offa ſuſcipiens odium, regionem illam validè afflixit, Regémque eorum Edbrithum cognomine Pren vinctum abduxit, ſed non multò pòſt humanâ miſeratione mollitus ſoluendum curauit; nam apud Vuincelcumbam, vbi Eccleſiam, quæ adhuc ſupereſt, Deo ædificauerat, ipſâ dedicationis die Regem captiuum manumittens libertate palpauit, memoriale clementiæ ſuæ ſpectaculum exhibens.* Ex his abolitionem criminum in regum poteſtate eſſe, ſatis ſupérque conſtat: verùm etiam in Epiſcopos & Comites effuſam operæ pretium eſt indigitare. Regno major Clodoueus, qui Epiſcopos & viros Apoſtolicos in ſocietatem regni vocauit, & Leonardo hoc poteſtatis culmen indulſit, vt quos inuiſeret carceratos; eos à vinculis abſoluere liceret, vt narrant geſta
in vit. S. Leonard. tom. 6. Nou. 6. eius apud Surium. Non ſinè miraculo, in funere Diui Germani Pariſienſis Epiſcopi, ſoluti exſultarunt infelices carcerum inquilini, & funus ſancti Pōtificis adorna-
lib. 5. hiſt. c. 8. runt. Gregorius Turonenſis: *Eo anno & beatus Germanus Pariſiorum Epiſcopus tranſijt, in cuius exſequijs multis virtutibus, quas in corpore geſſerat, hoc miraculum confirmationem fecit; nam carcerarijs adclamantibus corpus in platea adgrauatum eſt, ſolutiſque eiſdem, rurſum ſinè labore leuatur; ipſi quoque qui ſoluti fuerant, in obſequium funeris ad vſque baſilicam in qua ſepultus eſt, liberi peruenerunt.* Quid Eccleſia Rhotomagenſis? nónne à Dagoberto acceptum aſſerit aſyli priuilegium, & ius anniuerſarium abſoluendi rei, etiam capitalis, ob draconem regioni infeſtiſſimum

à Romano Archiepiſcopo ſublatum, adſtite reo è vinculis educto? & jus ſuum auctoritate vetuſtatis tuetur; tametſi falsâ causâ nitatur, vt liquidò probat Rigaltius, ex fide authentici vitæ ROMANI, quam edidit, vbi de dracone, aut reo ne verbum quidem. Hoc iure etiamnum vtitur Aurelianenſis Epiſcopus, vt rei ſoluantur in die ſolennis in vrbem ingreſſus. Iuo Carnotenſis ad Sanctionem Aurelianenſem Epiſcopum: *Inſinuatum eſt enim mihi*, inquit, *per litteras, quòd clericum illum quem in die veſtri introitus ſecundùm morem veſtræ ciuitatis noſtrâ exhortatione de carcere liberaſtis, iterum carcerali cuſtodiæ crudeliter mancipaſtis.* In electiône Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi ſolutos vinculis nexos gratulatur Osbernus Beccenſis Monachus, in Epiſtola ad eundem Anſelmum: *Quid inquam vel ad diuinas laudes magnificentius, vel ad humana ſpectacula gaudentius, quàm quòd in tua electione, excluſis omnibus tranſactæ tempeſtatis afflictionibus, omnia ad proprij iuris poſſeſſionem veluti iubilæo termino concurrerunt, dum vincti ad expeditionem, carcerati ad lucem, captiui ad libertatem, oppreſſi diriſſimis exactorum furoribus redierint ad erectionem.* Imò & Archiepiſcopus Ebredunenſis indulgentias reorum ſibi vindicabat, in temporalis ditionis finibus, vt ſcribit Franciſcus Marcus. Dagoberto acceptum tulit Abbas S. Dionyſij priuilegium noxas capitales remittendi in juriſdictionis ſuæ limite, ex Chronico Dionyſiano. Hoc iure etiam vſus eſt Comes Campanienſis, vt veniam criminum ſuis faceret; verùm quia magiſtratus regij ægrè inſtitutâ cognitione criminis abſtinebant, ſubſidiaria à rege gratia impetrari ſolebat, vt obſeruauit Guido Coquille. Inter cetera regalia*, abolitionum ius efflictim tuebatur Dux

ep. 53. V. L. addictos. C. de epiſ. aud. & Quintil. lib. 5. inſt. orat. c. 10.

apud Anſelmum. lib. 3. ep. 2.

decis. 1. part. qu. 234.

Hiſt. Dion. lib. 1. c. 57.

in inſtit. iur. Franc. tit. de iurib. reg.

Britonum : huiuſce rei luculentum teſtimonium edidit Petrus cognomine Mauclerc, quòd initâ cum D. Ludouico pactione anno M. CC. XXXI. regiam in fidem ſe dedit, recepto tamen iure abolitionis criminum, & reſti-
lib. 5. hiſt. Brit. c. 17. tutionis damnatorum, vt liquet ex Argentræo. His accenſetur & Comes Niuernenſis quem criminum gratiam ex more feciſſe, teſtis eſt Guido Coquille ſuprà
In hiſt. Niuern. laudatus. Denique nimiùm regni majeſtatem huiuſmodi Comitum & procerum licentia deturpauit, donec edicto Ludouici XII. peſſundata, & abolitionum arbitrium in vnum regem confluxit.

Cap. VII.

Jus peregrinos, ſeu aduenas ciuitate donandi. Ius Albinagij, id eſt ſucceſsionis peregrinorum. Peregrini in Gallia incapaces Officiorum, & ſacerdotiorum. Reſeruationes beneficiorum exploſa.

Suidas in verbo μετοικοί. PEREGRINOS, & alienigenas Græci μετοίκους appellarunt, ex quo ortum μετοίκιον, id eſt vectigal annuum, quod ab his penſitabatur
contr. Leptin. pro incolatu. Demoſthenes : ἀλλὰ μὴν γεγράφθαι γε ἀτελεῖς αὐτοὺς εἶναι. τίνος; ἢ τοῦ μετοικίου; *Et tamen ſcriptum eſt immunes eos eſſe : cuius igitur rei? num*
l. heres abſes. §. proinde. ff. de iudic. l. pupillus. ff. de verb. ſig. *metœcij quod inquilini ſoluunt?* Latini aduenas, poſterior ætas etiam aduenas, vel aduentitios vocitauit. Idiotiſmus Albinates, *Aubains*, deducto ſcilicet nomine ex voce Latina Aduena. Eoſdem Albanos appellaſſe videtur diploma Lotharij & Ludouici ad petitionem Eliſiardi

Eliſiardi Pariſienſis Epiſcopi,apud Pithœũ;quo ex loco *in Glosſario. in capitul. Carol. M.* *malè ſibi perſuaſum habuit quidam, peregrinos in Gallia Albanos dictos,ab Albanis,id eſt,Scotis,quòd peregrinationibus valdè dediti eſſent.Scio Scotos Albianos quandoque dictos, quòd Albionem inſulam, id eſt Britanniam occuparint, ſed ex eo non moueor, vt Albanorum nomen inde accommodatum ſit peregrinis in Gallia, hîc enim non alio, quàm Scotorum nomine celebratos inuenies : vt apud Hieronymum : *Quid loquar de ceteris nationibus, cùm ipſe adoleſcentulus in Gallia viderim Scotos gentem Britannicam humanis veſci carnibus?* *lib.2.adu: Iouinian.* Et in Concilio Meldenſi *Hoſpitalia Scotorum* : Et in Capitularibus Ludouici P. *Sunt in quibuſdam locis Scoti qui ſe dicunt Epiſcopos eſſe.* *Can. 40.* *add. 3. c.37.* Verius fuerit vocem Gallicam, *Aubains*, ſemel ortam ex Latino aduena, imperitiâ æui in peius ruente, Latinè redditam Albanos ob ſoni concentum. * Quòd ſi altiori inueſtigationi huiuſce nominis operam dare iuuaret, Albanos potiùs dictos videretur, quaſi Albatos, quòd vſum togæ albæ, quæ erat inſigne ciuis Romani, & hominis liberi ambirent. Tertullianus : *Atqui & veſtis albæ nitore, & aurei anuli honore, & patroni nomine & tribu, menſáque honoratur.* *lib. de reſur. carn. c. 57.* Nec eſt quòd rideas alienam à Gallis noſtris conjecturam; nam & inclinante Imperio togam albam iure Quiritum retinebant : Hinc ironicè Sidonius Thaumaſto. *Albati ad exſequias, pullati ad nuptias.* *lib. 5. ep. 7.* Porrò ſtante Republicâ penès populum Romanum fuit ius peregrinos ciuitate donandi. Nec ſine lege Cn. Pompeio, Magni patri poteſtas data in ciues aſciſcendi benemeritos de Republica. Tullius : *Naſcitur iudices cauſa Cornelij ex ea lege quam L. Gellius, Cn. Cornelius ex Senatus ſententia tulerunt, quâ lege* *pro Balbo.*

videmus ſatis eſſe ſanctum, vti ciues Rom. ſint ij quos Cn. Pompeius de conſilij ſententia ſigillatim ciuitate donauerit. Mutatâ Republicâ ius dandæ ciuitatis beneficij ſui fecerunt Iulius Cæſar, & eum ſecuti principes: de Iulio idem Tullius ad Acilium Procos. *Cum Demetrio Mega mihi vetuſtum hoſpitium eſt, familiaritas autem tanta quanta cum Siculo nullo, ei Dolabella rogatu meo ciuitatem à Cæſare impetrauit, qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur: cùmque propter quoſdam ſordidos homines qui Cæſaris beneficia vendebant, tabulam in qua nomina ciuitate donatorum inciſa eſſent, reuelli iuſſiſſet, eidem Dolabella me audiente Cæſar dixit, nihil eſſe quòd de Mega vereretur, beneficium ſuum in eo manere.* De Auguſto Tranquillus: *Ciuitatem Romanam parciſſimè dedit.* Hinc Tiberio laboranti de voce non Latina, quæ ſibi in edicto exciderat, & peritos Latinæ linguæ conſulenti, Atteio Capitone dicente, tametſi nemo ante ipſum hoc vocabulo vſus eſſet, nunc nihilominùs in Tiberij gratiam inter antiqua referendũ; liberè Marcellus apud Dionem, *σὺ καῖσαρ ἀνθρώποις μὲν πολιτείαν ῥωμαίων δύνασαι δοῦναι, ῥήματι δὲ οὔ. Hominibus Cæſarem*, inquit, *ciuitatem Romanam dare poſſe, dictionibus non poſſe:* Proinde etiam de peregrinitatis reis, id eſt qui falsò ſe pro ciuibus Romanis gererent extra ordinem cognouit Claudius Tranquillo. *Peregrinitatis reum orta inter Aduocatos leui contentione togatúmne an palliatum dicere cauſam oporteret, quaſi æquitatem integram oſtentans, mutare habitum ſæpiùs, & provt accuſaretur, defenderetúrue iuſſit.* Harpocrati Iatraliptæ ſuo, homini Aegyptio ciuitatem Romanam petit Plinius à Traiano: *Quare rogo*, inquit, *des ei ciuitatem Romanam; eſt enim peregrinæ conditionis manumiſſus à peregrina.* Conſtitutione

lib. 13. ep. 36.

in Auguſt. c. 40.

lib. 57. Tranquill. de illuſtr. Grammat. cap. 22.

in Claud. c. 15.

lib. 10. ep. 5. & 6.

Antonini P. ciuitatis Romanæ honos vulgatus, vt hâc arte vileſceret, & ingenui omnes qui eſſent in orbe ROmano ciues ROmani facti, atque adeò manumiſſi omnes Nouellâ Iuſtiniani; ex quo factum, vt ROMA vna omnium patria & ciuitas eſſet. RUtilius Numatianus, l. in orbe Rom. ff. de ſtat. hom. Nou.78.c.1. itiner. l. 1.

Felices etiam qui proxima munera primis
Sortiti Latias obtinuêre domos.
Relligioſa patet peregrinæ curia laudi,
Nec putat externos quos decet eſſe ſuos.

Et ſcitè Sidonius ad Eutropium. *In qua vnica*, inquit, *totius mundi ciuitate ſoli barbari, & ſerui peregrinantur.* Hâc lege Antoninus iure ciuitatis ROmanæ in omnes prouinciales effuſo, à Græciæ ciuitatibus grauiſſimam legem depulit, quæ Græcos ciuitatis ROmanæ compotes adigebat extraneos ex parte; vel fiſcum inſtituere, ſi eorum liberi Græcorum partibus ſtuderent, Pauſanias. ὅσοις τῶν ὑπηκόων πολίταις ὑπῆρχεν εἶναι ῥωμαίων, καὶ οἱ παῖδες ἐτέλουν σφίσιν ἐς τὸ ἑλληνικὸν, τούτοις ἐλείπετο εἰκότα νεῖμαι τὰ χρήματα ἐς οὐ προσήκοντας, ἢ ἐπαυξῆσαι τὸν βασιλέως πλοῦτον, καὶ νόμον δή τινα ἀντωνῖνος οἱ ἐφῆκε, καὶ τούτοις διδόναι σφᾶς παισὶ τὸν κλῆρον: *Lex erat vt ſocij qui iure Quiritium donati eſſent, ſi eorum liberi cum Græcis cenſeri mallent, iuſtam bonorum partem alienis relinquerent, nec in principis fiſcum referrent, licere voluit Antoninus ipſis etiam filios heredes facere.* Gallia hoſpitalitatis laude inter ceteras orbis gentes inclaruit, Scotis tædio infelicis ſoli tranſnauigantibus patuit: plures his xenones adornauit; & Epiſcoporum prouidentia curauit, vt liquet ex Concilio Meldenſi: cellam ſancti Iudoci Alcuino tribuit Carolus M. in opem peregrinorum, ex Lupo Ferrarienſi: minimè tamen peregrini in Gallia ius lib. 1. ep.6. in Arcadicis. Can. 40. ep. 11.

ciuitatis adepti ſunt ſinè præcepto regio, ſaltem florente imperio. Caroli M. & Ludouici P. ætate, Hiſpani Sarracenorum iugo obtriti emigrarũt in Galliam, & & nouas in Aquitania & Septimania ſibi ſedes quæſierunt, ſed non ſinè regiæ conceſſionis diplomate ius prædia poſſidendi, & iuſtos heredes habẽdi eis partum, cuius expertes erant ob vitium peregrinitatis; qua de re exſtant duo Ludouici diplomata à Pithœo primùm edita; prioris hæc ſunt verba. *Nouerint tamen iÿdem Hiſpani, ſibi licentiam à nobis eſſe conceſſam, vt ſe in Vaſſaticum Comitibus noſtris more ſolito commendent, & ſi beneficium aliquod quiſpiam eorum ab eo cui ſe commendauit fuerit conſequutus, ſciat ſe de illo tale obſequium ſeniori ſuo exhibere debere, quale noſtrates homines de ſimili beneficio ſenioribus ſuis exhibere ſolent.* Eò pertinet & alterius cautio: *Ceteri verò qui ſimul cum eis venerunt, & loca deſerta occupauerunt, quicquid de incerto excoluerunt, abſque vllius inquietudine poſſideant tam ipſi, quàm illorũ poſteritas; ità dumtaxat, vt ſeruitium noſtrùm cum illo qui ipſum præceptum accepit pro modo poſſeſſionis quam tenet, facere debeat: hi verò qui poſteà venerunt; etſi aut Comitibus aut Vaſſis noſtris aut paribus ſuis ſe commendauerunt, & ab eis terras ad habitandum acceperunt, ſub tali forma eas in futurum & ipſi poſſideant, & ſuæ poſteritati derelinquant.* De peregrinis ſanè iamdiu coniugatis non pellendis, Capitulare edidit Carolus M. ceterùm non eodem iure, quo ciues fruebantur; imò ne lapſu temporis, ciuium in numerum irreperent abſque autoritate principis; cogebantur edere nomina apud Miſſos regales, & in peregrinorum cenſum referebantur, ex alio Capitulari eiuſdem Caroli, de Aduentitijs: *Vt cùm Miſſi noſtri ad placitum venerint, habeant*

lib. 3. Cap. 18.

lib. 4. c. append. 2. c. 4.

ſcriptum quanti aduentitij ſunt in illorum miſſatico, aut de quo pago ſunt, & nomina eorum, & qui ſunt eorum ſeniores. Iure ciuili, peregrini & aduenæ teſtamenti faciendi vel capiendi ex alieno teſtamento ius non habuerunt. M. Tullius de Archia poëta: *Iis temporibus quæ tu criminaris, ne ipſius quidem iudicio eum in ciuium Romanorum iure eſſe verſatum, & teſtamentum ſæpe fecit noſtris legibus, & adijt hereditates ciuium Romanorum, & in beneficijs ad ærarium delatus eſt à L. Lucullo prætore, & Conſule:* Huic iuri congruis Francorum moribus fiſcus morientis aduenæ bona occupat, niſi in ciuem cooptatus ſit beneficio principis: meliùs lex Gothica fiſcum abſtinuit bonis peregrinorum, niſi abſque herede legitimo, vel teſtamentario deficerēt. Theodoricus Gildæ Comiti Syracuſano apud Caſſiodorum: *Quorumdam ſubſtantias mortuorum ſinè aliqua diſcretione juſtitiæ, fiſci nomine, caduci te perhibēt titulo vendicare, cùm tibi hoc tantùm de peregrinis videatur eſſe commiſſum, quibus nullus heres, aut teſtamentarius, aut legitimus inuenitur.* Quo iure inſtaurato conſtitutione Friderici II. peregrinis & aduenis ſuum heredem ex teſtamento, vel ab inteſtato omnino habere licuit. His omnibus antiquior apud Indos lex fuit, quâ peregrinantes apud eos æquo cum indigenis iure vtebantur. Publicè conſtituti erant aduenarum præfecti, qui ne quid injuriæ paterentur ſolicitè prouidebant; ſi morbo tentarentur, medicos adhibebant, ſumptus & curam impendèbant, defunctos ſepulturæ tradebant, & res ab his relictas cognatis reſtituebant: ἐπὶ δὲ τὰ καταλειφθέντα τῶν ξένων χρήματα τοῖς προσήκουσιν ἀποδιδόασι, ſi fides Diodoro Siculo. Romæ honores gerere ſolis ciuibus datum: moribus noſtris peregrini à republica arcentur, nec eis

l. 1. C. de hered. inſtit.

lib. 9. var. ep. 14.

auth. omnes peregrini. C. comm. de ſucceſſ.

lib. 2. Biblioth.

patet aditus ad ſacerdotia, vel præfecturas : ob id, nî fallor, Pontificias reſeruationes beneficiorum amandarunt, quòd hoc pacto Pontifices Gallicanis Eccleſijs clericos peregrinos & tranſalpinos obtruderent. Matthæus Paris : *Eodémque tempore cùm vellet Dominus Papa* [Innocentius IV.] *quibuſdam præbendis Lugdunenſis Eccleſiæ vacantibus, quoſdam alienigenas conſanguineos, vel affines ſuos, inconſulto Capitulo introducere, reſtiterunt ei in facie Canonici Lugdunenſes comminantes, & cum iuramento obteſtantes, quòd ſi tales apud Lugdunum apparerent, non poſſet eos vel Archiepiſcopus, vel Canonici protegere, quin in Rhodanum mergerentur.* Hac de cauſſa etiam in Clementem VI. grauiter commotus Eduardus III. Rex Anglorum, quòd huiuſmodi prouiſionum genere, dignitates & Eccleſias vacantes Angliæ, paſſim conferret alienigenis, ſibi de fide ſuſpectis, non reſidentibus, & qui creditorum gregum vultus non agnoſcerent, linguam non callerent, & animarum ratione inſuper habitâ, commodis ſuis tantùm inhiarent, ex quo iura coronæ Regiæ & patronatus laïci euerterentur, vt inſinuat expoſtulatoria eius Epiſtola ad Pontificem, quæ exſtat apud Thomam Vualſingan. Reſeruationes porrò Apoſtolicas, vt hoc breui deflexu moneam, etiam ante Alexandrum III. notas fuiſſe obſeruo. Præbendam liberam, id eſt vacantem, ſi qua eſſet, vel proximè vacaturam pro Guarino clerico, depopoſciſſe Innocentium II. ab Attone Trecenſium Epiſcopo ſatìs ſignificat Petrus Cluniacenſis in Epiſtola ad ipſum Attonem. *Pro Guarino clerico monachum noſtrum præcurrente, ſatis ſobrium nobis Dominus Papa mandatum impoſuit, vt ſi libera præbenda pateret ei daretur, ſi non, prima quæ occurreret præberetur, &c.* Sanè

A.C. 1245.

in Eduard. III. 1343.

lib. 2. ep. 33. cũ duab. ſeqq.

ab Alexandro III. id genus prouiſionum valde frequentatum fuiſſe, ſatìs ſupérque notum eſt varijs ex Decretalium locis, & ex Epiſt. ipſius Alexandri III. ad Abbatem, & Capitulũ S. Remigij Rhemenſis, cuius verba attexere non piget : *Paſtoralis cura & ſolicitudo quam licèt immeriti, diſponente Domino gerimus, nos admonet propenſiùs & hortatur pro viris Eccleſiaſticis, & præſertim pro his qui nullum habent Eccleſiaſticum beneficium & ſunt bonæ opinionis & famæ ſolicitos ſemper, & ſtudioſos exiſtere, & Eccleſiarum prælatos, vt eis in competentibus beneficijs prouideant propenſiùs inuitare. Hâc itaque ratione inducti, &c.* Hócque mandati genere vſus memoratur Alexander III. in præbendas Marſnenſes fortè ignorans ſancti Remigij Monaſterio tributas. Petrus Cellenſis in Epiſtola ad Albertum Cancellarium : *Nuper verò Dominus Papa, rem vt credimus, ignorans, iam ſecundò ſcripſit Præpoſito noſtro de Marſna, vt daret præbendam cuidam clerico Imperatoris, cùm nec Præpoſitus dare poſſit, nec ſit præbenda quæ dari poſſit.* Ius Albanagij, vt ad nos redeamus, flagrantibus bellis inter Francos & Anglos odio Anglorum acerbiùs à Regibus noſtris exercitum, non leui argumento eſt, quòd Anglos etiam ſtudioſos per id temporis Galliâ pulſos expoſtulauit Ioannes Saresberienſis, Epiſtola ad Petrum Scriptorem : *Bella & ſeditiones vbique feruent, Mercuriales adeò depreſſi ſunt, vt Francia omnium mitiſſima & ciuiliſſima nationum, alienigenas Scholares abegerit.* Imò laborante regno in tertiæ Dynaſtiæ cunabulis, ipſi etiam Duces & Comites, peregrinos in ciues aſciſcere, honorum, ſacerdotiorum, & hereditatum capiendarum poteſtatem eis facere non dubitarunt. Ottonem Guillelmum cognomine peregrinum, putà ortu Longobardum, he-

ep. 43. ex edit. Sirm. in calce.

ep. P. Cellenſ.

lib. 8. ep. 15.

ep. 212.

redem ſcripſit ac ſortitus eſt Henricus Dux Burgundiæ, ferente Roberto Rege, vt ſcripſere Aymoïnus, & Glaber Rodulphus. Inſignes Ducatus & Comitatus, dum Angli tenuêre in Gallia, paſſim ſuos ad Epiſcopatus prouexerunt, reclamante Iuone Carnotenſi, & Petro Cellenſi: Ac poſtremùm durioribus verbis increpatus Franciſcus II. Dux Britonum, quòd iure Albinatus in ſuæ regionis finibus vteretur, & Anglos honoribus & beneficijs ad inuidiam cumularet, omiſſis popularibus. Moribus etiam Galli non potuere poſtulari in Epiſcopos in exteris prouincijs, ſinè aſſenſu principis, vel Domini, id eſt Ducis, vel Comitis. Anſelmus ex Abbate Beccenſi poſtulatus in Archiepiſcopum Cantuarienſem, ſed non ſinè aſſenſu, Roberti Comitis Normanniæ, vt docet Epiſtola fratrum Beccenſium ad ipſum Anſelmum: *Auditâ conceſſione Domini noſtri Normanniæ principis, & Archiepiſcopi noſtri Rothomagenſis, quam de vobis ad petitionẽ Regis Anglorum, & omnium fere eiuſdem gentis principum fecerunt, vt ad culmen ſcilicet promoueamini Archiepiſcopatus, pro ea etiam quæ ad nos de nobis pertinebat, & à nobis exſpectabatur confeſſione omnes in vnum congregati ſumus.* Cui adſtipulatur & Anſelmi Epiſtola: *Deo de me quod vult, vt de creatura ſua velim nolim diſponente, & Reuerendo principe noſtro Domino Normannorum Roberto concedente, & Archiepiſcopo noſtro Guillelmo præcipiente, & nobis à Deo coactis, fauentibus, à veſtra cura ſum abſolutus & majori inuolutus.*

Aimoïn. lib. 5. c. 47. Glaber lib. 3. c. 2.
ep. 159. lib. 7. ep. 8.
apud Anſel. lib. 3. ep. 6.
lib. 3. ep. 8.

Cap. VIII.

Cap. VIII.

Ius plebeios nobilitandi. Nobilitas valde ſpectata in Gallia. Canonici ex nobilibus. Milites. Scutiferi. Baculary.

Potior, clariórque apud omnes gentes fuit nobilitas, quæ ex genere duceretur: ex quo Ariſtoteli definitur virtus generis: ἐυγένεια γὰρ ἔςιν ἀρετὴ γένους. Proximum locum tenet nobilitas, quæ præfecturâ militari quæſita eſt, vel etiam ciuili, putà dignitate Senatoriâ. Gregorius Nazianzenus: μέγιςον εἰς εὐγένειαν ἀπόδειξιν συγκλήτου βουλῆς, μετουσία καὶ προεδρία: *maximum nobilitatis argumentum ſenatus dignitas, vel primatus.* Deterior opinione hominum nobilitas, quæ reſcripto principis auctoratur; indulgentia enim quos liberat notat: hinc idem Nazianzenus vtriuſque nobilitatis genearchicæ & codicillaris diſcrimen ponit: ἐπεὶ πῶς ἄνωθεν εὐγενὲς, οὗ τὸ μὲν ἄρχεται νῦν, τὸ δὲ καταλύεται, καὶ τοῖς μὲν οὐ δίδοται τοῖς δὲ γράφεται; *Quonã pacto ab antiquo hæc nobilitas, quæ nũc incipit, nunc diſſoluitur, alijs negatur, alijs autem principis reſcripto conceditur?* Eiuſdẽ ſententiæ eſt quod Nazianzenus alio loco, apud nobiles Conſtãtinopolitanos elocutus eſt, fœdari nobilium ordinem ignobiliũ colluuie per libellos principis. οἱ τὸ γένος κομπάζοντες τὸν τρόπον ἐξευγενήσατε ἐξευγενέστατον ἦν ἄν τι τὸ ὑμέτερον εἰ μὴ καὶ δέλτοι τοὺς δυσγενεῖς ὑμῖν ἔγραφον: *Genus iactantes, mores quoque nobilitate; nam tum verè nobiliſſimus ordo veſter eſſet, niſi libelli, ignobiles etiam in veſtrum ordinem aſcriberent.* Tertiùm eandem ſententiam repetit Nazianzenus alio loco, vbi

Politic. lib. 3. c. 13.

orat. 18.

orat. 25.

orat. 27.

orat. 18. adde Iſid. Peluſiot. lib.3.ep.191.

varia nobilitatis genera enumerans, primum è ſuperna & communi omnium mortalium origine deducit; ſecundum è ſanguine; tertium è virtute; quartum, & infimum ex reſcripto : τὸ ἐν γράμμασι ϗ προςάγμασι. Romanis nempe nobilitatem cõſciſcere ſolius principis beneficium fuit. Plinius : *Cæſaris eſt*, inquit, *vt nobiles & conſeruet, & faciat*. Eóque pertinet quod iactant Iuriſconſulti, ius aureorum annulorum tribuere & natalibus, id eſt, ingenuitati reſtituere in poteſtate principis tantùm eſſe. Moribus Galliæ, plebeium nobilem, ſeu militem facere regij faſtigij eſt, vt palàm eſt apud forenſes noſtros. Eodem iure vtitur Germania, & Anglia, hinc Rodulphum Brunonem, Magiſtrum, ſiue Majorem Tigurinum, à Carolo IV. Imperatore, etſi plebeium, militem effectum obſeruat Albertus Argentinenſis : *In quo itinere Rodolphus Bruno magiſter ciuitatis* [Tigurinæ] *diùque potior, ibidem quamuis plebeius eſt miles effectus*. Et Robertum Sallium Anglum, genere ignobilem, ob bellicam laudem in ordinem militum ab Eduardo III. Anglorum Rege aſcitum, memorat Ioannes Froſſardus. His verbis : *Il y auoit vn Cheualier, Capitaine de la Ville de Nordvuich, qui s'appelloit Meſſire Robert Salle, point Gentilhomme n'eſtoit, mais il auoit la grace, le fait, & la renommée d'eſtre vaillant aux armes, & l'auoit fait pour ſa vaillance le Roy Edoüard, Cheuallier.* Verùm remittente tertiæ regum Dynaſtiæ imperio, etiam Duces & Comites, nobiles fingere ad libidinem non dubitarunt : hoc iure ſe iactabat Comes Flandrenſis, donec ſolenni ſenatus Pariſienſis decreto anni M. CC. LXXX. quempiam de plebe militem facere vetitus eſt. Ioannes Gallus. *Non obſtante*, inquit, *vſu contrario ex parte Comi-*

in Panegyr. ad Traian.

l.1.& 2.ff. de natalib. reſt. l. 1. & 2. C. de iur. aureor. annul. Suet in Galba. c. 10.

in Chron.

tom. 2. Chron.c.77.

in arreſt. ſyntagmate.

tis Flandrenſis propoſito, dictum & pronunciatum fuit contra dictum Comitem, quòd non poterat, nec debebat facere de villano, militem, ſinè auctoritate regis, & hoc fuit dictum pro filio Philippi de Borbonio. Imò multò audaciùs Campaniæ Comites cruento in prælio pænè ad internecionem deletâ Campanâ nobilitate, ſuis legem ſciuerunt, vt nobilitas etiam maternâ origine cenſeretur : vnde orta vox Gallica : *En Champagne le ventre anobliſt*, vt adnotauit Petrus Pithœus. Quid Comes Niuernenſis? municipes ſuos nobilitatis ſtemmate inſignire, feudorum compotes efficere præſumpſit, vt probat Guido Coquille. Ex conſuetudine itidem ius factum in Prouincia & Bellicadrenſi pago, vt Epiſcopi & Barones citra cõſenſum Regis, plebeios militiæ cinguilo ritè decorarent, teſte Ioanne Tillio : plebeios ait; nam nobilem etiam alij à rege, putà Duces & Comites in militiæ culmen euehere ſinè controuerſia potuerunt : quam ob rem militiæ cingulo donatus Rex Scotorum ab Henrico III. Rege Anglorum, equum regium vindicante ex more Comite Mareſchallo non annuit, ſibi integrum fuiſſe, obteſtatus ab alio quolibet principe Chriſtiano, vel vno ex ſuis Comitibus militiæ ornamenta ſuſcipere. Matthæus Paris : *Die igitur natalis Domini, Dominus Rex Angliæ baltheo apud Eboracum donauit militari Regem Scotiæ, & cum eo tyrones fecit viginti : in hoc autem tyrocinio & nuptijs Comes Mareſcallus ius ſuum & auitam ſibi conſuetudinem inſtanter fieri flagitauit; ſcilicet palefridum Regis Scotiæ, quem pro iure vendicauit, ſibi ſtratum exhiberi, non pro precio, vel concupiſcentia, ſed pro antiqua conſuetudine in caſibus conſimilibus, ne in ſuo tempore pro ſua deſidia deperiret: cui reſponſum fuit, quòd Rex Scotiæ tali non ſubiacet exactioni, quia ſi place-*

in conſuet. Trec.

in hiſt. Niuern.

in titul. de equitib.

in Henrico III. 1252.

ret ei, potuit ipſa arma ſuſcipere à quovis principe Catholico, vel ab aliquo nobilium ſuorum. Nobilium porrò (vt hoc addam non alienum ab inſtituto) iam olim ſumma in Gallia fuit ratio, plebis fere nulla: nobilibus enim in plebem eadem fuit poteſtas, quæ Dominis in ſeruos, teſte Cæſare. Redactâ à Romanis in prouinciam Galliâ nobilibus ſuus honor omnino non excidit, ex quo Honorati dicti, & in conuentu generali Galliarum Arelate quotannis celebrari ſolito, primus eis conſeſſus poſitus, ex conſtitutione Honorij ad Agricolam PP. Galliarum, quam dedit Nicolaus Cuſanus: *Vt ab idibus Auguſti quibuſcunque medijs diebus in idus Septembris, in Arelatenſi vrbe nouerint Honorati, vel poſſeſſores iudices ſingularum prouinciarum annis ſingulis concilium eſſe ſeruandum, &c.* Nec non eiſdem ſuppetijt prærogatiua ſuffragij ſeorſim à plebe in electione Epiſcoporum. Leo I. ad Epiſcopos Viennenſis prouinciæ: *Vota ciuium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum in ordinationibus ſacerdotum exſpectantur.* Inclinante etiam imperio Gallos nobiles à plebe diſtinxit capillus. Sidonius, ad Ecdicium: *Si nullæ*, inquit, *à Republica vires, nulla præſidia, ſi nullæ quantùm rumor eſt Anthemij principis opes, ſtatuit te auctore nobilitas, ſeu patriam dimittere, ſeu capillos:* Id eſt deditione ſaluti conſulere: & capillum ponere auitæ libertatis & nobilitatis inſigne. A Romanis ſummâ imperij Gallici in Francos tranſlatâ, nobiles regni penè conſortes rerum culmen tenuere, & dignitatis argumento Francorum nomen proprium ſibi fecerunt, vt liquet ex varijs locis Gregorij Turonenſis, & illo Reginonis: *Teſtamentum fecit* (Carolus M.) *& ſacramentum interpoſitum à Francis confirmatum eſt.* Solos

lib. 6. de bell. Gallic.

lib. 3. de concord. catholic.

ep. 87.

lib. 2. ep. 1.

Plin. lib. 3. c. 5. & lib. 4. c. 17.

lib. 2. chron. 806.

nobiles hâc ætate, militiâ & præfecturis prouectos notius eſt, quàm probatione indigeat; ſed & vix alij quàm nobiles Epiſcopi fiebant, quaſi natiuo virtutis cum nobilitate commilitio: inde Simplicium Electum Bituricenſem Metropolitanum, de natalium claritate commendat Sidonius: *Si natalibus ſeruanda reuerentia eſt, quia & hos non omittendos Euangeliſta monſtrauit (nam Lucas laudationem Ioannis aggreſſus, præſtantiſſimum computauit, quòd ſacerdotali de ſtirpe veniebat; & nobilitatem vitæ prædicaturus, priùs tamen extulit familiæ dignitatem) parentes ipſius aut cathedris, aut tribunalibus præſederunt; illuſtris in vtraque conuerſatione proſapia, aut Epiſcopis floruit, aut præfectis.* post ep.9. lib.7. in côc. Generis laudem non tacuit Fortunatus in Leontio Burdegalenſi Epiſcopo, lib. 1. c. 4.

Eccleſiæ nunc iura regis venerande ſacerdos,
Altera nobilitas additur inde tibi.

Felicem Nannetenſem Epiſcopum, Aquitanum, ſplendore natalium prædicat idem Fortunatus.

Maxima progenies titulis ornata vetuſtis, lib. 3. c. 8.
Cuius & à proauis gloria celſa tonat:
Nam quicumque potens Aquitanica iura ſubegit
Extitit ille tuo ſanguine luce parens.

Bituricenſi Eccleſiæ Remigij fato vacanti, Sulpitium nobilitate ſecum cum virtute certantem ſuffecit Guntrannus Rex, cum hoc elogio apud Gregorium Turonenſem: *Sulpitius vobis erit Epiſcopus; eſt enim vir valde nobilis, & de primis ſenatoribus Galliarum, &c.* lib. 6. hiſt. c. 31. Denique adeò nobilitatis rationem habuit Eccleſia Gallicana, iuſto de virtutis acceſſione iudicio, vt plures in hunc diem Eccleſiæ, nonniſi nobiles in Canonicos, vel monachos aſciſcant: ſic nobiles vtroque ſtemmate inſtituti Ca-

nonici Lugdunenſes, ex quo Lugdunenſis Comitatus olim imperij beneficium, & pars regni Arelatenſis, Conrado Imperatori, & Henrico eius filio delati, teſtamento Rodulphi Regis Burgundionum, munere imperatorum, Lugdunenſi Eccleſiæ tranſcriptus, vt obſeruat Ioannes Seuertius. Sunt & plures in Germania Eccleſiæ matrices, & Monaſteria vtriuſque ſexus, quæ non niſi nobilibus patent, vt Argentinenſis, ſiue Straſburgenſis Eccleſia. Gregorius IX. *Verum*, inquit, *procurator Argentini Capituli propoſuit ex aduerſo, quòd idem Capitulum hoc audito conſuetudinem allegans antiquam inuiolabiliter obſeruatam, iuxta quam nullum niſi nobilem, & liberum, & ab vtroque parente illuſtrem, honeſtæ conuerſationis, ac eminentis ſcientiæ in ſuum conſortium hactenùs admiſerant, ne contra hoc fieret ad Sedem Apoſtolicam appellauit.* Eodem iure gaudet Herbipolenſis Eccleſia. Albertus Argentinenſis: *Epiſcopus Herbipolenſis ciuitatem Herbipolenſem potenter obſedit, pro eo quòd vnus ciuitatenſis præbendam Eccleſiæ Herbipolenſis contra Eccleſiæ conſuetudinem, quæ numquam ciuitatenſes receperat, impetrauit à ſede.* Nobilitatem affectat & cœnobium Luneburgenſe. Paulus Langius: *Luneburgenſis cœnobij Monachi omnes nobiles ſecundùm ſeculum exiſtunt, nec in eo niſi ingenui ſuſcipiuntur.* His adde, & aſceteria Canonicarum ſecularium Belgij, & Germaniæ. Iacobus à Vitriaco: *Ad imitationem & exemplum Canonicorum ſecularium in partibus Hannoniæ, & Brabantiæ, & in quibuſdam Teutonicorum & Alemannorum prouincijs, quædam ſunt mulieres quas Canonicas ſeculares ſeu domicellas appellant; non enim moniales nominari volunt, ſicut Canonici ſeculares Monachi non dicuntur: Hæ ſiquidem adeò perſonas accipiunt, quòd nonniſi filias militum & nobilium in ſuo colle-*

in Epiſcop. Lugdun.

in cap. venerabilis. 37. ex. de præbend.

in Chronic.

in chron. Citiz.

lib. 2. Occident. hiſt. c. 31.

gio volunt recipere, religioni & morum nobilitati ſeculi nobilitatem præferentes. Nobilium in Gallia, clariſſimum inſigne vectigalium immunitas, pretium ſanguinis ab his & majoribus fuſi pro Republica; ob id graue & inſolens viſum, quoties huiuſmodi libertatem tentari contigit. Gregorius Turonenſis, de Audone Comite: *Ipſe enim cum Mummolo præfecto multos de Francis qui tempore Childeberti ſenioris, ingenui fuerunt publico tributo ſubegit.* Et Rigordus, ſcriptor vitæ Philippi Auguſti: *Milites qui olim ſuâ libertate gaudere conſueuerant, & homines ipſorum tertiauit, id eſt tertiam partem omnium bonorum ſuorum eis violenter abſtulit.* Nobilibus Anglis conſuluit Henrici I. lex de immunitate prædiorum, apud Matthæum Paris: *Militibus qui per loricas terras ſuas defendunt, terras dominicarum Carrucarum ſuarum quietas ab omnibus gelidis, & omni proprio dono meo concedo.* Mitiùs etiam lege actum cum nobilibus, quã cum plebeijs, putà nobiles flagellis cædi lex Francica vetuit. Fredegarius. *Childericus Rex vnum Francum nobilem, nomine Bodilonem, ad ſtipitem tenſum cædere contra legem præcepit.* Alia fuit nobilium pœna, alia municipalium. Moris pro lege fuit apud Francos, & Sueuos incendiarium, aut prædonem, ſi nobilis ſit, antequàm morte plectatur, ignominiæ causâ canem circumferre: ſi plebeius ſellam, ſi ruſticus rotam aratri. Otho Friſingenſis: *Denique vetus conſuetudo pro lege apud Francos & Sueuos inoleuit, vt ſi quis nobilis, miniſterialis, vel colonus coram ſuo iudice pro huiuſmodi exceſſibus reus inuentus fuerit, antequàm mortis ſententiâ puniatur, ad confuſionis ſuæ ignominiam nobilis canem, miniſterialis ſellam, ruſticus aratri rotam de Comitatu in proximum Comitatum geſtare cogatur.* Hermannus. Comes Palatinus hoc ſuppli-

lib. 7. hiſt. c. 15.

in geſt. Philip. Aug.

A. C. 1110.

cap. 95.

lib. 2. de geſt. Frideric. c. 18.

cio plectitur, & hoc idem carmine expreſſit Guntherus:
Ligurini. lib. 5. eodem pœnæ genere ab Othone I. multatus Eberhardus Comes, & ſocij facinoris, ob incendio datam ciuitatem Elmeri. Abbas Vrſpergenſis : *Eberhardus quoque Comes iratus contra Bruningum quendam ex primoribus, collectâ manu ſuccendit ciuitatem illius, vocabulo Elmeri, interfectis omnibus eiuſdem ciuitatis habitatoribus : pro qua præſumptione condemnauit eum centum talentis, omnéſque principes qui ad hoc eum iuuabãt de decore canum, quos aportabant vſque ad vrbem regiam quæ dicitur Magdeburg.* Militarem pœnam Caniculi ſubijt Gerardus Comes, cum quingentis militibus, quòd manus inieciſſet in Henricum Decanum Magdeburgenſem, eíque oculos eruiſſet.

in Chron. id. Vu.tichind., li. 2.

lib. 7. hiſt. Slau. c. 2. Arnoldus Lubecenſis : *Quæ præſumptio hoc modo mulctata eſt, vt mille marcas argenti iniuriato perſolueret, & de feudo ſuo ad centum marcas argenti Eccleſiæ majori reſignaret, & cum multis nobilibus hominium ei faceret, & cum quingentis militibus militarem ei pœnam perſolueret; id eſt, vt ſinguli milites de loco perpetrati ſceleris, vſque ad fores majoris Eccleſiæ caniculum deferrent.* Haud tacendum nobiles, tres in ordines eſſe ſuccenturiatos; nempe Militum, Scutiferorum, & Bacalariorum. Quos in idiotiſmo vocamus, *Cheualiers, Eſcuyers, Bacheliers :* Equites Militum nomine indigitauit poſterior ætas, quòd primas militiæ partes in equitatu poſitas implerent, & militiam gloriæ, virtutíſque cauſâ ſinè ſtipendio ſubirent : ex quo milites ea ætas diſtinxit à Seruientibus, id eſt militibus
ad A. C. 1161. ſtipendiarijs. Robertus Montenſis : *Rex verò Henricus obſedit prædictum caſtrum, & illicò cepit, in quo erant triginta*
ad A. C. 1177. *quinque milites, & quatuor viginti ſeruientes.* Et idem alio loco : *Sed tamen Rex Hieruſalem & Patriarcha, &*

alij

alij religioſi viri habentes paucos milites & ſeruientes per virtutem ſanctæ Crucis vicerunt innumerabilem exercitum paganorum. Matthæus Paris. *Duces, Comites, & Barones, milites, & ſeruientes.* A. C. 1213. Ac ſeruientes ijdem videntur cum his quos eadem ætas milites ſolidarios vocitauit, quòd in ſolidis, forenſi nummorum genere ſtipendia his numerarentur. Idem Montenſis : *Capitales Barones ſuos cum paucis ſecum duxit : ſolidarios verò milites innumeros.* ad A.C. 1160. Et Radeuicus : *Milites, qui ſolidarij vocantur.* lib. 1. de geſt. Frid. c. 20. Proximum locum tenēt Scutiferi equeſtris ordinis, ſic dicti, quòd ſcuto mererent; vnde & ſcutagium, pro ſeruitio militari ſcuti, quod feudi nomine ab his præſtabatur, vel pro redemptione nummaria militaris operæ. Ioannes Sareſberienſis : *Verùm interim ſcutagium remittere non poteſt, & à quibuſdam exactionibus abſtinere; quoniam fratris gratia malè ſarta nequicquam coëgit.* ep. 126. Matthæus Vueſtmonaſterienſis : *Ipſo quoque tempore exigitur ſcutagium : conceduntur ad opus regis indigentis, videlicet de quolibet ſcuto viginti ſolidi.* in Henric. III. 1242. Et idem priùs : *Conceſſa ſunt Regi auxilia militaria, de quolibet ſcuto duæ Marcæ & dimidia.* A.C. 1204. add. Matth. Paris. 1215. 1224. Thomas Vualſinganus : *Pro hac autem conceſſione remiſit Dominus Rex, & condonauit omnia catalla telonum, & fugitiuorum euaſiones, incarceratorum fines, exitus, & forisfactiones, & amerciamenta murdrorum, & omnia alia delicta infra foreſtas facta, adiudicata, vel adiudicanda, releuia, ſcutagia vſque ad paſſagium ſuum versùs Brabantiam.* in Eduard. III. 1339. Iuniores & infimi ordinis milites ſunt Bachelarij : Albertus Aquenſis : *Caſtrum quoque adoleſcentum, quod dicitur de Bakeleis.* lib. 3. hiſt. Hieroſolym. c. 26. Matthæus Paris : *Ipſo quoque tempore haſtiludium commiſſum eſt apud Brackele, vbi multi de militibus vniuerſitatis regni, qui ſe volunt Bachelarios appellari, ſunt contriti.* in Henric. III. 248.

Ob id notatur vidua Comitis Gloceſtriæ in Anglia, quòd enupſiſſet cuidam Bachelario, impari marito. Vualſinganus ſupra laudatus: *Iohannámque de Arres, quæ data eſt Gilberto de Clare, Comiti Glouceſtriæ in vxorem, quæ poſt deceſſum Comitis, quendam Bachalarium, nomine Dominum Radulphum de Monhermer accepit in maritũ, inconſulto pater.* Bachelarios verò à Baculis dictos obſeruo, non ex eo quòd de feudo inueſtirentur per baculum, vt voluêre nonnulli; ſed ex eo quòd ſcutis & baculis militiæ tyrociniũ, & duelli aleam experirentur. Adreualdus Floriac: *Tandem adiudicatum eſt, vt ab vtraque parte teſtes exirent, qui poſt ſacramenti fidem ſcutis ac baculis decertantes, finem controuerſiæ imponerent.* Et AUctor vitæ Auſtregiſili Bituricenſis Epiſcopi apud Surium: *Iam certaminis aderat dies, & Auſtregiſilus manè ſurgens clypeum cum baculo* (malè Surius iaculo) *per pueros ſuos miſit in agrum, vbi Rex inter ſe confligentes exſpectare conſueuerat.* Inde ſcutum, & fuſtis præcipua inter militis arma cenſentur. Capitulare Caroli M. *Armati veniant, id eſt, qui poteſt habere cum lorica & ſcuto ancipite, atque fuſte*: Et ne dubitem Bachelarios etymon repetere à baculis, magis moueor, quòd eos Baculares dictos, non ſemel occurrit. Ordericus Vitalis: *Cuſtodes itaque laudabili iam fide probati, Heliæ candidam iuſſerunt tunicam indui, pro qua candidus Bacularis ſolitus eſt ab illis nuncupari*: Vt & iuniores candidati Theologiæ, Baculares vocitantur. Vualſinganus: *Quidam de Ordine Carmelitarum, Frater Bacularius in Theologia.*

lib. 1. de Mirac. S. Bened. c. 15.

tom. 3. 23. Maij.

lib. 3. Capit. c. vlt.

lib. 10. hiſt. Eccleſ. A. C. 1100.

in Richard. II. 1383.

CAP. IX.
Jus legitimandi, ſeu natalibus reſtituendi.

ROMANIS varij fuêre modi legitimandi filios naturales I. per ſubſequens matrimonium. II. per oblationem curię. III. per paternam agnitionem & nominationem filiorum. IV. per reſcriptum principis, ex Nouellis Iuſtiniani, & reſcripto ſui facti liberi. Synesius Anaſtaſio : ἤσθην μαθὼν τὰ χρυσᾶ παιδία τῇ τοῦ βασιλέως φωνῇ νόμῳ σοὶ παιδία γενόμενα : *Gauiſus ſum diſcens aureos illos liberos imperatoris voce, lege tuos eſſe liberos factos.* Reſcripto principis olim non fiebant legitimi ex conſtitutionibus, niſi qui nati erant ex muliere, cum qua, propter inæqualitatem, iuſtæ nuptiæ non erant : hoc caſu enim reſcripto iuſta vxor, ſimul ac liberi iuſti fiebant. Hieronymus ad Oceanum : *Multos videmus ob nimiam paupertatem vxorum ſarcinam declinare, & ancillas ſuas habere pro vxoribus, ſuſceptóſque ex his liberos colere, vt proprios, qui ſi fortè ditati ab Imperatore ſtolam illius meruerint, confeſtim Apoſtolo colla ſubmittent, & inuiti inter vxores eas recipere cogentur; ſin autem principale reſcriptum eadem tenuitas impetrare non quiuerit cum Romanis legibus ſcita Eccleſiæ mutabuntur.* Huius reſcripti formula exſtat apud Caſſiodorum. *Et ideò illam, quæ ſicut iure præcipitur, honeſtate non fuiſſe probatur æqualis, legitimam tibi fieri cenſemus vxorem, & filios ex eadem coniuge, ſiue qui ſuſcepti ſunt, ſiue qui ſuſcipiendi, heredum volumus iura ſortiri : natura enim tibi præſtitit filios, ſed nos tali ſecuritate facimus eſſe cariſſimos.* Moribus Galliæ duo tantùm legitimandi modi recepti ſunt, vnus per ſecutas

Nou. Iuſt. 74. & 89. & 117.

ep. 21.

lib. 1. C. de natur. lib.

l. Imperialis. 23. C. de nupt. l. 1. & 5. C. ſi nupt. ex reſcr. pet.

Caſſiodor. lib. 7. c. 40.

nuptias; alter per reſcriptum principis; atque adeò ſolius principis poteſtatis eſt ſpurios, quos vulgò Baſtardos vocant, natalibus reſtituere, ſaltem in temporalibus, vt fatetur Innocentius III. in Epiſtola decretali ad Guillelmum Comitem Montiſpeſſulani: Guillelmus Comes Montiſpeſſulani abjectâ Mathilde vxore, Manuëlis Imp. CP. nepte, ex qua Maria vnica filia ei agnata; ex Agnete pellice Guillelmum, Thomam, & alios filios adulterinos ſuſceperat, quos legitimari depoſcebat ab Innocentio; eúmque prouocabat exemplo Philippi Auguſti Francorum Regis, cuius liberos ex Maria ſuperducta editos, dimiſſâ Ingeburge coniuge, natalibus reſtituerat Pontifex: longè diſparem eſſe cauſam reſpondet Innocentius; tum quoad rem, tum quoad perſonam; quoad perſonam inquam (vt taceam quid interfuerit quoad rem, quia non eſt huius negotij) nempe Regem Francorum, cùm neminem in temporalibus ſuperiorem agnoſcat, potuiſſe ſinè vllius iniuria ſe ſubmittere iuriſdictioni Pontificis, & eum vltrò adire legitimationis liberorum causâ: ac fatetur Innocentius fortè nimiùm parcè & ieiunè ex aliquorum ſententia, potuiſſe Philippum liberis natalium veniam indulgere, non iure patriæ poteſtatis, ſed regiæ. Guillelmum verò aliorum imperio parêre, ſinè quorum iniuria non poſſet conſentire in juriſdictionem Pontificis, nec eius dignitatis eſſe, vt per ſe poſſet natalibus defectos expurgare: *Inſuper*, inquit; *cùm Rex ſuperiorem in temporalibus minimè recognoſcat, ſinè iuris alterius læſione, in eo ſe juriſdictioni noſtræ ſubijcere potuit, in quo videretur aliquibus, quòd per ſe ipſum, non tamquam pater cum filijs, ſed tamquam princeps cum ſubditis potuit diſpenſare: Tu autem noſceris*

Cap. per venerabilē. qui fil. ſint legit. Innocent. III. regiſtr. 15. ep. 102. Zurit. in Indic. Arrag. A. C. 1213.

alijs ſubjacere, vnde ſinè ipſorum forſan injuria, niſi præſtarent nobis aſſenſum in hoc ſubdere te non poſſes, nec eius auctoritatis exiſtis, vt diſpenſandi ſuper his liberam habeas facultatem. Candida ſanè hoc argumento ſe commendat Philippi pietas & reuerentia erga Sedem Apoſtolicam, quòd beneficium in liberos in manu poſitum reiecérit ad arbitrium Pontificis: non defuit locus, qui occineretur Philippo, quòd Herodis liberi à patre apud Auguſtum veneficij accuſati, parenti dixere apud Ioſephum: καὶ γὰρ ἐξῆν παρούσης μὲν ἐξουσίας ὡς βασιλεῖ, παρούσης δὲ ὡς πατρὶ τοὺς ἀδικοῦντας ἐπεξιέναι: *Poteras enim vel pro regia, vel pro patria poteſtate in ſontes animaduertere.* Secura nimis & incauta Regis pietas malo exemplo regiam majeſtatem labefactauit, & Comitibus occaſionē peccandi dedit, & omiſſo Principe Pontificem adeundi, liberorum legitimandorum gratiâ. Non audiuit quidem Innocentius Guillelmum Montepeſſulanum liberos legitimandos offerentem, debitíque obſequij erga Regem admonuit; poſteri tamen Pontifices non æquâ religione ſe habuerunt. Temporibus D. Ludouici, Margareta, dein Comitiſſa Flandriæ clàm nupſit Bucardo de Auenis Diacono, ex quo Ioannem, & alios duos liberos ſuſcepit: poſteà in ſpem Comitatus perducta, ſpreto Bucardo, Vuillelmum Dampner ſuperduxit, ex quo Vuillelmum & alios filios ſuſcepit. Bucardus fruſtra repetitâ vxore Romanum Pontificem adijt, & reſcriptum impetrauit, quo liberi ex Margareta ſuſcepti legitimarentur: matre ſuperſtite, vtriuſque tori liberi de hereditate, vinculis & ſtatu natalium contendebant: lite agitatâ apud curiam Franciæ tandem compromiſſum in Ludouicum, qui mediam ſententiam ſecutus heredi-

lib. 16. hiſt. c. 8.

tatem inter fratres diuiſit. Flandriam Vuillelmo, & Hannoniam Ioanni adiudicauit, vt narrat Matthæus Paris.

in Henr.III. A.C. 1254.

Imò & grauiore lapſu, ius merè regium ſpurios legitimandi in ſe Comites tranſtulere. Guillelmum ex concubina ſuſceptũ, legitimum & heredem habuit Robertus Dux Normannorum, ſinè controuerſia vlla ab Rege Francorum: & iure legitimandi ſpurios vſum eſſe Philippum Ducem Burgundiæ pridem adnotauit Chaſſanæus.

in conſuet. Burg. Rub. des ſucceſſ. des Baſtards §. quid autem.

Ante Innocentium, vt ad Romanos Pontifices redeamus, hi ius legitimandi liberos non tentarant, niſi quoad ſpiritualia, putà quoad ordines, & Epiſcopatus, ſacráſque dignitates; intrà has lineas ſe continuit Vrbanus II. in Concilio Aruernenſi, vno ante ſeculo celebrato, vt inſinuat canon Concilij, apud Vuillelmum Malmesburienſem, & Matthæum Paris: *Quod nemo in Epiſcopum eligatur, niſi Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, & cui natalium dignitas ſuffragatur, niſi maximâ neceſſitate & licentiâ Papæ.*

lib. 4. de geſt. reg. Anglor. c. 2. in Vuillel. 2. A. C. 1095.

Can. Cœnomannenſem 56. diſt. cap. innotuit. ex. de elect.

Ex quo inualuit lex, vt defecti natalibus non poſſent eligi, ſed tantùm poſtulari à Romano Pontifice: hoc iure vrgente poſtulatus Galfridus nothus Henrici II. Anglorũ Regis in Lincolnienſem Epiſcopum, ex Matthæo Vueſtmonaſterienſi;

A.C. 1183.

& Theodoricus Præpoſitus Turinenſis Eccleſiæ ob vitium natalium in Epiſcopum eiuſdem Eccleſiæ poſtulatus apud Gregorium IX. ex Alberto Krantzio.

lib. 8. Metrop. c. 8.

Primus, inquam, Innocentius ius legitimandi liberos, tum quoad actus ſeculares, tum quoad ſpirituales ad ſe reuocare molitus eſt, hoc argumento: quòd cùm ſedi Apoſtolicæ integrum eſſet ius legitimãdi liberos quoad maius, id eſt quoad ſpiritualia & Epiſcopatus, longè veroſimilius erat præcipuam eiuſdem eſſe auctoritatem legiti-

mandi quoad minùs, id eſt ad actus ſeculares : ſed prauâ vſus eſt collectione; nec enim in his quæ ſunt iuriſdictionis valet argumentum à majori ad minus, vt notum eſt. Et vtique ipſe Pontifex diffidenter hoc ponit, cùm adijciat ſe huius iuris non expertem, ſaltem in patrimonio ſancti Petri, in quo vtraque & ſummi Pontificis, & principis poteſtate perfungitur. Nihilominùs eum ſecuti Pontifices, aperto ſemel iure non abſtinuerunt, & liberos principum, etiam quoad regna & principatus legitimarunt: filios naturales Sanctij Regis Caſtellæ legitimauit Bonifacius VIII. ex quo Ferrandus natu major regnum patris obtinuit, teſte Thomâ Vualſingano. in Eduard. I. Petrum Regem Caſtellæ regno abdicauit Vrbanus V. & Henricum Comitem ſpurium eius fratrem, natalibus reſtitutum, regno impoſuit, ex Froſſardo. vol. 3. c. 230. Quin ex inſtituto Eccleſiæ Gallicanæ ortum eſt legitimationis genus, quoad res ſpirituales ſinè ſummo Pontifice, per Monachiſmum; ſed hoc pacto minimè deterſa labes natalium, quoad Epiſcopatus, ſed tantùm quoad ordines, & minores præfecturas. Roderic. Sãctius hiſt. Hiſp. part. 4. c. 17. Concilium Aruernenſe ſub Vrbano II. cuius reliquias Malmesburienſi, & Matthæo Paris acceptas debemus. *Quòd filij Presbyterorum & concubinarum ad Presbyteratum non promoueantur, niſi priùs ad religioſam vitam tranſierint.* Can. niſi aut. 56. diſt. Et Concilium Pictauienſe celebratum A. C. 1100. *Vt filij Presbyterorum, & ceteri de fornicatione nati ad ſacros ordines non promoueantur, niſi aut Monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viuentes : prælationes verò nullatenus habeant.* cap. 1. ex. de fil. Presb. v. Can. eos quì 1. qu. 5. Imò nonnullæ Galliarum Eccleſiæ adeò dignitatis natalium ſtudioſæ memorantur, vt illegitimos ex Canonicorum albo faceſſere iuſſerint, vt Eccleſia Car-

ep. 126. notenſi. Iuo Carnotenſis, Daimberto Senonenſi Archiepiſcopo: *Certum tamen habeat amantiſſima veſtra paternitas, quia iuramentũ quod fecerũt clerici de non recipiendis vulgò natis in concanonicos, vel quibuſlibet alijs de extranea familia genitis, me inconſulto fecerunt; ſed quia non eſt meum filios mihi commiſſos in infamiam detrudere, ne periurium incurrerent, non ſolùm quod fecerant indulſi, ſed etiam apud Domnum Papam pro eis interceſſi, vt quod fecerant approbaret, & decreti ſui paginâ roboraret.* Et vti remiſſa lex Carnotenſis Eccleſiæ, de non ordinandis conditionarijs, ſeu fiſcalinis in Canonicos, hæc cautio adhibita, dum ex iuſtis nuptijs ſuſcepti eſſent. Idem Iuo Paſchali II.

ep. 147. *Iam enim tandem crebris perſuaſionibus, publicis & priuatis precibus, multâ morâ, multâ limâ ad hoc Carnotenſium clericorum corda Deo donãte inflexímus, quatinus apud paternitatem veſtram fideliter intercedant, vt conditionarios de familia Carnotenſis Comitis, qui de legitimo coniugio nati fuerint, & regios fiſcalinos pro quibus ſimilis perturbatio fieri poſſet, de priuilegio, quod eidem Eccleſiæ feciſtis, de non admittendis conditionarijs excipiatis.* Scrupuloſè tum etiam, & aliæ Galliarum Eccleſiæ fœdos natales repulerunt. N. Cancellario Philippi Auguſti Regis Francorũ, Canonicatũ vel Epiſcopatũ alicuius Eccleſiæ, quæ id priuilegij jactabat ambienti, opponebatur vitium natalium; ideóque pro eo interceſſit Stephanus Tornacenſis apud Lucium III. Summum Pontificem, vt ei gratioſâ diſpenſatione conſuleret: *Et quoniam*, inquit, *in Regno Francorum aliquæ*

ep. 99. *Eccleſiæ quãdã ſcrupuloſâ nobilitate glorioſam, vt æſtimant, ſibi conſuetudinem aſſumpſerunt, ne aliqui, niſi ex licito complexu geniti promoueantur, in eis meritorum & virtutis excellentiam origini poſtponentes, prædicto Cancellario ſuperbè potiùs, quàm*

ſupernè

ſupernè titulum natiuitatis obijciunt; ne vel ad eos accedat, vel inter eos aſcendat. Eorũ Pater legibus Romana Eccleſia non ſubditur, potens, ſi voluerit, vel eis derogare in partẽ, vel eas penitus abrogare; ſoluatur in eo, ſi placet, Apoſtolicâ manu vinculum, quod excluſâ virtute natiuitatem includit, vt in paucis Eccleſijs quæ obſeruant priuilegium mereatur accipere, per quem in palatio Regis multæ Eccleſiæ priuilegia conſequuntur. Athenienſibus illegitimi hereditatũ, vel ſacrorum gentilitiorum capacitatem minimè habuerunt. Demoſthenes: νόθῳ δὲ, μηδὲ νόθῃ μὴ εἶναι ἀγχιστείαν μήτε ἱερῶν, μήθ' ὁσίων. *Notho autem, aut nothæ ius ne eſto propinquitatis, neque item ſacrorum, neque publicorum:* excipiebatur vnus caſus, deficientibus legitimis vtriuſque ſexus. Scholiaſtes Ariſtophanis: νόμος δὲ ἦν Ἀθήνησιν γνησίας μὲν οὔσης θυγατρὸς νόθου μὴ κληρονομεῖν τὸν νόθον τὰ πατρῷα: *Lex erat Athenienſibus, legitimâ exiſtente filiâ cum notho, non ſuccedere nothum in paternis.* Romanis nothi, ſiue filij naturales ex conſtitutionibus ab inteſtato nihil iuris in bonis parentum habuerunt: hoc Iuſtinianus primùm induxit, vt ab inteſtato ſuccederent in duas vncias deficientibus liberis legitimis, & vxore; ex teſtamento exſtantibus legitimis vnciæ, non exſtantibus ſemiſſis capaces fuerunt. Imò ex Nouella Iuſtiniani non exſtantibus legitimis ius ſuccedendi ex aſſe habuerunt: ſpurij verò, ſiue vulgò quæſiti, ex vtraque cauſa ſuccedendi omnino incapaces fuerunt, ac ne alimentis quidem digni: de his Matthæus Monachus, Græcus collector quæſtionum matrimonialium apud Leunclauium: οὔτε γὰρ εἰς γαμικὰ συναλλάγματα, οὔτε μὴν εἰς κληρονομίαν ἐν τοῖς τοιούτοις ἐστὶν ἀμφισβήτησις: *Nec enim vel ratione contractuum matrimonialium, vel ſucceſſionis vllum in talibus*

orat. in Macartat.

in Veſpis.

l. 2. l. humanitatis. C. de natur. lib.

Nou. 89. auth. licet. C. eod.

auth. ex complexu. C. de inceſt. nupt.

lib. 8. iuris Græc. Rom. p. 481.

eſt dubium. Moribus Galliæ filij naturales, ſiue baſtardi ex teſtamento, vel ab inteſtato ius ſuccedendi non habent, ſed alimenta eis debentur ex æquitate canonica: generis etiam nobilitatem minimè retinent. Gregorius VII. Guilielmo Pictauienſi Comiti: *Ex hoc enim nobilitas generis valdè corrumpitur, cùm proles non de legitima conjugij permixtione generatur:* Ideóque nothos media ætas degeneres vocitauit, quia neque genus, neque gentem habent. Ordericus Vitalis: *Degener vtpote nothus eſt qui rex nuncupatur.* Eadémque ratione idiotiſmus eoſdem Baſtardos vocitat, quaſi degeneres, & ignobiles, ex voce germanica, *Boëſar*, deflexa idiotica, *Baſtard*, quæ labentis æui ſcriptoribus non ſemel vſurpata. Matthæus Paris: *Falcaſius de Brente Neuſterienſis & ſpurius ex parte matris, atque Baſtardus:* Et alibi Vuillelmus ſenior Rex Anglorum baſtardi nomine dehoneſtatur. Quid Græcis? pari de cauſa nothi σκότιοι dicuntur, id eſt, *obſcuri, ignobiles.* Homerus de Bucolione notho Laomedontis.

lib. 2. ep. 3.

lib. 4. hiſt. Eccleſiaſt. A. C. 1074.

A. C. 1224.

Iliad 6.

—— ——σκότιον δέ ἑ γείνατο μήτηρ.

Obſcurum ipſum genuit mater.

Cap. X.

Jus confiſcationis bonorum.

Lege Atticâ pœnam capitis ſequebatur publicatio bonorum, ſed vxori & liberis damnatorum, ſolatij gratiâ pars bonorũ concedebatur. Demoſt. καὶ ὑμεῖς μὲν οὐδὲ τὴν εἰς ὑμᾶς ἁμαρτανόντων ὅταν τινὸς καταψηφίσησθε, οὐ πάντα τὰ ὄντα ἀφείλεσθε ἀλλ' γυναῖκας, ἢ παιδία αὐτῶν ἐλεήσαν-

orat. 1. in Aphob.

τες μέρος τι κἀκείνοις ὑπελείπετε : *Vos quidem ſi quem in vos delinquentem condemnatis, ne ei quidem omnia bona auferṫis, ſed vxoris aut liberorum miſerti partem aliquam illis relinquitis.* Iure ciuili Romanorum, bona damnatorum ob capitale crimen publicabantur, portionibus ęquè liberis indultis; liberorum portio fuit ſemis ex conſtitutionibus : tandémque Nouella Iuſtiniani damnatorum bona confiſcari vetuit, niſi eſſent rei perduellionis, ſed ſeruari liberis, vel parentibus, vel cognatis vſque ad tertiũ gradum. In Gallia ab imperij Francici cunabulis bona damnatorum fiſco inferri conſuetudo pro lege fuit; vt palàm eſt ex varijs Gregorij Turon. locis. Secutâ Carlingorũ ætate bona proſcriptorũ, ſiue beneficia, ſiue allodia fiſcus ſua fecit. Ludouic⁹ P. in Cõcilio apud Theodonis villam: *Si quis in his ſupradictis ſanctorum, noſtrique decreti ſanctionibus Epiſcopis inobediens & contumax extiterit, primùm canonicâ ſententiâ feriatur, deinde in noſtro regno beneficium non habeat, & alodis eius in bannum mittatur; & ſi annum & diem in noſtro banno permanſerit, ad fiſcum noſtrum redigatur, & captus in exſilium relegetur.* Singulare fuit bona damnati ob cędem ex rixa patratam legitimis ſeruari heredibus : Capitulare Ludouici P. *Hereditas tamen liberi hominis qui propter tale facinus ad mortem fuerit iudicatus, ad legitimos heredes illius perueniat.* Succedente tertiâ Regum dynaſtiâ, bona damnatorum non erepta liberis ante ſententiam ſuſceptis, ſed his dumtaxat, qui poſt ſententiam naſcerentur, ſi fides Matthæo Paris: *Item dicit Papa, quòd ſi ſententia lata fuerit contra Regem Angliæ, non tamen mandata fuit executioni, quia non fuit occiſus: vnde proles, quam ſuſcepit poſteà debet ei in regno ſuccedere, quia Rex Angliæ non commiſit crimen læſæ Maieſtatis, vel crimen*

l. 1. & 7. ff. de bon. damnat.
lex Conſtãt. Sozom. lib. 1. 58.
l. 40. C. de bon. proſcript.
auth. bona damnatorũ. C. eod.
l. 3. hiſt. 13.
l. 4. c. 13.
l. 5. c. 25.
l. 9. c. 10.
l. 4. cap. 13.
in Ioanne A.C. 1215.

hæreſeos, pro quibus tantùm filius exheredatur pro delicto patris. Ad hæc nuncij reſponderunt conſuetudo eſt in regno Franciæ, quòd ex quo aliquis eſt damnatus ad mortem, quòd proles ſuſcepta poſt ſententiam damnationis ſuccedere non debet: geniti tamen ante ſententiam ſuccedere debent. Vt vt fuerit, hodiè iure quo vtimur, damnatorum bona fiſco omnino committuntur; ſed officio iudicis tertia vxori; & liberis delibatur. Iam olim à Capetio regni impotentiâ ferocientes Comites & Domini principales, æquo penè cum fiſco iure, in damnatorum bona manum miſerunt, imprimis ſerpente in his partibus fœdâ Albigenſium hæreſi, lapſu Raimundi Comitis Toloſani, bona damnatorum ob hæreſim mancipata regi, & Dominis principalibus, ex decretis Innocentij III. & aliorum Pontificum; quibus facilè calculum adiecit Philippus A. ſtudio expungendæ hæreſis, adeò vt paribus vtriuſque Pontificis & Regis votis ditiones Comitis, & ſuorum occupanti in prædam datæ fuerint: Guillelmus Brito,

cap. excommunicamus de Hæretic. c. cū ſecundū. eod in 6.

Rex & Papa ſimul exponunt omnibus illum
Et res & patriam totam, quæ ſpectat ad illum,
Vt qui præualeat armis & viribus illi
Tollere quid, proprios licitè conuertat in vſus
Et Dominus fiat rerum quas auferet illi.

lib. 8. Philippid.

Inde deducto iure, Alphonſus Comes Pictauienſis, & Toloſanus in conceſſione feudorum, plerumque ſibi excepiſſe legitur incurſus ob hæreſim, idiotiſmo eius æui, *Incours*, id eſt bona caduca ob crimen hæreſis. Et Petrus Mauclerc, Dux Britonum, ex pacto cum D. Ludouico inito, ius confiſcandi ob hæreſim ſibi, ſuiſque recepit, Auctore Argentræo. Vario iure in Germania

Chartular. M. S. Alphōſ. Com.

lib. 5. hiſt. c. 17.

proſcriptorum bona ſe habuerunt : feuda quidem Domino principali adſcripta, ſed allodia ſuis heredibus, & ità pronunciatum auguſto Henrici VI. Imperatoris & Comitiorum decreto, in proſcriptione Friderici Comitis Iſemburgenſis ob nefariam cædem Engelberti, Archiepiſcopi Colonienſis. Cæſarius Heiſterbaccenſis, in eius vita apud Surium : *Proſcriptionem verò Friderici in celebri conuentu Norembergenſi factam renouauit, omnibus ei adiudicatis tam allodijs, quàm feudis : feuda libera adiudicata ſunt Dominis ſuis, allodia proximis; miniſteriales, ſiue miniſtri, & homines à iuramento ei præſtito abſoluti.* tom. 6. Nou. 7.

Cap. XI.
Jus Caduci.

LEGE Iuliâ caducariâ, bona vacantia, *ἀκληρονόμητα*, id eſt, *quæ teſtamentarium, vel legitimum heredem non inuenirent*, in fiſcum ceſſerunt; quin imò inteſtatis ſinè herede defunctis fiſcus ſucceſſit ex Conſtitutionibus; ſubmotis ciuitatibus quæ ex priuilegio inteſtatorum bona ſibi vindicabant, ex priuilegio nempe; vt Nicenſes qui ab Auguſto ſe hoc priuilegio donatos contendebant : Traianus Plinio ; *Nicenſibus qui inteſtatorum ciuium ſuorum conceſſam vindicationem bonorum à Diuo Auguſto adfirmant debetis vacare.* Fiſco, inquã, ex prioribus Conſtitutionibus præcipuũ ius fuit occupandi bona vacãtia. Symmachus Theodoſio: *Statuerat receptus in cœlũ germanus numinis veſtri, cùm Martianus dudũ protector Aggariæ bona tamquã vacantia poſtulaſſet, vt ſi ea hereditas ſcriptum ſucceſſorem, vel legitimum non haberet, in ius fiſci tamquam Domino nuda con-*

l. quidam. 96. §. quotiens. ff. de legat. 1. l. 1. & 4. C. de bon. vac. lib. 10.

apud Pliniũ, lib. 10. ep. 89

lib. 10. ep. 55.

l. 1. & ſeqq. C. de hered. decur. *cederet.* Ex poſterioribus autem conſtitutionibus certa corpora, id priuilegij aſſecuta, vt fiſco præferrentur; nempe moriente decurione, nauiculario, cohortali, l. ſi quis Presbyter. C. de Epiſc. & cleric. fabricenſi, curia vel corpus ſucceſſit, non fiſcus: vt & moriente clerico ſinè herede, Eccleſia ſucceſſit, repulſo fiſco. Vnde deſumptus canon Concilij Triburienſis: c. quicumque. 12. qu. 5. *Quicumque ex gradu Eccleſiaſtico: ſinè teſtamento, & ſinè cognatione deceſſerit, hereditas eius ad Eccleſiam vbi deſeruiuit deuoluatur.* Gothis Italiâ potitis, bonis vacantibus fiſcus manum iniecit. Theodoricus Epiphanio, conſulari Dalmatiæ, apud Caſſiodorum: lib. 5. var. 24. *Ioanna Andreæ quondam iugali ſuo ſucceſſiſſe legis munere perhibetur, quæ inteſtata nullis exiſtentibus proximis luce dicitur eſſe priuata, cuius ſubſtantia à diuerſis, nullo legitimo iure ſuffultis, vſurpatione voluntariâ ſuggeritur poſſideri; & quia caduca bona fiſco noſtro competere legum cauta decreuerunt, ideò te præſentibus oraculis admonemus, vt huius rei veritate diſcuſſâ, ſi re verâ, vt ad nos perlatum eſt, nullus ei aut teſtamento heres extitit, aut proximitatis iure ſucceſſit, fiſci noſtri eam facias compendijs aggregari.* Et idem Caſſiodorus in formula Comitiuæ priuatarum. lib. 6. var. 8. *Caduca bona non ſinis eſſe vacantia, ità quod vſurpatio potuit inuadere, tu fiſcum noſtrum facis iuſtis compendijs obtinere, proximos defunctorum nobis legaliter anteponis; quia in hoc caſu principis perſona poſt omnes eſt; ſed hinc optamus non acquirere, dummodo ſint qui relicta debeant poſſidere.* Iure antiquo Galliæ bona vacantia in fiſcum dumtaxat cecidere: argumento mihi eſt, quòd Reges Angliæ ſtirpe Normannorum ſatos, Gallorum moribus, legibúſque imbutos & reuerâ Gallorum ſimias, hoc iure vſos etiam in milites & vaſſallos Eccleſiæ obſeruo. Fato functis militibus Eccleſiæ Cantuarienſis ſinè herede, terras eorum

iure fiſci in manũ ſuam redegiſſe Henricũ I. queritur Anſelmus Cãtuarienſis apud HUGONẼ LUGDUNẼſem Archiepiſcopum: *Quoniam terras eaſdem antequàm Normanni Angliam inuaderent, milites Angli ab Archiepiſcopo Cantuariæ tenuiſſe dicuntur, & mortui ſunt ſinè heredibus, vult aſſerere ſe poſſe iuſtè quos vult eorum heredes conſtituere.* Imperante Henrico II. tentauit Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus, obtentu Pontificij priuilegij, ius antiquum deſuetudine exoletum repetere, & clericorum inteſtatorum bona Eccleſiæ ſuæ tranſcribere; ſed non ſolùm inane priuilegium manſit ob regis interceſſionem, quinetiam moriente Archiepiſcopo bona eius fiſcus rapuit, quaſi vacantia. Matthæus Paris: *Eodem anno Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus diem clauſit ſupremum, duodecimo Kalendas Decembris, qui adhuc viuens à Papa Alexandro priuilegium impetrauerat, vt ſi clericus ſuæ iuriſdictioni ſuppoſitus, agens in extremis teſtamentum non conficeret, & proprijs manibus bona ſua moriens non diſtribueret, Archiepiſcopus haberet facultatem inijciendi manus in bona defuncti: & quoniam quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit, vti debet eodem, poſt mortem Archiepiſcopi quæcumque reperta ſunt in theſauris eius, iuſto ſunt Dei indicio confiſcata.* Nec non Henricus III. quæſtuarium Innocentij IV. decretum, de vindicanda inteſtatorum clericorum ſucceſſione, in Anglia non admiſit, quaſi in fraudem, necémque regni, & regaliũ emiſſum. Matthæus Paris: *Eodémque tempore cùm audiſſet Dominus Papa qualiter quidam in Anglia opulenti clerici obijſſent inteſtati, ſtatutum ſuper hoc nouum & inauditum, non ſinè nota manifeſtæ cupiditatis ſuſcitauit in Anglia promulgandum, vt ſi clericus ex tunc decederet inteſtatus, eiuſdem bona in vſus Domini Papæ conuerterentur: Quod cùm audiſſet Dominus Rex, de-*

lib. 3. cp. 14.

in Henr. II. A. C. 1181.

in Henrico 3. A. C. 1246.

teſtans Romanæ curiæ augmentoſam ac multiplicem, & multiformem auaritiam, hoc fieri prohibuit, comperiens illud in damnum regni & ſuum redundare præiudicium: Et ipſe Pontifex anno proximo ſuam legem reſcidit, Cardinalium conA.C. 1247. ſilio, vt ſubijcit Matthæus Paris. Iure, inquam, antiquo noſtris regibus, vt Anglis, proprium fuit ius caducarum hereditatum: ſed iniquiſſimis reipublicæ temporibus erecti Duces & Comites, dominíque principales, vt cetera penè regalia; ità & ius bonorum vacantium, quod in idiotiſmo vocamus, *Jus desherentiæ*, quaſi ius exheredij certatim cum fiſco intrà fines quiſque ſuos inuaſerunt, & in hunc diem retinuere. Quin & pari Reipublicæ labe Flandrenſes Comites omnium clericorum fatis functorum hereditatem rapuerunt. Iacobus in annal. Belgic. 1090. Meyerus in Roberto Friſio: *Eodem anno Robertus Comes ex Syria reuerſus, reſuſcitauit quandam conſuetudinem, quâ ſacerdotio Flandrenſi non licebat facere teſtamentum, ſed cùm morerentur ſacerdotes, omnium bonorum ipſorum Comites ipſi ſe fecerunt heredes: grandis ob hæc inter ſacrum cœtum, & Comitem coorta turbatio, aditus Romanus Pontifex, vt eius ope ab ea eximerentur ſeruitute, datæ ad Comitem litteræ Apoſtolicæ: ab Vrbano Pontifice.* Morientibus ſeruis, ſeu colonis ſemiſſem mobiliũ tulerunt ijdem Comites, donec eos hoc ſeruitutis onere leuauit Margareta Comitiſſa. Idem Meyerus. 1251. Meyerus, in Margareta Conſtantinopolitana: *Eodem anno ſeruos & ancillas, à quibus morientibus dimidium bonorum Comites accipiebant, totâ Flandriâ manumiſit.* Inteſtatorum & bona ſuis compendijs applicabant Duces Normanni, & Comites Pictauienſes, vt refert Bodinus ex lib. 5. de reſp. c. 2. geſtis Rationalium Pariſienſium. Aequa ex conſuetudine Comites Britonum, defunctorum vniuerſa mobilia

lia occupabant, quam in Concilio Nannetenſi vltrò eiurauit Comes Britonum. Hildebertus Cenomanenſis primùm Epiſcopus, tum Turonenſis Archiepiſcopus, qui iure Metropolitico Concilio præfuit, ep. ad Honorium II. *Si quidem vſque in diem præfati conuentus huiuſmodi confuetudo in terra Comitis extiterat, vt decedente marito vel vxore vniuerſa decedentis mobilia in proprietatẽ poteſtatis tranſirent: prætereà quicquid euadebat ex naufragijs, &c. Vtramque autem exactionem ſub oculis totius Concilij Comes in noſtra manu depoſuit, poſtulans in eos excommunicationis gladium extendi, quicumque aliquando vel manumiſſa petere, vel manumiſſionis plenitudinem imminuere ademptarent.* Ante tempora Gregorij I. in illis locis vbi Romana Eccleſia patrimonia poſſidebat, infelicibus colonis ſui heredes non erant, ſed morientibus Eccleſia ſuccedebat: ſed ſanctiſſimus Pontifex ſuos eis heredes eſſe voluit, abſtentâ Eccleſiâ: *Cognouimus* (inquit in Epiſtola ad Petrum Subdiaconum, defenſorem patrimonij Siciliæ) *etiam quòd nonnullis conductoribus morientibus, parentes ſui non permittuntur ſuccedere; ſed res eorum ad vſus Eccleſiæ pertrahuntur, de qua re diffinimus, vt parentes morientium, qui in poſſeſſione Eccleſiæ degunt heredes eis ſuccedere debeant, nec aliquid eis de ſubſtantia morientium ſubtrahatur.*

ep. 65.

lib. 1. ep. 41.

Cap. XII.

Ius Theſaurorum. Ius Metallorum.

IVre ciuili Romanorum theſaurus in ſuo fundo inuentus, ſolidus fuit inuentoris. Attico, theſauro immenſo domi ſuæ inuento, laboranti ne quid periculi ſibi accerſeret, & hac de re Neruam Imperatorem iterum conſulenti, quid factum vellet; Nerua eo vti & abuti permiſit, auctore Philoſtrato, & poſt eum Zonarâ. Conſtitutione Adriani theſaurus in ſuo fundo inuentus, totus ceſſit lucro inuentoris; inuenti in alieno fundo non datâ operâ, dimidium domino ſoli, dimidium inuentori: inuenti in loco fiſcali, vel publico dimidium Cęſaris, dimidium inuentoris. Lege Conſtantini quicumque theſaurum inueniret, & vltrò fiſco offerret ſemiſſem ferebat, ſemiſſem fiſcus principis; alioquin omnino fiſci erat. Hac de cauſa Euutius Aurelianenſis Epiſcopus inuento theſauro auri in imis fundamentis Baſilicæ ſanctæ Crucis, legibus non licere eum celare intelligens, per Manſuetum Archidiaconum vltrò tranſmiſit Conſtantino Imperatori; ſed duplo auctum recepit in ſumptus ædificij ſacræ ædis, vt narrat Auctor eius vitæ apud Surium. Lege Gothicâ theſauros ſibi fiſcus vindicabat. Caſſiodorus: *Depoſitiuæ pecuniæ quæ longâ vetuſtate competentes dominos amiſerunt, inquiſitione tuâ noſtris applicantur ærarijs.* Legibus Galliæ theſaurũ ex auro omnino fiſcus lucrifecit; nec alio ex fonte repetenda lex Vuillelmi Normanni Regis Anglorum de theſauro inuento, quam annalibus ſuis indidit Rogerus Houěde-

Philoſtrat. lib. 2. de vit. Sophiſt. in Herode. Zonar. in Nerua.

§. theſauros. Inſt. de rer. diuiſ. l. 3. §. poſt. de iur. fiſc. Spart. in Adr. l. vn. C. de theſaur. l. 1. C. Th. de theſaur.

10. 5. ſept. 7.

lib. 6. var. 8. 4. var. 34.

nus : *Theſauri Regis ſunt de terra, niſi in Eccleſia, vel in cœmiterio inueniantur, & licèt ibi inueniantur aurum regis eſt, medietas argenti.* Seneſcente Republicâ majores Duces, & Comites, vt cetera iura regia, itâ & theſauros in finibus ſuis inuentos manu injectâ ſuos facere non dubitarunt; hoc molimine inuento theſauro auri & argenti à Vuidomaro Vice-Comite Lemouicenſi, Richardus rex Anglorum, tamquam Dux Aquitaniæ inuentum ex aſſe ſui fiſci eſſe contendebat, parte quæ offerebatur rejectâ. Rogerus Houedenus: *Interim Vuidomarus Vice-Comes de Limoges, inuento magno theſauro auri & argenti in fundo ſuo, miſit inde Richardo regi Angliæ domino ſuo partem non modicam: ſed rex eam refutauit, dicens ſe debere totum illum theſaurum habere, de iure donationis ſuæ. Quod prædictus Vice-Comes nullo modo concedere voluit :* Hac de re bellum motum, obſeſſum caſtrum Calucium, vbi theſaurus cuſtodiæ causâ depoſitus erat, & vi expugnatũ, ſed victoria principis cæde fœdata. Et vt auro hoc caput contexamus, auri & argenti fodinæ, Reipublicæ & fiſci cenſum auxerunt, & vectigal ex his publicanis locatum. Plinius : *Italiæ parcitum vetere interdicto patrum; alioqui nulla fecundior metallorum quoque erat tellus : exſtat lex Cenſoria Ictimulorum aurifodinæ, qua in Vercellenſi agro cauebatur, ne plus quinque M. hominum in opere publicani haberent.* In eandem ſententiam Vitruuius : *Quæ autem in Epheſiorum metallis fuerunt officinæ, nunc trajectæ ſunt ideò Romam, quòd id genus venæ poſteà eſt inuentum Hiſpaniæ regionibus, ex quarum metallis glebæ parantur, & per publicanos Romæ curantur.* Armis ſubactâ Macedoniâ Paulo Aemilio duce, & in prouinciam redactâ, auri & argenti fodinæ reipublicæ addictæ, æris & ferri priuatis

[Margin notes: in Henr. II. — in Richardo, 1199. — Gu. Brito l. 5. Philipp. Matth. Paris. 1195. — lib. 33. c. 4. — lib. 7. c. 9.]

lib. 45. manſere. Liuius : *Metalla quoque auri, atque argenti non exerceri, ferri & æris permitti.* In Hiſpania fodinas auri in fiſcum redactas, argenti priuatis non ereptas teſtem habemus Strabonem : ἔστι δὲ καὶ νῦν τὰ ἀργυρεῖα, οὐ μέν τοι δημόσια, οὔτε δ' ἐνταῦθα, οὔτε δ' ἐν τοῖς ἄλλοις τόποις, ἀλλ' εἰς ἰδιωτικὰς μετέστησαν κτήσεις, τὰ δὲ χρυσεῖα δημοσιεύεται τὰ πλείω : *Exſtant etiamnum officinæ in quibus argentum conficitur, non autem publicæ, neque ibi, neque aliꝭs locis, ſed ad priuatos redactæ reditus, auraria metalla pleraque ad Rempublicā pertinent.* Nec inuideamus metalla principibus, innoxias inde parēt opes, quarū ſolatio ſubditorū ſubſtantiꝭs parcant. Latinus Pacatus : *Regibus mos eſt exercendis inuigilare metallis, vt latentia naturæ bona in vſum arceſſant, & parent innoxias nullo pauperiore diuitias* : Ex conſtitutionibus metallarij fodinis operam daturi primùm nomen profitebantur, & octo ſcrupulos auri fiſco præſtabant : tum in ſingulos annos ſeptenos. In Atticis metalli fodinis, metallileguli tabulis publicis inſcribebantur, & metalli vigeſimam quartam partem reipublicæ penſitabant. Suidas : καὶ ἀπεγράφοντο τοῦ τελεῖν ἕνεκα τῷ δήμῳ εἰκοστὴν τετάρτην τοῦ καινοῦ μετάλλου. Vnde prodita erat non inſcripti metalli actio ἀγράφου μετάλλου δίκη. Moribus Galliæ, aurifodinæ inconcuſſè penès regem fuerunt; argenti, etiam ad Comites & Barones pertinuere. Conſuetudo Andegauenſis : *La fortune d'or trouuée en mine, appartient au Roy, & la fortune d'argent trouuée en mine appartient au Comte, Vicomte, Baron, chacun en ſa terre.*

Marginal notes: lib. 3. geograph. — in panegyr. Theod. — l. cuncti. l. per annos. C. de metal. — Suid. in voc. ἀγράφου μετάλλου δίκη. — Art. 61.

CAP. XIII.

Jus Naufragij.

EX conſuetudine fiſcus naufragia ſibi vindicabat : *Res fiſci eſt quodcumque natat*, ait Iuuenalis : Satyr. 4 ſed Antonini & Conſtantini Conſtitutionibus à naufragorum præda fiſcus & priuati repulſi, ne ex aliena calamitate compendium ferant : quâ mente Inſulanus Euboïcus naufragorum deprædationis crimen ſibi obiectum, vt nimiùm inhumanum & à ſe longè alienum deteſtatur apud Dionem Chryſoſtomum : l. vlt ff de incend. ruin. naufr. l. 1. C. de naufrag. μὴ γὰρ εἴη ποτὲ ὦ Ζεῦ λαβεῖν μηδὲ κερδᾶναι κέρδος τοιοῦτον ἀπὸ ἀνθρώπων δυστυχίας : *Numquam enim mihi obtingat, ô Iupiter, accipere, & facere tale lucrum ex hominum infortunio.* in Euboic. orat. 7. Hinc querela in naufragij raptorem, mari ipſo ſæuiorem. Paulinus ad Macarium : *Ne patiaris* ep. 36. *inuidiâ Diaboli per hominem improbum Secundiniano eripi, vel iam ereptum negari, quod illi de naufragio redonauit Deus, procurator Chriſtiani viri, fratris noſtri Poſthumiani eſſe dicitur, qui eam nauem in Brutiorum littore, quo poſſeſſio Senatoris adluitur adlapſam auarior mari, & ſine myoparone pyraticam in terra agere occupauit, & captam vacuefecit ; nam etiam nunc in ipſo littore inanis manet, vt damnum oneris fruſtra in pelago ſeruati, & in terra perditi conteſtetur, depoſita iam ſæpe apud iudicem prouincialem ſuper hoc latrocinio querela : ſed Pharao noſter indurauit cor ſuum.* Sed vix fiſcus, ne dum priuati manus abſtinuere à captura & direptione naufragiorum : quo commotus Fridericus II. legem de Naufragijs non attingendis repetijt, & prauam conſuetudinem legibus aduerſantem damnauit. In Oriente auth. naufragia. C. de furt.

etiam naufragorum ſpoliatores acriter repreſſit Andronicus Comnenus, propoſitâ pœnâ ſuſpendij è malo nauis, vel in littore maris è procera arbore. Nicetas:

in Andronic. lib. 2. ἔθους δὲ ἀλογωτάτου παρὰ ῥωμαίοις ὡς ἔοικε μόνοις ἰσχύοντος, τοῦ δὲ ἐστὶ τὰς χειμαζομένας ναῦς, ὑπὸ πνευμάτων, καὶ φλοίσβων θαλαττίων ταλαντευούσας, μηδένα ἔχειν τὸν συναιρόμενον, καθ' οὓς ἂν λιμένας ἢ τόπους ἐκβεράσσωνται κύμασιν ἐλαυνόμεναι, τοὐναντίον μὲν οὖν καὶ καταιγίδος χείρους ὁρᾶν τοὺς ἐκεῖσε, πῇ λαχόντας τὴν οἴκησιν διασπῶντας καὶ διαρπάζοντας ὅ πόσα μὴ παρέσυρε θάλασσα, οὕτω τοι πρὸς τὴν τοιαύτην ἀτοπίαν πολὺς ἀντέπνευσε, καὶ εἰς πραείαν αὔραν μετέβαλε τὴν τῶν πλοίων καταποντιστικὴν τῶν πλείστων ὁρμὴν, ὡς ἀντὶ πολλῶν ἓν εἰς εὐφημίαν ἐκείνῳ τοῦτο τὸ ἔργον ἀρκεῖν,&c. *Cùm autem apud Romanos, eóſque ſolos, vt opinor, iniquiſſima conſuetudo valeret, vt naues tempeſtatibus in littus eiectæ, non modò à nemine adiuuarentur, ſed ab accolis quouis turbine ſæuioribus diriperentur, ſi qua fluctus reliqua fecerant, iniquiſſimæ iſti rationi tam acriter eſt aduerſatus; itâ piraticam illam rapacitatem compeſcuit, vt hæc vna res ampliſſimas eius laudes complectatur.* Nec non Romani Pontifices, vt huic reipublicæ labi mederentur, partes ſuas interpoſuere, & naufragorum res religionis præſidio tutas præſtare omni ſtudio contenderunt. Gregorius VII. P. *Et quoniam Dei iudicio nonnullos naufragio perire cognoſcimus, & eos quaſi legali iam iure, immo diabolico inſtinctu, ab his quibus miſericorditer ſubleuari, & conſolari deberent, deprædari conſpicimus; ſtatuimus, & ſub anathematis vinculo, vt à prædeceſſoribus noſtris ſtatutum eſt, iubemus, vt qui naufragum quemlibet, & bona illius inuenerit, ſecurè tam eum, quàm omnia ſua dimittat.* Et Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III.

lib. 5. epiſt. 14.

c. 24. c. ex-cõmunicat. ex. de rapt.

Illi etiam qui Chriſtianos naufragium patientes, quibus ſecundùm regulam fidei auxilio eſſe tenentur, damnatâ cupiditate ſpoliant rebus ſuis, niſi ablata reddiderint excommunicationi ſe nouerint ſubiacere. Ius illud, ſiue conſuetudinem naufragij legendi, ſui fiſci fecerunt etiam DUCES & Comites maritimorum littorum potentes, vt Duces Armoricæ, vbi & Varech, id eſt, mercium colligendarum ius dictũ, & Anglici Duces Normanniæ & Aquitaniæ; hoc tamen ſuadente Eccleſiâ vltrò eiurarunt: vt Comes Britonum in Synodo Nannetenſi, AUctor eſt Hildebertus primùm Cœnomanenſis Epiſcopus, tum Turonenſis ep. 65. Archiepiſcopus, & præſes Concilij, in Epiſt. ad Honorium II. quam ſuprà attigimus: *Si quidem vſque in diem præfati conuentus huiuſmodi conſuetudo in terra Comitis extiterat, vt decedente marito, vel vxore vniuerſa decedentis mobilia in proprietatem poteſtatis tranſirent: prætereà quicquid euadebat ex naufragijs totum ſibi fiſcus lege vindicabat patriæ, paſſóſque naufragium miſerabiliùs violentia principis ſpoliabat, quàm maris rapina, quàm procella; vtramque autem exactionem ſub oculis totius Concilij Comes in noſtra manu depoſuit, poſtulans in eos excommunicationis gladium extendi, quicumque aliquando vel manumiſſa petere, vel manumiſſionis plenitudinem imminuere adtemptarent.* Mox tamen Comites Armoricos in facinus relapſos colligo ex eo, quòd PEtrum Comitem pactis initis anno M. CC. XXXI. ſpolium naufragiorum ſibi excepiſſe palàm eſt apud ARgentrǫum. Ius naufragij, ſiue de Varech, vltrò remiſit Richardus I. lib. 5. hiſt. Arm. c. 27. Rex Anglorum cùm in expeditionem tranſmarinam procederet, tam Angliæ, quàm prouincijs ciſmarinis, quas iure Ducatus, vel Comitatus obtinebat. Rogerus Hoüedenus: *Deinde Rex Angliæ pro amore Dei, & ſa-* in Rich. I. 1190.

lute animæ ſuæ, & parentum ſuorum, quietum clamauit in perpetuum Varec per totam terram ſuam citra mare & vltra; ſtatuens quòd omnis naufragus, qui ad terram viuus peruenerit, omnes res ſuas liberas, & quietas habeat: ſi autem in mari mortuus fuerit filij, vel filiæ fratres vel ſorores eius habeant res ſuas, ſecundùm quod oſtendere poterunt ſe eſſe propinquiores illius heredes: vel ſi defunctus nec filios, nec filias, nec fratres nec ſorores habuerit, Rex catalla ſua (ea ſunt mobilia) *habeat: hanc autem quietam clamantiam de Varec fecit Richardus Rex* cap. cum dilecti. ex. de accuſat. *Angliæ & chartâ ſuâ confirmauit.* Naufragijs non parcebat etiam Agathenſis Epiſcopus in ora maritima Occitaniæ, qua de re reus poſtulatus apud Innocentium III. Romanum Pontificem.

Cap. XIV.
Ius Nundinarum.

IVre Ciuili romanorum, priuatis nundinas ſuis etiam in prędijs inſtituere minimè permiſſum, ſinè principis, vel ſenatus auctoritate. A principe peti ſolitum nundinarum habendarum ius, inſinuat Modeſtinus: *Nundinis à principe impetratis, non vtendo qui meruit, decennij tempore vſum amittit.* (in L. 1. ff. de Nundin.) A ſenatu quoque impetratum fuiſſe hoc ius teſtis eſt Plinius in Epiſtola ad Valerianum: *Solers*, inquit, *vir Prætorius à ſenatu petijt, vt ſibi inſtituere in agris ſuis nundinas permitteretur.* (lib. 5. ep. 4.) Atque ità Claudium Imperatorem, etſi legibus ſolutum, ius nundinarum in ſua prædia à conſulibus petijſſe refert Tranquillus: *Ius nundinarum*, ait, *in priuata prædia à conſulibus petijt.* (in Claudio. cap. 12.) Iure Francorum penès reges fuit ius nundinarum inſtituendarum: ſic priuilegio

priuilegio Caroli Magni Monaſterio ſancti Germani de Pratis indultum ius mercati villæ Madriolarum : *Mercatumquoque*, ait, *omniáque ex omnibus, quicquid dici, aut nominari poteſt ad integrum ad ipſum ſanctum locum, eiúſque rectoribus, ac Monachis à die præſenti tradimus perpetualiter ad poſſidendum.* Beneficio Dagoberti cœnobio ſancti Dionyſij tributum ius ſolennium nundinarum, quas idiotiſmus vocat *foire de Lendict*, quaſi indictum. Quid in Anglia? beneficio Edgari Regis accepto latum ius nundinarum Monaſterij de Ramſey. Matthæus Paris : *Eodémque anno per induſtriam Abbatis de Ramſey adepta eſt Eccleſia Ramſey nundinas ſancti Iuonis plenarias, quas donatione Regis Edgari, & aliorum antiquorum confirmatione obtinuerat.* A. C. 1258. Noſocomio leproſorum apud Pariſios ex beneficio regio ſuppetebat ius nundinarum S.Lazari, ſed id à Philippo Auguſto redemptum, & forum in vrbem translatum. Rigordus : *Idem Rex Pariſijs à leproſis extra ipſam ciuitatem manentibus nundinas ſibi, & ſuis ſucceſſoribus emit, & in ciuitatem transferri fecit, ſcilicet in foro quod Campellis vocatur.* A. C. 1183. Ex conſuetudine Duces, & Comites nundinas & mercatus municipijs, vicíſque indulgendi ius quæſierunt. Robertus Montenſis : *Rogerus Abbas Becci, maximam ſummam pecuniæ dedit Roberto Comiti Mellenti pro mercato quod fecit in villa Becci.* A.C. 1180. Et cœnobio Gemiticenſi in Normannia mercatum tribuit Richardus Rex Angliæ, tamquam Dux Normanniæ. Idem Robertus : *Eodem quoque anno ad petitionem Alexandri Abbatis dedit Rex Eccleſiæ Gemetor mercatum apud Duclarum, & chartam fieri præcepit.* A. C. 1198.

Cap. XV.

Ius pignorationis, ſeu Repreſaliarum.

Graecis in vſu ius fuit, quod ἀνδρολη ψίαν vocabant, prehendendi tres viros ciuitatis, ſeu vici, ad quem homicida confugiſſet, niſi noxa dederetur, vel de eo iudicium fieret. Demoſthenes: ὁ μὲν νόμος ἂν μήτε δίκας ὑπόσχωσι παρ' οἷς ἂν τὸ πάθος γένηται, μήτε τοὺς δεδρακότας ἐκδιδῶσι, κελεύει κατὰ τούτων εἶναι τὸ ἀνδρολήψιον κατὰ τριῶν: *Lex ſi apud quos cædes euenit, neque ius reddant, neque ſontes dedant, aduersùs eos dat trium hominum prehenſionem.* Cui adſtipulatur illud Iulij Pollucis: ἀνδρολήψιον δὲ ὅταν τις τοὺς ἀνδροφόνους καταφυγόντας ὥς τινας ἀπαιτῶν λαμβάνῃ ἔξεστιν ἐκ τῶν οὐκ ἐκδιδόντων ἄχρι τῶν τριῶν ἀπαγαγεῖν. *Hominum prehenſio eſt quoties quis homicidas qui ad aliquos confugerunt poſtulans non recipit, ius eſt tres homines prehendere, ex his qui dedere recuſant.* Simile fuit & ius moribus introductum apud gentes, pignoris vice capiendi bona inſontium, vel non debitorum ob noxam, vel æs alienum alterius ſi iuris copia non fieret. Græcis ἐνεχυρασμός, ſeu pignoratio. Ius repreſaliarum vocant, recentiores Iuriſconſulti: idiotiſmus ius marchæ; quia in marchis ſeu limitibus potiſſimum exercetur. Hoc iure pulſis vrbe Tarquinijs Romanorum naues pro bonis Tarquiniorum Cumis Ariſtodemus Tarquiniorum heres retinuit, autore Liuio: nec alio iure Balearibus bellum indixere Romani, duce Metello, ob ſocietatem à nonnullis eorum initam cum prædonibus maritimis culpâ à ſontibus in innoxios tranſlatâ. Strabo:

in Ariſtocrat.

Onomaſt. lib. 8. c. 6.

Nou. Iuſt. 52 c. 1. de iniur. in 6.

lib. 2.

κακούργων δὲ τινῶν ὀλίγων κοινωνίας συστησαμένων πρὸς τοὺς ἐν τοῖς πελάγεσι λῃστὰς διεβλήθησαν ἅπαντες καὶ διέβη μέτελλος ἐπ' αὐτοὺς ὁ βαλεαρικὸς προσαγορευθεὶς, ὅς τις καὶ τὰς πόλεις ἔκτισε: Cùm autem malefici quidam ſocietatem coiiſſent cum prædonibus maritimis, culpati fuerunt vniuerſi, & bellum eis fecit Metellus cognomento Balearicus, qui & vrbes condidit. Tandem verò hoc ius pignorationis ſublatum conſtitutionibus Imperatorum & lege Gothicâ. Theodoricus apud Caſſiodorum: *Diuiduntur cauſæ germanis, filius obligationibus paternis ſi non ſit heres, exuitur; vxor maritalibus debitis, niſi per ſucceſſionis vincula non tenetur, & audacia ad ſolutionem trahit extraneos, cùm abſoluant iura coniunctos.* Sed poſteà recrudeſcente æui barbarie, cùm preſaliæ in vſum poſtliminio reuocatæ fuiſſent, his primùm liberauit peregrinantes religionis causâ Calliſtus II. Concilio Lateranenſi: *Si quis Romipetas, & peregrinos Apoſtolorum limina & aliorum ſanctorum oratoria viſitantes capere, ſeu rebus quas ferunt ſpoliare, & nouis teloneorum, ſeu pedaticorum exactionibus moleſtare tentauerit, donec ſatisfecerit communione abſtineat Chriſtianâ.* Imò & capitale iudicium tenuit reos pignorationis in peregrinos: Albertus Argentinenſis: *Anno iubileo Ioannes de Begerheim valens & robuſtus, in ſacra foreſta in inuaſione quorumdam Angliæ peregrinorum captus cum famulo, licèt probationes pro eo offerrentur, quòd pignorare voluerit Regem Angliæ, in cuius ſeruitio plurima expenderit, decollatur.* Clericos quoque, & eorum bona pignorationum lege abſoluit Gregorius X. ſtudioſos Fridericus II. moribus Galliæ, Germaniæ, & Italiæ repreſalias exercere, non niſi permiſſu principis ius fuit: mercatoribus nonnullis poteſtatem preſalias faciendi

lib. 3. geograph.

l. vn. C. vt null. ex vicã. nou. Iuſt. ſa. c. 1. & Nou. 134. 4. variar. 10.

Can. 16. tom. 3. conc. part. 2.

in Chronic.

d cap. vn. de iniur in 6. auth. habita. C. ne fil. pro patr.

lib.5. ep.48. indulſit Fridericus, apud Petrum de Vineis : *Contra rebelles Anconitanos, qui eos diſrobauerunt*, vt verbis Authoris vtar. Repreſalias ſaltem ſinè iudicis autoritate minimè fieri debere contendit Nicolaus Cuſanus, cenſor ſui lib. 3. de Concord. cathol. c. 34. ſeculi : *Et ſtatuatur lex, quòd nulli liceat ſub pœna furti, vel latrocinij, violenter propriâ auctoritate ex quacumque cauſa, alterius bona occupare, aut ſibi, aut ſuis damna inferre per diffidationes; ſed omnia fiant iudicum auctoritate, qui etiam repreſſaglias concedere poſſint contra contumacem.* Ius repreſaliarum aliquando etiam ex more à Ducibus & Comitibus impetrari ſolitum : hoc iure vtebatur Comes ſtylus parlam. Flandrenſis, donec litteras Marchæ ab eo conceſſas irritas pronunciauit ſenatus Francorum, decreto anni M. CC. LXXVII. & Caroli VI. infelicitate ſummâ poteſtate laborante, milites paſſim ius marchæ in prouinciarum finibus ſuâ auctoritate exercuere. Froſſardus : vol. 4. c. 12. *Ceux-cy au titre de marque guerroyoiênt le païs, & les pauures gens deçà la riuiere de Dordonne, & delà.*

Cap. XVI.
Jus tuitionis.

ROMANIS principale beneficium fuit tuitionis, ſeu defenſionis conceſſio : hoc nomine ſolebant priuati, vt aduersùm potentiores ſe munirẽt principis titulos, ſeu vela regia prædijs ſuis affigere, eáque arbitror fuiſſe purpurea, vt & ea quæ pignoris causâ alienis prædijs apponebantur. lib.5. hiſt. Iuſtin. Agathias, vbi de Anatolio : ὅπῃ τε αἱ γραπταὶ σανίδες ἐκεῖναι ἤ τε τὰ ῥάκη τὰ ὑποπόρφυρα ἐς τόδε αὐτῷ ἀπετελεύτησαν ἃ δὴ πολλὰ τοῖς τῶν εὐδαιμόνων οἴκοις θαμὰ ἐπέ-

βαλλε : *Quodque illæ ſcriptæ tabellæ, & ſubpurpurea vela hunc exitum habuiſſent, quæ ille frequenter opulentiorum domibus impoſuit.* Sed quia ſæpius contingebat hoc fieri inſcio principe, lex emanauit, ne quis priuatus titulos prædijs ſuis imponat, vel vela regia ſuſpendat; ſcilicet ſinè præcepto principis. Verùm & tuitio impetrari ſolita à Præfecto prætorio, vel vicario, qui vice ſacrâ iudicabat. Symmachus Theodoſio : *Interiectis diebus cùm Romam V. C. & laudabilis vicarius commeaſſet V. C. cauſidicus fori mei Celſus, ſocius eius qui debitũ refudit impendium, tuitionem contra me & annonæ præfectum clariſſimum virum de ſede vicaria poſtulauit.* Gothis rerum Italiæ potitis tuitionis indulgendæ ſummum ius penès ſe Reges collocarunt, cuius formulam prodidit Caſſiodorus. Aequè & Francorum Reges, aſſerto Galliarum imperio, priuatis laborãtibus, tuitionem, ſeu Mundeburdium impendere ſui beneficij eſſe voluerunt; quod inſinuat concepta de Mundeburde Regis formula apud Marculphum : & Iuo Carnotenſis iturus ad Philippum Regem non vno loco petit à Richerio Senonenſi, vt ſecurum ſibi conductum à rege impetret, ob incumbentes infenſiſſimos hoſtes. Frequens & ſalutare tuitionis regiæ remedium aduerſùs potentiorum iniurias, quâ inſigniti, in verbo regis poſiti dicebantur. Gregorius Turonenſis: *Rerum etiam præceptionem tribui iuſſit, vt in verbo ſuo poſita à nullo vnquam parentum defuncti illius in aliquo moleſtiam pateretur.* Inſigne & Auguſtarum Galliæ decus, verbo ſecuritatem oppreſſis parare, regiæ dignitatis conſortio. Idem Gregorius Turonenſis : *Quoniam Regina Brunichildis in verbo ſuo poſuerat Sicharium; ideò res huius fiſcari præcepit, ſed impoſterum à Flauiano domeſtico redditæ ſunt.*

[Margin: l.1. & 2. C. vt nem. priu. tit. præd. ſuis, vel al. impon. — lib.10. ep.36. — lib.4. var. c. 41. & l. 7. c. 39. — ep. 8. 9. 50. — lib.9. hiſt. c. 28. — lib. 9. c. 19.]

Labente æuo ſecuritatem & ſaluum conductum ſuis præſtandi ius ad ſe reuocarunt Duces,& Comites. Exin notatur Ioannes REX Angliæ, & Dux Aquitanorum, quòd Hugoni Comiti Marchiæ, N. Comiti Engoliſmenſi ad ſe in ius venturis ſaluum conductum pernegarit. Guillelmus Brito, (6. philippid.)

Nec ſaluum præſtare viris pendente querelâ,
Conductum,iuris vt poſtulat ordo volebat.

Et Ildebertus Cenomanenſis profecturus ad Concilium prouinciale, conductum expoſcit à quadam Comitiſſa: (ep. 26.) *Epiſcopo Carnotenſi*, inquit, *conductum,ſicut fertur,prouidiſti ad Concilium profecturo, quod ſi ità eſt præfatæ gratiæ beneficium mihi communices exoro.* Saluum conductum & ſuis præſtitarunt Comites Toloſani,& eo nomine guidagia (vectigalis genus eſt pro ſecuritate viarum aſſerenda) inſtituerunt, vt docet nos Epiſtola decretalis Innocentij III. ad Comitem Toloſanum. (cap. ſuper quibuſdam. de verb. ſignif.) Eodem iure etiam Comites Armorici in quæſtu duxerunt tuitiones & defenſiones impertiri negotiatoribus, portus ſuos adnauigantibus, quod ius nominatim ſibi excepit Petrus MAUCLERC pactâ lege cum D. Ludouico anni M. CC. XXXI. ex Argentræo. Condictâ in Syriam expeditione, nouo ianè & inaudito anteà exemplo, Eccleſia ſacros milites, & eorum bona tutelæ ſuæ commendauit,non ſinè principis injuria,cuius patrocinio vniuerſa reſpublica,adeóque Eccleſia continetur. Iuo Carnotenſis Paſchali II. (ep. 173.) *Qui cùm diu inde diſceptaſſent, non potuerunt in vnam conuenire ſententiam, dicentes nouam eſſe inſtitutionem de tuitione Eccleſiſtica impendenda rebus militum Hieroſolymam proficiſcentium; neque ſcire vtrùm hæc tuitio ad ſolas pertineat proprietates eorum, an etiam pertineat ad caſamenta eorum, quæ*

tenent potentes homines ſe, & ſua fortitudine ſuâ defendentes. Certè meliori æuo tuitionis concedendæ iùs alienum ab Epiſcopo; principis verò, ſeu magiſtratus eſſe profeſſus Syneſius contra Andronicum: προστάτου σοι δεῖ; βάδιζε παρὰ τὸν ἐπιτροπεύοντα τῶν νόμων τῆς πολιτείας· τοῦ θεοῦ σοί τι δεῖ, ἴθι παρὰ τὸν ἱερέα τῆς πόλεως. *Patrono tibi opus eſt? vade ad eum, qui præfectus eſt legibus reip. Qua in re tibi Deo opus eſt; i ad ſacerdotem ciuitatis.* ep. 57.

Cap. XVII.

Ius reſſortus.

SVMMAE poteſtatis eſt ius reſſortus, id eſt, ius cognoſcendi de cauſis appellationum. Liberâ republicâ, lege Valeriâ cautũ, vt ab omni magiſtratu prouocatio eſſet ad populum ROMANUM, penès quem ſuprema erat poteſtas; *Ne quis*, hæc ſunt verba legis apud Liuium, *vllum magiſtratum ſinè prouocatione crearet, qui creaſſet eum, ius fáſque eſſet occidi, neue ea cædes capitalis noxæ haberetur.* lib. 3. Sed imperio à populo transfuſo in Cæſares, ad eos confluxit ſumma & iudiciorum. In Gallia etiam iam olim à Comitibus & Miſſis dominicis fuit prouocatio ad REGEM, non aliter quàm ob deſidiam iudicis. Capitulare LUDOUICI P. *Populo autem dicatur, vt caueat de alijs cauſis ſe ad nos reclamare, niſi de quibus aut Miſſi noſtri, aut Comites eis iuſtitias facere noluerint.* add. 4. c. 85. Verùm labente regiâ poteſtate etiam Duces & Comites prouinciales, ius reſſortus & cognitionem de cauſis appellationum ad ſuum forum tranſtulere; ità PEtrus Mauclerc, Dux Britonum, pactione cum D. Ludo-

uico initâ anno M. CC. XXXI. ius reſſortus & iudicium appellationum à Seneſcallis & Præpoſitis ditionis ſuæ, ſibi nominatim excepit, ſaluâ appellatione ad ſenatum Francorum, ſi ſegnior fuerit in iure dicundo; qua de re

vol.4.ch.33. Froſſardus : *Vous deuez ſçauoir que le chef de la Duché de Bretagne eſt de ſi noble condition, que ſouuerainement nul n'y peut, ne doit exploitter tant que leur Seigneur naturel, c'eſt à entendre, le Duc de Bretagne tiendra ſa Court ouuerte pour ouyr droit, ſes Officiers pour exploiter en droit, en la terre de Bretagne, & faire ce qu'Office demande.* Reſſortu gaudebat Dux Normanniæ, & ſenatum ſuum habebat, quem vocabat, Scacarium. Cuius exemplo Regi Nauarræ in Comitatu Campaniæ, & Bellimontis tributum ius Scacarij ſemel, & iterum habendi in ſingulos annos, au-

vol.1.c.154. ctore Froſſardo : Exſtant & plures tabulæ Alphonſi Comitis Pictauienſis & Toloſani, quibus in conceſſio-

in chartul. Alphonſ. Com. ne feudorum ius reſſortus penès ſe retinet. Eodem iure vtebatur Eduardus Rex Anglorum, & Dux Aquitaniæ, ità vt non deferret appellationibus quæ ad Regem

A. C. 1293. deferrentur, quo nomine coërcitus à Philippo Pulchro, auctore Matthæo Vueſtmonaſterienſi, & abhinc cùm ab Eduardo principe Vualliæ, & Duce Aquitaniæ ob indictum focagium prouocatum eſſet ad regem, Anglo contendente ius reſſortus, ac ſummæ poteſtatis, Bretiniacenſi pactione abdicatum, meritò reſponſum non potuiſſe Regem abdicare imperium, ſinè conſenſu om-

vol.3.c.246. nium Ordinum, vt refert idem Froſſardus.

DVCES,

DVCES, ET COMITES PROVINCIALES.

LIBER III.

Capvt I.
Jus in connubia.

NATVRAE regnum à connubio primordia deſumpſit : nunc tertia hæc regalium opera à iure in cõnubia incipiet : connubium iure ciuili Romanorũ non fuit inter ciues Romanos & Latinos, aut peregrinos, niſi à lege datum eſſet. Vlpianus: *Connubium habent ciues Romanis cũ ciuibus Romanis; cum Latinis autẽ & peregrinis ità, ſi conceſſũ ſit.* Hinc Canuleius Tribunus plebis dum legem de communicandis patriciorum, plebeiorúmque coniugijs ſuaderet, commodùm, hoc vſus argumento apud Liuium : *Alterâ lege connubium petimus, quod finitimis externis dari ſolet*: Et vt iuſtas ciuibus Romanis nuptias cũ Latinis & peregrinis ſinè beneficio legis, vel SC. non fuiſſe intelligas, Campanos reſtitutos in gratiam, cum Romanis, ius connubij cum ciuibus Romanis à ſenatu petijſſe, auctor eſt Liuius : *Campani, cùm eos SC. Cenſores Romæ cenſeri coëgiſſent (nam anteà incertum fuerat vbi cenſerentur) petierunt vt ſibi ciues Romanas ducere vxores liceret, & ſi qui priùs duxiſſent, vt habere eas, & ante eam diem nati,*

lib. regul. tit. 5. Boët. ad top. Cic. in loc. à conſeq. Senec. 4 de benef. 35.

lib. 4.

lib. 38.

vti iuſti ſibi liberi, hæredéſque eſſent. Pari & inſtituto libertinis connubium cum ingenuis non fuit, niſi ex beneficio Feceniæ Hiſpalæ libertinæ ob indicium ſæuæ conſpirationis Bacchanalium S C. datum, vt ſibi tutorem optaret quem vellet, eíque ingenuo nubere liceret, (lib. 39.) *Vtique*, inquit Liuius, *Fecenia Hiſpala datio, diminutio, gentis enuptio, tutoris optio item eſſet, quaſi ei vir teſtamento dediſſet, vtique ei ingenuo nubere liceret, neu quid ei qui eam duxiſſet, ob id fraudi, ignominiaue eſſet.* Quin & Macedoniâ Paulo duce in populi Romani poteſtatem redactâ, & in tetrarchias diuisâ, connubium Macedonibus inter ſe vetitum extra fines ſuæ cuique regionis, ne nuptiarum fœdere in res nouas, & libertatis ſtudium coirent: (lib. 45.) *Pronunciauit deinde*, ait Liuius de Paulo, *neque connubium, neque commercium agrorum, ædificiorúmque inter ſe placere cuiquã extra fines regionis ſuæ eſſe:* Intellexere ſcilicet ſapientiſſimi viri fortiſſimũ eſſe reipublicę vinculum cõnubiorũ fœdus, cum corporibus miſceri animos; quo & conſilio Lydis, Medíſque iam olim placuit ſolennia inter ſe fœdera nuptiarum nexu ſanciri. *ἄνευ γὰρ ἀναγκαίης ἰσχυρῆς συμβάσιες ἰσχυραὶ οὐκ ἐθέλουσι συμμένειν,* (Herod. lib. 1.) *Sinè vehementi neceſſitudine conuentiones ſtabiles iniri nequeunt*, vt refert Herodotus. Republicâ inclinatâ in Cæſares, illuſtrium nuptias & hi ſui arbitrij fecerunt: (v. Plut. in Dion. Ioſeph. lib. 16. c. 11. lib. 4. annal.) Tiberij offenſionem contraxit Seianus, quòd de Liuiæ nuptijs inſcio principe cogitaſſet, vt ſcimus ex Tacito. Hoc fortè intellexit poëta cùm humana ad Deos referens, Lacheſim è Parcis vnam Plutoni nuptiarum deſiderio æſtuanti, & ad raptum Proſerpinæ properanti (Claudian. lib. 1. de rapt. Proſerp.) conſulentem affinxit, vt à Ioue vxorem poſceret,

Poſce Iouem dabitur coniux.

Nuptias ſui arbitrij fecit & Theodora coniux Iuſtiniani. Procopius: *καὶ τοὺς γάμους ἅπαντας τῇ θείᾳ ἐξουσίᾳ τινὶ διῳκεῖτο* : *Connubiale ius totum penès ſe eſſe voluit.* Hoc iure vſi & poſteriores Orientis Imperatores, regiarum & illuſtrium puellarum impares nuptias ſinè aſſenſu ſuo contractas irritas habuerũt. Balſamo in Canonicã Epiſt. Baſilij ad Amphilochium: *οὐκ ἔρρωται ὁ γάμος τῆς θυγατέρος, ἢ ἐγγόνης τοῦ ἀξιωματικοῦ πρὸς ἀπελεύθερον ἢ σκηνικὸν, ἢ σκηνικοῦ υἱὸν ἢ σκηνικῆς. ὁ δὲ κραταιὸς καὶ ἅγιος ἡμῶν βασιλεὺς διαφόρων συνοικέσια εὐγενῶν συναφθεισῶν ἀνδράσιν δυσγενέσι διέσπασε, καὶ τοὺς συναφθέντας μεγάλως ἐκόλασεν, οἷόν τι πεποίηκε καὶ εἰς τὸν βασιλικὸν γραμματικὸν κύριον Θεόδωρον τὸν μεσαρίτην τοῦ σεβαστοῦ τοῦ Βριεννίου τὴν θυγατέρα χωρὶς εἰδήσεως βασιλικῆς εἰς γυναῖκα λαβόντα* : *Non eſt validum matrimonium filiæ, vel neptis viri ſenatorij cum libertino vel ſcenico; vel ſcenici, aut ſcenicæ filio. Potens autem & ſanctus Dominus noſter, & Imperator cum nobilium aliquot mulierum cum viris ignobilibus contracta eſſent matrimonia, ea ſeparauit; & ſeparatos valde punijt; vt fecit in regium Dominum Theodorum, Meſaritémque, qui auguſti Briennij filiam abſque Imperatoris ſcientia in vxorem acceperat.* Ceterùm nuptiæ inter priuatos liberæ fuere, & in arbitrio parentum poſitæ, in quorum poteſtate erant contrahentes, & conſtitutionibus damnatæ nuptiæ reſcripto principis ambitæ. Moribus noſtris regiorum liberorum, & illuſtrium perſonarum nuptias ſinè conſenſu ſuo depactas, vix tulere diuini principes, Majeſtatis tenaciſſimi vindices. Inuitus tonſus, & in clericorum ordinem deportatus Merouæus, natu maior Chilperici filius, quòd inſcio parente vxorem duxiſſet Brunichildem Sigeberti Patrui viduam, eóque nomi-

Hiſt. arcan. p. 77.

Can. 41.

l. 1. & 2. C. ſi nupt. ex reſcript. pet.

Marcus part. 2. deciſ. 306.

ne in Concilio Pariſienſi exauctoratus Prætextatus Epiſcopus Rhotomagenſis, quòd eos coniunxiſſet, ex Gregorio Turonenſi, & Aymoïno. Ad necem vſque ſæuijt in Chramnum Clotarius pater, quòd ſe inconſulto vxorem duxiſſet Calten Vuillecarij Aquitanorum Ducis filiam, vt colligere eſt ex ijſdem Gregorio Turonenſi, & Aymoïno. Tertio poſt excurrēte ſeculo Iudith, Caroli Calui filia, primùm Edilulfo Anglorum Regi nupta, quo defuncto cùm redijſſet in Galliam, Balduini Ferrei Comitis Flandriæ nuptijs clam patre conſenſit; ſed Ludouico fratre, vt ferunt conniuente, iudicium de raptu legibus peractum, additæ diræ canonicæ; Balduinus Caroli metu in Lotharij regno delituit, donec Carolus Nicolai Papæ precibus motus, annuit vt ſolennes nuptiæ Antiſſiodori celebrarentur, vt liquet ex Hincmari Epiſtola ad Nicolaum apud Flodoardum, & ex Caroli Calui Capitulis. Abbatijs & alijs beneficijs dominicis multata Gerberga Ludouici Transmarini mater, quod clàm enupſiſſet Herberto Comiti Viromanduorum. Flodoardus: *Gerberga Regina mater Ludouici Regis egreſſa Lauduno, conducentibus ſe quibuſdam tam Heriberti, quàm Adalberti fratris ipſius hominibus, ad Heribertum proficiſcitur, qui ſuſcipiens eam ducit in coniugem; vnde Rex Ludouicus iratus, Abbatiam ſanctæ Mariæ, quam ipſa Lauduni tenebat, recepit, & Gerbergæ vxori ſuæ dedit, fiſcum quoque Atoniacam ſuo dominio ſubdidit.* Perfidiæ labe notatus Fulco Comes Andegauenſis, quòd filiam Vuillelmo regis Anglorum filio elocaſſet in matrimonium, inconſulto Ludouico Francorum Rege. Sugerius Abbas: *Comes etiam Andegauenſis Fulco cùm & proprio hominio, & multis ſacramentis, obſidum etiam multiplicitate Regi Ludouico*

Gregor. Turonenſ. lib. 5. c. 18. Aymoin. lib. 3. c. 21.

Gregor. Turonen. lib. 4. c. 20. Aymoin. lib. 2. c. 30.

Flodoard. lib. 3. c. 12. Capitul. Carol. Cal. c. 30.

A. C. 951.

in vit. Ludou. Craſſ. p. 113.

confœderatus eſſet, auaritiam fidelitati præponens, inconſulto Rege, perfidiâ inflammatus filiam ſuam Regis Anglici filio Guillelmo nuptui tradidit, & cōpactas ſacramento inimicitias, tali cum eo amicitiæ cōmotus copula fraudulentus diſſoluit. Ludouicū Iuniorē exacerbauit Theobald' Comes Cāpaniæ, quòd filium deſponſaſſet natæ Comitis Flandriæ, filiam Comiti Sueſſionenſi, & nuptijs interceſſit, adumbrato cognationis obtentu, quod audaciori fortè ſtylo damnat Bernardus in Epiſtola ad Stephanum Præneſtinum: *Prætereà Rex nobis quidem non parum laborantibus pacem cum Comite Theobaldo fecerat, firmæ vt putauimus amicitiæ fœdus inierat, & ecce occaſiones quærit quomodo recedat ab amico, atque hoc grande crimen quod impingitur Comiti, quia cum Baronibus Regis, de liberis ſuis contrahit matrimonia: ſuſpecta eſt illi dilatatio charitatis, nec ſe putat Regem ſi ſe amauerint principes. Conijciat prudentia veſtra quid animi erga ſubditos gerat, qui de odio atque diſcordia ſi fuerit inter ſuos ſe æſtimat fortiorem; quâ fronte obſecro tantoperè alijs præſcribere de conſanguinitate laborat homo, cum ſua, quod palàm eſt, tertio conſanguinitatis gradu ferme permanens conſobrina; & quidem inter filium Comitis Theobaldi, & Comitis Flandrenſis filiam; & item inter Comitem Sueſſionenſem & filiam Comitis Theobaldi, ſi conſanguinitas ſit neſcio; ſcienter enim illicita matrimonia, nec laudaui vnquam, nec laudo; ſed ſciatis vos, & ſciat Dominus meus prohibere horū nuptias, ſi quo modo coniungi fas fuerit, exarmare Eccleſiam eſt, & multam illi ſubtrahere fortitudinem, nec aliam puto aduerſantium ipſis nuptijs intentionem, niſi vt in terris præfatorum principum non poſſint habere refugium quicumque audebunt contradicere ſchiſmati quod minantur.* Cruentas ſimultates cum Henrico Duce Normannorum, ac tum Rege Anglorum exercuit idem ipſe

ep. 224.

Ludouicus, quòd is Eleonoram vxorem à ſe dimiſſam clàm ſe inſcio duxiſſet, & cum ea Aquitaniam ereptam & lethale reipublicæ vulnus inflictum doluit. Chronicon

A.C. 1131. Normannorũ: *Circa Pentecoſtẽ Henricus Dux Normãniæ ſiue repẽtino, ſiue pręmeditato conſilio duxit Alienor Comitiſſã Pictauenſem, quam paulò ante Rex Ludouicus propter conſanguinitatem dimiſerat: quo audito Rex Ludouicus commotus eſt contra eundem Ducem; habebat enim duas filias de ea, & ideò nolebat vt ab aliquo illa filios exciperet, vnde prædictæ filiæ ſuæ exheredarentur.* Aegrè & indignanter tulit Philippus Pulcher, quòd Guido, Comes Flandrenſis, Philippiam filiam Eduardo Regi Anglorum nuptum pepigiſſet, ſe inſcio, & vt ſpem nuptiarum diſſolueret, filiam euocauit cum patre, & patre dimiſſo eam apud ſe detinuit,

Nicol. Aegid in Philipp. Pulchr. donec puella tædio cuſtodiæ, & regiæ conditionis elapſæ tabefacta interijt, vt narrant Nicolaus Aegidius,

Chro. Flan. c 34. auctor Chronici Belgici, & alij eius æui Scriptores. Iratum habuit Carolum VI. Comes ſancti Pauli, quòd ignorante Rege nuptias contraxiſſet cum ſorore Richardi Anglorum Regis, víxque regi conciliatus, teſte Iu-

Iuuenal. de Vrſin. A.C. 1380. uenale de Vrſinis. Gliſcẽte iam olim in cõnubia hâc lue, ſæpius ex reſcripto & præcepto principũ cõciliabantur

lib. 4. c. 45. nuptiæ, abſque parentum arbitrio. Gregorius Turonenſis: *At ille regreſſus ad Regem, præceptionem ad iudicem loci exhibuit, vt puellam hanc ſuo matrimonio ſociaret, dicens quia dedi arrham in deſponſatione eius.* Hoc reipublicæ probrum paſſim deteſtati Galliarum patres. Conci-

Can. 22. lium Aurelianenſe IV. *Vt nullus per imperium poteſtatis filiam cõpetere audeat alienam; ne coniugium quod contra parentum voluntatem piam copulatur, velut captiuitas iudicetur.*

Can. 6. Pariſienſe III. *Hoc vniuerſitas præcauere quoque debet, tam*

ſacerdotes, quàm principes, omniſque populus, vt nullus res alienas competere à regis audeat poteſtate, nullus viduam, neque filiam alterius extra voluntatem parentum aut rapere præſumat, aut regis beneficio æſtimet poſtulandam. Diuiſo à Carolo M. inter liberos imperio permiſſæ nuptiæ inter illorum ſubditos, vt nuptiarum commercio pax inter eos foueretur. Teſtamentum Caroli M. *Si quæ autem fœminæ, ſicut fieri ſolet, inter partes & regna, fuerint ad coniugium poſtulatæ, non denegentur iuſtè poſcentibus, ſed liceat eis viciſſim dare & accipere, & affinibus populos inter ſe ſociari: ipſæ verò fœminæ poteſtatem habeant rerum ſuarum in regno, vnde exierant quamquam in alio propter mariti ſocietatem habitare debeant.* Interdum verò prouincialibus lapſis à fide, ademptum ius connubij citra conſenſum regium, in pœnam perduellionis; vt Pictauenſibus à Ludouico IX. armis ab Anglo receptis, perpetua hæc ſeruitutis nota inuſta, ne filias domi nuptum darent conterraneis, vel alijs quibuſque, niſi conſentiente principe. Matthæus Paris: *Profluentibus autem temporum illorum curriculis miſeri, nec miſerabiles Pictauenſes, quibus innata eſt proditio, adeò in conſpectu Francorum obſorduerunt, quòd filias ſuas nuptui tradere niſi de licentia Francorum nec ſunt auſi, nec permittebantur, & dominantibus eis qui eos oderunt, vltimæ facti conditionis, fructus viarum ſuarum ſub iugo multiplici Ægyptiæ ſeruitutis meritò reportarunt.* Et idem Matthæus Vueſtmonaſterienſis expreſſiùs. *Receptis igitur homagijs magnatum Pictauiæ & ſuis naturalibus hominibus, ac fidelibus in caſtris eorum poſitis, ac ciuitatibus, vt ipſis præeſſent, & eos regerent, Rex in Franciam remeauit & in breui ſanitati reſtitutus, Pictauienſes iuſſit vltimis traditos conditionibus arctiſſimè cuſtodiri: vnde datum eſt eis iam pro lege,*

in vit. Carol. M.

in Henr. III A. C. 1245.

vt necnuptui filias ſuas tradant, nec de vna ciuitate in aliam ſinè Francorum licentia. Moribus Germanorum, vt extera cum noſtris comparemus, damnatæ illuſtrium perſonarum nuptiæ ſinè Imperatoris nutu contractæ. Proſcripta ab Henrico III. Imperatore, Beatrix vidua Bonifacij Marchionis Italici, quòd inſcio principe nupſiſſet Godefrido Lotharingiæ Duci perduelli. Lambertus

de reb. geſt. German. 1055.

Schafnaburgenſis: *Beatrix quoque diſſimulato metu, Imperatori obuiàm proceſſit, & vix impetratâ dicendi copiâ, ait nihil ſe egiſſe, præterquàm quod iure gentium ſibi agere licuiſſet, deſtitutam ſe priorì marito, deſolatæ domui patronum parauiſſe, & ingenuam ingenuo ſinè fuco nefariæ cuiuſquam machinationis; nec æqui, nec boni memorem eum eſſe, ſi id ſibi pace eius non liceret, quod in imperio Romano fœminis nobilibus ſemper licuiſſet. Imperator itaque accepto à primoribus conſilio Godefridum crimine abſoluit, non tam probans ſatisfactionem eius, quàm metuens ne malis recentibus exaſperatus, Nortmannis infeſtantibus Italiam, ducem belli ſe præberet: Beatricem tamen quaſi per deditionem acceptam ſecum abduxit, hoc illi culpæ obijciens, quòd contractis ſe inconſulto nuptijs hoſti publico Italiam prodidiſſet.* Conſtitutione Friderici II. feudum com-

Conſtit. Neap. lib. 3. tit. 21. §. 1.

mitti placuit, ſi Comes, Baro, vel miles vxorem ducat, filiámue collocet ſinè Regis aſſenſu: quod paulò temperatum Conſtitutione Caroli II. & Honorij IV. ex Matthæo de Afflictis. Aequè apud Anglos, Gallorum moribus, legibúſque imbutos, prohibitæ illuſtrium puellarum nuptiæ ſinè conſenſu principis, Conſtitutione Henrici I. quæ refertur apud Matthæum Paris: *Et*

in Henrico A. C. 1000.

ſi quis Baronum, vel aliorum hominum meorum filiam ſuam tradere voluerit, ſiue ſororem, ſiue neptem, ſiue cognatam mecum inde loquatur; ſed neque ego aliquid de ſuo pro hac licentia accipiam,

accipiam, neque defendam ei quin eam det; excepto ſi eam dare voluerit inimico meo: Et ſi mortuo Barone, vel alio homine meo filia heres remanſerit, dabo illam cum conſilio Baronum meorum cum terra ſua, &c. Ideóque conditiones de nuptijs Henrici Comitis Erbicenſis, cum nata Ducis Borbonij, non audijt Carolus VI. priuſquàm ille cum Rege Anglorum Domino ſuo in gratiam redijſſet, eiúſque aſſenſum meruiſſet, auctore Froſſardo. Porrò Duces & Comites vt ſemel patefacto aditu ad Regalia, in ea agmine facto irruerunt, in colonorum & clientum nuptijs eandem poteſtatem tentarunt, quâ in ipſos Rex potiretur. Moleſtè tulit Eduardus princeps Vualliæ, & Dux Aquitaniæ, quòd Lebretius Dynaſta Aquitanus, vxorem duxiſſet ſinè eius conſenſu, referente eodem Froſſardo. Moribus paſſim Seniores Franci ſubditorum nuptias in poteſtatem ſuam redegerunt, ſaltem vectigali obnoxias eſſe voluerunt, ſi forte enuberent extra ordinem, quod in idiotiſmo vocamus, *foriſmaritagium*, ex conſuetudine Trecenſi, & alijs. Nec eſt quòd miremur vectigal nuptiarum; hoc enim genus indicti primùm à Caligula inſtitutum, ex Tranquillo: acerbiſſimè exactum ſcimus etiam à colonis prædiorum Eccleſiæ Romanæ, donec huic modus impoſitus ad ſolidum à pijſſimo Pontificum Gregorio I. vt conſtat ex ipſius Epiſtola, ad Petrum Subdiaconum, defenſorem Siciliæ: *Peruenit etiam ad nos, quòd de nuptijs ruſticorum immoderata commoda percipiantur, de quibus præcipimus vt omne commodum nuptiarum vnius ſolidi ſummam nullatenus excedat.* Deterior longè, ac fœdior apud Scotos viguit conſuetudo, vt Dominis & præfectis, ſponſarum integritatem vno coitu experiri liceret; ſed ea tandem à Mal-

vol. 4. c. 103.

vol. 5. c. 244.

Conſuet. Trec. art. 5. & ibi Pith. Ragueau in Indic. reg. in verb. formariage, in Calig. c. 40.

lib. 1. ep. 42.

conio III. Rege ſublata, ſuadente ſanctiſſimâ vxore Margaretâ, & pudicitia nummo redempta. Hector Boëthius. *Illud verò inter cetera haud indignum memoriâ exiſtimem, abrogatam peſſimam eam, ac peſtilentem conſuetudinem olim ab Eueno tyranno ethnico inductam, vt Domini, præfectiue in ſuo territorio ſponſarum omnium virginitatem prælibarent, dimidiatâ argenti Marchâ vnam noctem à præfectorum vxoribus redimente ſponsâ; quam etiamnum pendere coguntur, vocántque vulgò mulierum Marketam. Nec diſſimile eſt quod haud longè à Louanio in pago fit quodam, vbi ſuæ ſponſæ ſtuprum ſponſus à loci præfecto redimit, quâ ſeruitute nulla vnquam fando maior eſt audita.*

lib. 12. hiſt. Scot. id. Polyd. Vergil. lib. 10. hiſt. Anglic.

Cap. II.

Corona Patriciorum, Ducum, & Comitum.

Non ſoli reges coronantur, coronas geſtarunt & patricij, & poſt eos Duces, Comitéſque prouinciales; has patriciatus inſigne fuiſſe obſeruo ex Caſſiodoro in formula patriciatus: *Sume poſt conſulares faſces emeritos patriciatus inſignia, tuarum munus plenarium dignitatum, & cani honoris infulis adultam cinge cæſariem.* Huiuſmodi haud dubium fuiſſe coronam, quam ab Anaſtaſio Clodoueus accepit, patricius enim ab Auguſto ſalutatus. Cuius dignitatis fuerit patricia corona, ſatìs colligo ex eo, quòd Imperatores ipſi poſt imperatoriam coronam, patriciam non reiecerunt. Vuillelmus Malmesburienſis: *Imperatori autem* (Henrico V.) *exeunti de camera, & ſuis Regalibus exuto, occurrerunt Romani Patricij cum aureo circulo, quem impoſuerunt Imperatori in capite, & per eum dederunt ſibi ſummum patriciatum Romanæ vrbis, commu-*

lib. 3. var. c. 5.

lib. 5. de geſt. Reg. Anglor.

conſenſu omnium & volenti animo. A Patricijs, nî fallor, deducta ſtemmata ad Duces & Comites, inſanâ dignitatis æmulatione: Coronâ Ducali adornatus Boſo à Carolo Caluo Dux Papienſis inſtitutus. Aymoïnus: *Româ extens Papiam redijt* (Carolus Caluus) *vbi & placitum ſuum habuit, & Boſone vxoris ſuæ fratre, Duce ipſius terræ conſtituto, & coronâ Ducali ornato, cum collegis eius, quos idem Dux expetijt, in eodem regno relictis, accelerauit.* Coronæ ornamentis fulſit & Conanus Dux Britonum. Glaber: *Horum ſcilicet Brittonum aliquando princeps extitit, quidam, Conanus nomine, qui etiam acceptâ in matrimonio Fulconis Andegauorum Comitis ſorore, ac demum inſolentior ceteris ſuæ gentis principibus cœpit exiſtere; nam more regio impoſito ſibi diademate in ſui anguli popello plurimam inconſultè exercuit tyrannidem.* Solenni coronationis & Pontificiæ benedictionis inauguratione cum regibus penè certarunt Duces Normanniæ. Rogerus Houëdenus: *Deinde idem* (Ioannes ſcilicet, poſteà Rex Angliæ) *venit Rhotomagum, & die dominica in octauis Paſchæ, videlicet ſeptimo Kalendas Maij, feſto S. Marci Euangeliſtæ accinctus eſt gladio Ducatus Normanniæ, in matrici Eccleſia per manum Vualteri Rhotomagenſis Archiepiſcopi, & prædictus Archiepiſcopus poſuit in capite Ducis circulum aureum habentem in ſummitate per circuitum roſas aureas: & ipſe Dux coram clero & populo iurauit ſuper reliquias Sanctorum, & ſuper ſacroſancta Euangelia, quòd ipſe ſanctam Eccleſiam, & dignitates illius bonâ fide, & ſinè malo ingenio ſeruabit illæſas.* Per virgam & pileum inueſtituram aſſecuti Anglici Duces Aquitaniæ. Thomas Vualſingan: *Eodem anno in parliamento Londonijs Dominus Ioannes Dux Lancaſtriæ factus eſt Dux Aquitaniæ per virgam & pileum præbitis manu Regis.*

lib. 5. c. 32.

lib. 2. c. 3.

in Ioanne A. C. 1199. idem Matth. Paris. eod. a

in Rich. II. A. C. 1390.

CAP. III.

Jus armorum, ſiue inſignium. Jus Lithræ.

LONGE à vero aberrant, qui gentilitia noſtrorum ſcuta, ſuis diſtincta coloribus, & metallis ſignísve, ad veterum ſtemmata referunt; nihil enim aliud ſtemmata his fuêre, quàm tabellæ appoſitæ imaginibus majorum, cuiuſque nomine inſcriptæ, vt illo loco Plinij: *Expreſſi cerâ vultus ſingulis diſponebantur armarijs, vt eſſent imagines quæ comitarentur gentilitia funera, ſempérque defuncto aliquo totus aderat familiæ eius qui vmquam fuerat populus: ſtemmata verò lineis diſcurrebant ad imagines pictas.* Adſtipulatur & alter Senecæ: *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis ſtemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant, noti magis quàm nobiles ſunt.* Vero ſimiliùs gentilitia inſignia in ſcutis depingendi vſus deducatur è Romanorum militia, & pictis ſcutis militum; horū ſcilicet picta erant ſcuta, variiſque ſignis, editorum facinorum argumentis intexta. Vegetius: *Sed ne milites,* inquit, *aliunde in prælij tumultu à ſuis contubernalibus aberrarent, diuerſis cohortibus diuerſa in ſcutis ſigna pingebant, quæ ipſi nominant* δείγματα*, ſicut etiam nunc moris eſt fieri:* Et Claudianus,

lib. 35. c. 2. — lib. 3. de benef. c. 28. V. Iuuenal. Satyr. 8. — lib. 2. de Re milit. c. 18. — de bell. Gildon.

———— ———— Nominéque probantes,
Inuicti, clypeóque animoſi teſte Leones.

Et antè Virgilius,

lib. 7. Æneid.

———— ———— Et picti ſcuta Labici.

è contrà tyronum pura erant ſcuta, id eſt non picta, vt illo loco Virgilij.

——— ——— *Parmâque inglorius albâ.* li.9.Aeneid.

Primus principum Auguſtus ſcuto pilam affixit, vt imperij Romani non alios, quàm orbis terminos ſignaret, ſi fides Iſidoro Hiſpalenſi. Iam olim verò inſignium ſtudioſiſſimi fuere Galli & Germani. Ouum inſigne Druïdis, velut initij rerum omnium ſymbolum, memorat Plinius: *Vidi equidem*, inquit, *id ouum mali orbiculati medici magnitudine, cruſta cartilaginis, velut acetabulis brachiorum polypi crebris, inſigne Druïdis.* Nauim inſigne prætulere Germani. Tacitus: *Pars Sueuorum & Iſidi ſacrificat; vnde cauſa & origo peregrino ſacro parum comperi, niſi quòd ſignum ipſum in modum liburnæ figuratum docet aduectam religionem.* Romanis, vt ex imperij Notitia liquet, certi non fuere colores & metalla inſignium: poſterioris æui inuentum eſt, quod certos his colores, & metalla, neſcio quâ ſuperſtitione dicauit, & ſcrupuloſam hac de re artem inſtituit: metalla ſunt aurum, & argentum; colores, cœruleus, viridis, idiotiſmo *Sinople*: Rubeus, quem *Gueules*, vocitant; Niger, quem noſtri *Sable*: Vnde *Gueules*, dici amet rubeus color, anxiè quæſiere multi, ſed infeliciter, dum vocem domi natam, peregrè nimiùm inquirunt, & in remotis perſpicaces, in propioribus lippiunt: ridebis ſi rubeum colorem Gulas dixero, natiuo gulæ colore; ſed primùm ecce Bernardus Claræuallenſis huius coniecturæ locuples ſuffragator, in Epiſtola ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum: *Horreant & murium rubricatas pelliculas, quas gulas vocant, manibus circumdare ſacratis.* Sabulum verò quod eſt nigrum, non à ſabulo deflexum, ſed à muribus Ponticis nigri coloris, quos vocant Martras ſabelinas, vel ſabulinas: diutiùs me torſit Sinopij, quod

lib.18. Orig c. 3.

lib. 29. c. 3. ouum generationis rerum omnium ſymbolum

Plut. 2. ſympoſ. c. 3.

de morib. German.

ep. 42.

eſt viride origo; ſed in hunc diem me effugit, niſi forStrab li. 12. tè ex errore natum lubet, & ſinopim (quæ eſt Græcis
Plin. lib. 35. c. 6. & 7. Aſiaticis minium Cappadocium, à Sinope vrbe, ad quam commercij causâ conuehebatur, teſte Strabone, & Plinio) à Francis per Græciam & Aſiam peregrinantibus helleniſmi inſcitiâ ad viride detortum. Hoc verò ſatîs notum eſt, gentilitia ſcuta ſummo Gallis, Germanis, & Anglis in cultu fuiſſe, & præcipuè ab æuo Ducum & Comitum, virorúmque fortium ornamenta, tum in bello, cum in pace. Matthæus Paris: *Epulabantur*
A. C. 1254. *autem*, inquit, *in maiori regia Templi*, (intellige domum Templariorum Pariſienſium) *vbi videlicet pendent clypei, quotquot poſſunt circumquaque in quatuor parietibus, ſecundùm conſuetudinem vltramarinã, inter quos apparuit clypeus Regis Richardi Angliæ.* Iactatur hodiéque gẽtilitium Arundeliorum Comitum ſcutum, quo velut cœlo libero gaudent argenteæ hirundines, in quas carmine luſit Guillelmus Brito, quo loco Guillelmum Comitem Arundelium perniciùs eâ alite, quam in ſcuto geſtabat in Gallum
lib. 3. Philipp. inuolantem depinxit.

Vt Comes erectâ Guillelmus comminus haſtâ
Vidit hirundelæ velocior alite, quæ dat
Hoc agnomen ei, fert cuius in ægide ſignum
Se rapit agminibus medijs.

Adeóque inſignia gentilitia deperiere Duces & Comites, vt in æterna pietatis argumenta ſacris ædibus à ſe
in Chron. Citizen. conſtructis inſcribere geſtierint. Paulus Langius de Eccleſia Nuenburgenſi: *Plures equidem*, inquit, *habuit fundatores, & hos quidem Comites, vt eſt in præſens cernere in Eccleſia eadem in imaginibus cęlatis Comitum, qui fundatores fuiſſe inſcriptione clypeorum demonſtrantur.* In funeri-

bus prælata gentilitia inſignia, & quidē deorſum verſa, vt in funere Ioannis Bohemi. Albertus Argentinenſis: *Anglus autem poſt receſſum inimicorum, videns Ioannem Regem Bohemiæ occiſum dolens ſuper eum dixit, &c.* Et mox. *Celebratiſque ſolenniſſimè exſequiis eius, ipſum in Lutzelburg cum duodecim dextrarijs habentibus arma Bohemiæ deorſum verſa tranſmiſit.* Sanè ſecus verſa proſcriptorum inſignia in ſignum turpiſſimi funeris. Froſſardus: *Le Duc de Lancaſtre ſe retira en Angleterre durant la furie de ces mutins, qui bruſlerent ſa maiſon de Londres ſur ce pretexte, & firent courir le bruit qu'il s'eſtoit tourné Eſcoſſois, dont on renuerſa les armes en aucuns lieux d'Angleterre, comme s'il fut eſté traiſtre.* vol. 2. c. 78. Natu majorum verò inſignia iampridem plena; juniorum fracta, vt loquuntur, & aliquo ſigno diſtincta. Froſſardus de Epiſcopo Norduuicenſi: *Et pour briſer ſes armes, car il eſtoit le puiſnay, il portoit vne bordure de gueulles.* vol. 2. c. 134. Eò tandem irrepſit animis gentilitiorum armorum ſtudium, vt Clemens VI. Romanus Pontifex, Gallicæ labis non expers, priuata familiæ inſignia, nouo exemplo, bullis Pontificijs addiderit. Albertus Argentinenſis: *Hic Papa cùm arma progeniei ſuæ haberent quinque Roſas, contra morem anteceſſorum totidem roſas poni fecit in Bulla.* in Chronic. Moribus & noſtris (ne hoc ſileā) Patronos & capitales dominos luget Eccleſia faſciæ, ſeu vittæ funebris ſchemate gentilitijs diſtincto ſtemmatis circumquaque cincta, lithrā vocitant vulgò, ſatìs recens inuētum, & vix alibi auditum, quàm in nonnullis conſuetudinibus. Vocis etymon à litura duxit MARESCALLUS, ſed ſpongiâ, lituràque verè digna notatio: vero propius lithræ matricem dixerim græcū λήθραν quod circulum & coronam ſignificat vnde & clericorum corona Conſtantino in Epiſtola ad

Conſuet. Turon. art. 60. Lodun. c. 5. art. 2.

apud Balſam. in Nomoc. Photij tit. 2. c. 7.

Synod. 6. in Trull. c. 21. Syluestrum, & Balsamoni παπαλήθρα dicitur, nam huiuſmodi vittæ, ſeu limbi genus Eccleſiam ambit Coronæ in ſpeciem.

Cap. IV.

Ius ſigilli authentici.

cap. 2. ex. de fid. inſtrum. SVBLIME imperij, & iuriſdictionis argumentum, ſigillum authenticum, quod principis, vel minoris poteſtatis imagine & nomine in orbem ducto inſignitur, ſed metalli genere varium pro dignitate perſonarum. Bullâ, ſeu ſigillo aureo vſi ſunt Imperatores, & Reges: de Imperatoribus

in Theophilo. Zonaras: ὁ δὲ Θεόφιλος καὶ ἐλυπεῖτο διὰ τὸν Μανουὴλ, καὶ ἐφρόντιζεν ὅπως αὐτὸν ἐκεῖθεν μετακαλέσηται· πίστεις οὖν αὐτῷ, καὶ δι᾽ ὅρκου καὶ δι᾽ ἐγγράφου χρυσοσημάντου μετά τινος μοναχοῦ στείλας ἐπανελθεῖν προετρέπετο: *Theophilus autem Manuëlis fugam ægrè ferens, de eo reuocando cogitabat: ſcribit igitur ad eum litteras, quibus iureiurando fidem ſuam ei obſtringebat, eáſque aureo ſigillo confirmatas per monachum quendam ad eum mittit, hortans vt redeat.* Cedrenus:

in Conſtantino Monomach. ἐδέξατο τὸν λόγον ὁ βασιλεὺς, καὶ χρυσοβουλλείοις γραφαῖς ἐπιβεβαιοῖ: *Hanc conditionem Imperator accepit, aureâque bullâ firmauit.* Nicetas:

in Manüel. Comn. lib. 1. V. l. ſacri affatus. C. de diuerſ. reſcrip. ὁ δὲ δὴ μέγας δομέστικος τῆς τῶν βασιλείων φυλακῆς ἐπιμεληθεὶς, καὶ τὸ τοῦ βασιλέως Μανουὴλ παρὰ τοῖς ἀστοῖς ἀναγορεύσεως γράμμα ἐρυθροσήμαντον σφραγῖδί τε χρυσείᾳ καὶ σηρικῷ νήματι ἔμπεδον κόγχης ἀναδεδευμένῳ αἵματι τῷ κλήρῳ τοῦ μεγάλου νεὼ ἐπιδίδωσι, &c. *Magnus domeſticus cuſtodiæ palatij intentus, atque id agens vt Manuël etiam à ciuibus Imperator ſalutaretur, litteras rubro, aureóque ſigillo, & ſerico*

ſerico filo munitas, & conchæ ſanguine pictas clero magni templi offert. Phranzes, *& Imperator manu ſuâ eo vidente tres* lib.3. c.4. *cruces cinnabari in fronte bullæ ad confirmationem pro conſuetudine exprimit, bullámque auream in manus legato tradit.* Tranſlato à Græcis ad Germanos imperio, etiam ſigillũ aureum cum alijs imperij inſignibus ab his vſu vindicatum. Leo Oſtienſis : *Hic primo ordinationis ſuæ anno* lib.2.Chron Caſſ. c.22. *præceptum confirmationis ab Othone III. Imperatore ſuſcepit aureo ſigillo bullatum.* Et alio loco : *Hic Conradus Impera-* id. lib. 2. c. 67. *tor apud Beneuentum, præceptum aureo ſigillo bullatum, iuxta priorum Auguſtorum morem de vniuerſis Monaſterij iuribus fecit.* In vtraque verò aula Logothetæ, ſeu Cancellarij, fuit aureas bullas componere. Curopalates : ὁ μέγας de offic. Conſtant. λογοθέτης διατάττει τὰ παρὰ τοῦ βασιλέως ἀποστελλόμενα προστάγματα καὶ χρυσόβουλα πρὸς τὲ ῥῆγας, σουλτάνους, καὶ τοπάρχους : *Magnus Logotheta diſponit mandata & bullas aureas, quæ ab Imperatore mittuntur ad Reges, Sultanos, & Toparchas.* Exin formula Friderici II. euectionis Ducatus Auſtriæ in Regni apicem, quæ tamen euentu caruit, aureo ſigillo obſignata legitur inter epiſtolas Petri de Vineis ipſius Cancellarij : *Ad cuius rei memoriam,* lib.6.ep.26. *& robur perpetuò valiturum præſens priuilegium fieri, & bullâ aureâ ſipario noſtræ majeſtatis impreſſa iuſſimus communiri.* Sigillũ aureũ ſibi arrogarũt & Reges. Robertus Mõtenſis: *Vuillelmus Rex Siciliæ fecit chartam fieri Ioannæ reginæ, ſuæ* in ſuppl. Sigebert. *vxori, de dotalitio ſuo, &c.* Et mox : *Ad huius autem donatio-* A.C. 1178. *nis & conceſſionis noſtræ memoriam, & inuiolabile firmamentum, præſens priuilegium per manus Alexandri notarij noſtri ſcribi, & bullâ aureâ tympano impreſſa roboratam, noſtro ſigillo iuſſimus decorari.* Rex Romanorum deſignatus aureâ bullâ non vtitur, ante imperatoriam inaugurationem.

Clem. Rom. in fin. de iure iur.

Clemens V. in Concilio Viennenſi de Henrico VII. Imperatore. *Hoc quoque iuramentum, & etiam priſtinum pro eo nobis per ſuos nuncios pręſtitum receptis ſuę coronationis inſignijs innouauit, prout in patentibus ante coronationem ipſam eius regio magno ſigillo, & alijs poſt coronationem eandem eius imperiali aureâ bullâ munitis inde confectis litteris pleniùs continetur* : Moribus noſtris etiam Duces & Comites ſigillum authenticum ſui iuris fecerunt, in quo armis inſtructi, equo militari inuecti, dextrâ ſtrictum gladium librantes, *αὐτεξουσίας* inſigne, ſiniſtrâ ſcutum gentilitium præferentes inſculpuntur, vt paſſim obſeruamus ex antiquis ſigillis noſtris. Porrò ſumma religio fuit ne ſigillo authentico vterentur priuſquàm militiæ ornamenta adepti eſſent, vt nos docuit Petrus Rouuerius Scriptor diligentiſſimus rerum Monaſterij Reomacenſis, ex tabulis Hugonis III. Burgundiæ Ducis, quibus vtriuſque nati, Odonis & Alexandri ſubſcriptiones leguntur; tamen alterius tantùm, nempe Odonis ſigillum appoſitum, quòd Alexander nondum miles erat, Odo iam erat, vt ipſæ tabulæ produnt; nec non ex diplomate Hugonis IV. filij huiuſce Odonis, cuius verba referre operæpretiū eſt. *Iuraui*, inquit, *dictis Diuionenſibus, quòd quando ad militiam promotus fuero, eis pręſentes litteras innouabo, & eo ſigillo quo miles vtar ſigillabo, & tradam ſigillatas.* Exin ſigillorum vſus inter illuſtres familiaris, è Gallia transfretauit in Angliam vnà cum victoribus Normannis. Ingulphus Abbas : *Ante Normannorum aduentum in Angliam chirographa firma erant cum Crucibus aureis, abſque ſignaculis; ſed Normanni cum cerea impreſſione per vniuſcuiuſque ſpeciale ſigillum ſub intitulatione* (ſic lege non inſtillatione) *trium, vel quatuor teſtium, conficere chirographa inſtituerunt.*

in Not. in hiſt. M. Reomaceuſ. cap. 165.

in Chron. Creyland.

Ruente etiam Græculorum & Germanorum imperio, purpurei ſigni, & ſigilli aurei faſtigium, ex beneficio vel vſu, ſuum fecere Duces & præfecti : rubentem ſacro encauſto ſubſcriptionem affectauit Theodorus Caſtamonita, ex priuilegio Iſaacij Angeli : προσῆν, inquit Nicetas, ὃ καὶ φάλαρα ὀξυβαφῆ αὐτῷ ἐνέδωκεν ἔχων καὶ ἐφεστρίδα τοιαύτην ἐν τῷ ἱππεύειν κεκτῆσθαι, καὶ διὰ βαφῆς ὁμοίας ὑποσημαίνεσθαι τοὺς τόμους τῶν δημοσίων λόγων, καὶ τὰ γράμματα : *Denique purpureas phaleras ei, & ſimile pallium in equitando, eundémque colorem in ſubſcribendis publicis libellis, & litteris conceſſit.* Et in Italia ſub Conrado donationem piam in Caſſinenſe cœnobium ſigillo aureo auctorauit Guaimarius, Dux Capuanus. *Eodem tempore*, inquit Leo Oſtienſis, *Guaimarius princeps præceptum fecit beato Benedicto cum aurea bulla, de omnibus Monaſterij pertinentijs.* Nec ſolùm laïcis, ſed etiam Romanis Pontificibus, Patriarchis, Epiſcopis, Abbatibus, & Collegijs Eccleſiarum tributum ius ſigilli authentici. Concilium Londinenſe, celebratum anno M. CC. XXXVII. præſide Othone Cardinali, legato ſedis Apoſtolicæ in Anglia, apud Matthæum Paris. *Quoniam Tabellionum vſus in regno Angliæ non habetur, propter quod magis ad ſigilla autentica credi eſt neceſſe, vt eorũ copia faciliùs habeatur, ſtatuimus vt ſigillum habeant non ſolùm Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ſed etiam eorum Officiales, item Abbates, Priores, Decani, Archidiaconi, & eorum Officiales, Decani rurales, nec non Eccleſiarum Cathedralium Capitula, & cetera quoque Collegia, & Conuentus cum ſuis Rectoribus, aut diuiſim iuxta eorum conſuetudinem vel ſtatutum ; pro varietate quoque cuiuſlibet prædictorum habeat vnuſquiſque ſigillum, nomen putà dignitatis, officij, Collegij, & etiam illorum*

in Iſaac. Angel. lib. 3.

lib. 2. Chrõ. Caſſin. c. 67.

proprium nomen qui dignitatis vel officij perpetui gaudent honore, inſculptum notis & characteribus manifeſtis, ſicque ſigillum authenticum habeant. Denique illi qui temporale officium ſuſceperint; putà Decani rurales, & Officiales ſigillum ſuum quod tantùm nomen habeat inſculptum, finito officio ei à quo habeant officium, continuè & ſinè mora reſignent. Hoc intereſt quòd Pontificia diplomata plumbeâ bullâ obſignantur, quo fortè Petri ſucceſſoribus auri & argenti contemptus commendetur: nimium ſalsè Stephanus
ep. 165. Tornacenſis; *Plumbo Anglico*, inquit, *teguntur Eccleſiæ, nudantur Romano.* Epiſcopos inſigni ſigillo vſos inſinuant formatæ paſſim litteræ. Ratbodus Treuirenſis
Iuo in decret. part.6. c. 433. de ſigillo Epiſcopi Conc. Later. ſub Alexād. III. part. 26. c. 20. Epiſcopus, in formata ſua apud Iuonem. *Hanc Epiſtolam Græcis litteris hinc inde munire decreuimus, & annulo Eccleſiæ noſtræ bullare cenſuimus.* Abbates quoque ſigillum imagine ſuâ inſculptum, vt & alia pontificalia inſignia affectaſſe, teſtes habemus maximos & ſanctiſſimos Abbates. Bernardus Clareuallenſis in Epiſtola ad Eu-
ep. 284. add. ep. 339. v. Petr. Damian. lib. 1. ep. 11. genium Papam: *Periclitati ſumus in falſis fratribus, & multæ litteræ falſatæ ſub falſato ſigillo noſtro in manus multorum exierunt, & quod magis vereor, etiam vſque ad vos dicitur falſitas peruolaſſe; hâc neceſſitate abiecto illo, nouello quod cernitis, de nouo vtimur continente imaginem noſtram, & nomen.* Anſelmus ex Abbate Beccenſi electus Cantuarienſis Archiepiſcopus, in Epiſtolis ad Giſlebertum Ebroïcenſem Epiſcopum, & Ioiffridum Epiſcopum Pariſien-
lib 3. ep. 10. & 12. ſem: *Sigillum*, inquit, *hæc Epiſtola non habet, quia & Abbas iam non ſum, & Archiepiſcopus nondum ſum, nec me delectat pingi, quod non ſum.* Exin per ſigilli traditionem Abbates inſtituti, etiam in Orientali Eccleſia. Curopalates: οἱ δ' ἀρχιμανδρῖται, καὶ πρωτοσύγγελοι, ἀλλὰ διὰ τῆς

καθηγούμενοι τῶν ἐντίμων μοναστηρίων μετὰ τὸ τὴν σφραγῖδα παρὰ τοῦ πατριάρχου λαβεῖν ἀπέρχονται, καὶ προσκυνοῦσι καὶ οὗτοι, καὶ λαμβάνουσι τὸ δικανίκιον ἀπὸ τῆς τοῦ βασιλέως χειρός. *Archimandritæ verò & protoſyngeli, adeóque præpoſiti honoratorum Monaſteriorum poſtquàm ſigillum à patriarcha acceperunt, abeuntes hi quoque ſalutant honorificè, & accipiunt ſceptrum de imperatoris manu.* Eoſdem etiam Abbates per fractionem ſigilli faceſſere iuſſos obſeruo Matthæus Vueſtmonaſterienſis : *Eo ipſo tempore per dictum legatum depoſitus eſt Radulphus de Arundel Abbas Vueſtmonaſt. per N. Abbatem de Vualtham miſſum ex parte legati apud Vueſtmonaſt. ad executionem depoſitionis faciendam in craſtino ſancti Vincentij, fracto ſigillo ipſius in Capitulo.* Poſt Epiſcopos, & Abbates, ſigillo gaudent Eccleſiarum Collegia, ſeu Capitula dumtaxat, ideóque expoſtulante Abbatiſſâ Iotrenſi vetat Honorius III. ne clerici Iotrenſis Eccleſiæ ſigillo vtantur, niſi appareat eos facere Capitulum.

A. C. 1214.

id. Matth. Paris.

cap. dilecta. ex. de exceſſ. prælat. cap. 48. de appell. Io. Sareſb. ep. 291.

Cap. V.

Elogia Ducum, & Comitum. Principes Dei gratiâ. Meſſyres. Dux & Comes. Conſules. Palatini Comites. Barones.

Ervm ſummam adepti Cæſares, repulſo regum & dominorum inuidioſo nomine, principum appellationem elegerunt, quo gratiam cum imperio conciliarent. *Auguſtus*, inquit Tacitus, *cuncta diſcordijs ciuilibus feſſa nomine principis ſub*

lib. 1. Annal.

imperium accepit. Inde principum nomen, ſummi faſtigij vocabulum Regibus noſtris, Regúmque liberis, & gentilibus celebre viſum : imò & temporum infelicitate effectum, vt Duces ipſi & Comites etſi regium genus minimè ſortiti, ſe principes Dei gratiâ inſcriberent. Eâ notatione Guillelmus Caput ſtupæ, Dux Aquitanus, Pontius Comes Toloſanus, Theobaldus Comes Carnotenſis, & alij principum nomine recenſentur, apud Ioannem Tillium ex veteribus tabulis. Et Goffridus Vindocinenſis in Epiſtola ad Guillelmum Aquitanorum Ducem, auum Eleonoræ, eius deceſſores non alio, quàm
lib.5.ep.20. principum nomine laudat : *Hanc ad præſens*, inquit, *remunerationem quæro, vt conſuetudines, ſeu exactiones quas terris noſtris præpoſiti veſtri violenter impreſſerunt, quas tamen terras religioſi principes prædeceſſores veſtri, & Monaſterij noſtri fundatores abſque conſuetudine, vel qualibet exactione do-*
Iun. 6. to.3. *nauerunt, Deo, & loco noſtro relinquatis.* Et in vita Nortberti apud Surium, Theobaldus Comes Campaniæ nobiliſſimus princeps Franciæ iactatur : *Exemplo eius*, inquit, *commotus & compunctus quidam nobiliſſimus princeps Franciæ, Comes Theobaldus, hominem Dei adijt.* Nec noſtrorum tantùm adulationis obſequium id fuit, etiam Romani Pontifices majoribus Comitibus principum nomen non inuidêre. Gregorius VII. in Epiſtola ad
lib.9. ep.21. Gaufredum Comitem Andegauenſem : *Munera tua*, inquit, *ideò recipienda non eſſe arbitrati ſumus, quia diuinis oculis oblatio tua non acceptabilis eſſe probatur, quamdiu à peccato iſto immunem te non reddideris, ad gratiam omnipotentis Dei, ſicut Catholicum principem decet, non redieris.* Rapto principum titulo illicò Duces & Comites ſe Dei gratiâ ſcripſerunt, tamquam ἀμέσους Dei beneficiarios, re-

gum injuriâ, & nouo ſcelere malè Deum colentes. Hâc inſcriptionis ratione paſſim vſi Duces & Comites, vt in Epiſtola Hugonis Burgundiæ Ducis ad Guillelmũ Ducem Aquitanorum, apud Bernardum: *Guillelmo Dei* ep. 127. & 128.
gratiâ, egregio Comiti Pictauorum, & Duci Aquitanorum, Hugo eadem gratiâ Burgundiæ Dux. Et in formula ſacramenti Bertranni Comitis Prouinciæ apud Gregorium VII. quod refertur à Baronio: *Ego Bertrannus, Dei gra-* 10. tom. annal. 1087. num. 33.
tiâ Comes Prouinciæ, &c. Et in veteri charta Raimundi Comitis Toloſani, anni M. CC. XVII. *Ego Raimundus Dei gratiâ Dux Narbonæ, Comes Toloſæ, Marchio Prouinciæ, filius quondam Conſtantiæ de Regali progenie ortæ.* Eo nomine Ioannes Armeniacenſis Comes, perduellionis reus poſtulatus apud Carolum VII. quòd ſe Dei gratiâ inſcriberet. Nec alieno græculi faſtus ſpiritu, Conſtantinopolitani Patriarchę Romanæ ſedis principatum medium inter Deum & ſe exhorrentes, abſciſsè ſe Dei gratiâ præſcribere non dubitarunt, vt Tryphon P. apud Zonaram & Cedrenum. *τρύφων ἐλέῳ θεοῦ ἀρχιεπίσ-* in Romano Lacapeno.
κοπος κωνσταντινουπόλεως νέας ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης: *Tryphon Dei miſericordiâ Archiepiſcopus Conſtantinopoleos, nouæ Romæ, & œcumenicus Patriarcha.* In hoc decliui rerum ſtatu, dominorum etiam appellationem propriam fere in hunc diem fecerunt Duces, & Comites, & à Græco, *κύριος*, Gallicum Sirij ſuis apicibus accerſiuerunt; vnde Siriaticus turgor Baldrico Nouiomenſi: *Cùm tamen eius feritatem ſiriatico turgore in-* lib. 2. c. 94.
flatam nullo modo premere potuerit. Alio longè de fonte Negotiatores in Gallia, Syrios, hodiéque dictos crediderim, à Syris (quod genus hominum Galliam & Italiam olim commercij causâ maximè frequentauit) & vt

lib. 4. de prouident. ὁμοτέχνες nomen deduxit. Saluianus : *Conſideremus ſolas negotiatorum, & Syricorum omnium turbas, quæ maiorem ferme ciuitatum vniuerſarum partem occuparunt.* Quò lib. 1. ep. 8. & ibi Sauar & Sirmund. alludens Sidonius, de turbato rerum Rauennæ ordine: *fænerantur clerici*, inquit, *Syri pſallunt.* Dignitatis augendæ gratiâ Ducum & Comitum ſæpiùs coaluit nomen, & coniunctim vſurpatum, vt idem eiuſdem prouinciæ, ſeu territorij nomine, Comes Dux diceretur, quod Hiſpanico ſupercilio primùm acceptum fero, Concilio Toletano VIII. & IX. ſubſcripſere illuſtres Palatini, ijdem Comites, & Duces cumulatim dicti, vt Ella Comes, & Dux, aliíque. Audita & olim in Gallia huiuſmodi titulorum adunatio, vt in Epiſtola Anſelmi Cantuarienſis, *Domino Guiberto Comiti, & Mar-* Lib. 3. ep. 65. *chioni.* Laborauit quoque hæcce ætas in ornandis viris illuſtribus, & hanc dignitatis iuuandæ rationem poſtliminio recepit; Hiſpanis Oliuarium Comitem Ducem prædicari audio. Nec dum ambitioni ſuæ factum ſatìs proceres rati, ſe conſules tulerunt; & ditiones ſuas conſulatus, vt ſummos vtriuſque, imperij, Romani & Gallici honores in ſe coniunxiſſe viderentur. Conſulis nomen meruit cum patre Guillelmus I. Dux Aquitanorum, & poſteà Monachus ſanctiſſimus : Orderi- lib. 6. hiſt. cus ex eius vita : *Tempore Pipini Regis Francorum Guillelmus, ex patre Theoderico Conſule, & Matre Aldana natus eſt, in infantia litteris imbutus eſt, & ſub Carolo Magno militiæ mãcipatus eſt, nomen Conſulis, & Conſulatũ, & in rebus bellicis primæ cohortis ſortitur principatum.* Fulconẽ bonum, Comitem Andegauenſem, Conſulem ſalutat Odo Abbas Clu- Biblioth. Clun. p. 115. niacenſis II. in Bibliotheca Cluniacenſi : *Fulconi bono, glorioſiſſimo Conſuli Andegauorum, frater Odo humilis Abbas*

Cluniacenſis

Cluniacenſis ſalutem. Orderico, Theobaldus Comes Campaniæ Palatini conſulis titulo decoratur : Gaufredus Comes Andegauenſis ſæpiùs Conſul appellitatur à Ioanne Monacho eius vitæ Scriptore, & Odo Comes Campaniæ à Matthæo Vueſtmonaſterienſi. Denique Conſulum nomẽ hoc æuo, Ducum & Comitum genus complexum, vt liquet ex infinitis locis Scriptorum. Inter prouinciales Comites Galliæ, Palatini titulum aſſeruit Campaniæ Comes : primus hoc titulo auctus eſt Theobaldus Odonis filius, hâc fortè occaſione : quòd ad Henricum III. Imperatorem profectus, eius miles effectus eſt, teſte Hermanno Contracto. Hoc exemplo paſſim & alij Comites prouinciales Palatinorum titulum affectarunt. Baldricus Dolenſis : *Nec tantummodò populares citra montanos homines is rumor exciuit, ſed Palatinos conſules, & regios tyrannos cieuit.* Et Guibertus Abbas : *Iam palatinorum Comitum pruriebat intentio, & mediocritas equeſtrium virorum parturire tum cœperat.* Nam iuris ratione alij ſunt Comites prouinciales à palatinis, & hoc rectè intellexit Ioannes Sareſberienſis : *Nam ſicut alij præſules in partem ſolicitudinis à ſummo Pontifice euocantur, vt ſpiritualem exerceant gladium ; ſic à principe in enſis materialis communionem Comites quidam, quaſi mundani iuris præſules aſciſcuntur : & quidem qui hoc officij gerunt in palatio, iuris auctoritate palatini ſunt ; qui in prouincijs, prouinciales.* His addo Duces & Comites latè Baronum nomine gloriatos. Fredegarius: *Burgundiæ Barones, tam Epiſcopi, quam cæteri leudes.* Et alio loco : *Anno XXXIV. regni Chlotarij Vuarnacharium Majorem domus cum vniuerſis Pontificibus Burgundiæ, & Baronibus in Benegillum villam ad ſe venire præcepit.* Hinc Borbonium Dynaſtam Baronem

lib. 5. A.C. 1081.

in Chron. A.C. 1054.

lib. 1. hiſt. Hieroſolym. p. 89.

lib. 2. hiſt. Hier. c. 6.

ep. 265.

in Chron. c. 41. & 44. V. Capitul. Carol. Calu c. 15. Hincmar. ep. 1. c. 6.

in vit. Lud. Craſſi. dixit Sugerius : *Domino Regi humillimè ſupplicat, quatenus nobilem Baronem Hannonem nomine, Variam vaccam cognomine, Burbonenſem Dñm iuſtitiam recuſantem Imperialiter* (in ius) *traxerit.* Sed & illuſtres ſacri ordinis viros, Anſelmum Cantuarienſem, Guillelmum Rhotomagenſem, & alios eodem fore tempore fato functos, lib. 11. hiſt. A.C. 1109. Baronum cum elogio luget Ordericus : *Pro tantorum itaque tranſitu Baronum, videtur ipſe mundus lugere.* Baronem & poſterior ætas dixit D. Iacobum, Hiſpanorum tutelam. Ioannes Froſſardus : *Or eurent-ils affection d'aller en pelerinage au Baron ſainct Iacques.* vol.3.ch.30. 33. Et alio loco : *Et fit ſes vœux deuant le benoiſt corps ſainct, & Baron ſainct Iacques.* Sed propriè Barones habuêre primores Vaſſos, qui immediatè Regem Dominum agnoſcerent, vt in præcepto Henrici I. Regis Anglorum, apud Matthæum Paris : *Si quis Baronum meorum, Comitum, vel aliorum, qui de me tenent, mortuus fuerit.* Et in tabulis Anglicarum conſuetudinum apud eundem : *Archiepiſcopi, Epiſcopi, & vniuerſæ perſonæ regni, qui de Rege tenent in capite, habeant poſſeſſiones ſuas de Rege, ſicut Baroniam.*

CAP. VI.
Epiſcopi, & Comites.

IAm à melioribus Eccleſiæ ſeculis, Regalibus oculos adiecere Pontifices, etiam ſanctitate ſpectati. Ciuilem principatum Alexandriæ inſtituit Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, & ab eo Alexandrini præſules de imperio vrbis & Aegypti cum præfectis decertarunt. καὶ γὰρ ἐξ ἐκείνου, inquit

Socrates, ἡ ἐπισκοπὴ ἀλεξανδρείας παρὰ τῆς ἱερατικῆς τάξεως, καταδυναστεύειν τῶν πραγμάτων ἔλαβε τὴν ἀρχὴν: *Etenim ex illo tempore Alexandrinus Epiſcopus præter ſacri cleri dominatum, rerum prætereà ſecularium principatum acquiſiuit.* In Gallia, laborante Romano imperio, & Gothorum ſubſeſſione acciſo, res publicas curarunt Epiſcopi, & præfectorum vices geſſerunt. Iniquis conditionibus, Aruernorum injuriâ ſancita per eos fœdera deplorat Sidonius, in Epiſtola ad Baſilium *Tu ſacratiſſimorum Pontificum Leontij, Fauſti, Græci, vrbe, ordine, caritate medius inueniris: per vos mala fœderum currunt, per vos regni vtriuſque pacta, conditionéſque portantur, &c.* Succedentibus Francis, præfecturas, Comitatus, & alia Regalium inſignia paſſim accepere Epiſcopi, & Abbates, maximè Caroli Magni, & poſthumorum principum munere, quod in reipublicæ commodum, nempe laïcorum poteſtatis librandæ causâ proniùs, quàm pietatis conſilio factum interpretatur Vuillelmus Malmesburienſis: *Imperator* (Henricus V.) inquit, *omnes Epiſcopos, & Abbates regni ſui, quod citra montes eſt fautores habebat, quia Carolus magnus pro contundenda gentium illarum ferocia, omnes penè terras Eccleſijs contulerat, conſilioſiſſimè perpendens nolle ſacri ordinis homines tam facilè quàm laïcos fidelitatem Domini reijcere; prætereà ſi laïci rebellarent illos poſſet excommunicationis auctoritate & potentiæ ſeueritate compeſcere.* Exin Epiſcopus Rhemenſis Comitatu Rhemēſi, & monetæ procudendæ iure auctus à Ludouico Tranſmarino. Flodoardus: *Poſt hæc,* inquit, *Rex Ludouicus dedit Artoldo Epiſcopo, ac per eum Eccleſiæ Rhemenſi per præceptionis Regiæ paginam, Rhemēſis vrbis monetam iure perpetuo poſſidendam; ſed & omnem Comitatum*

lib. 7. hiſt. c. 7. Nicephor. Call. lib. 14. c. 14.

lib. 7. ep. 6.

lib. 5. de geſt. Reg. Angl.

lib. 4. hiſt. Rhem. c. 27.

Remenſem eidem contulit Eccleſiæ. Comitatum Beluacenſem Rogero Epiſcopo Beluacenſi tranſcripſit Odo Comes Campaniæ, ex permutatione cum Sancerrio in Biturigibus. Sigebertus : *Hoc tempore in Gallia Beluacenſi vrbe, inclytus Rogerus deceſſit Epiſcopus, qui inter alia beneficia dedit Eccleſiæ ſancti Petri, cui præſidebat, Attiacum in Normannia, & Montiacum in Vermandenſi patria, Comitatum quoque eiuſdem vrbis ab Oddone Campanienſi Comite impetrauit, dato ei pro commercio caſtro Syncerrio in Bituricenſi territorio ſito, quod ſibi patrimonij iure competebat.* Comitatu Lugdunenſi ceſſit Guido Comes in Guichardum Archiepiſcopum, & Eccleſiam Lugdunenſem, & ab eo tempore Archiepiſcopi, & Canonici Lugdunenſes indiuiduo iure gloriantur titulis Comitum Lugdunenſium : teſtes ſunt Paradinus, & Seuertius. Dudum & Epiſcopus Lemouicenſis Comes eiuſdem ciuitatis jactatur. Robertus Montenſis : *Epiſcopus Lemouicen. qui erat Comes eiuſdem ciuitatis, cùm per decennium vixiſſet in cæcitate, mortuus eſt.* In eodem Comitum ſtemmate celebrantur Epiſcopus Cadurcenſis, Baro, & Comes Cadurcorum : Epiſcopus Mimatenſis, Comes Gabalorum, & alij infiniti Galliæ præſules quos percenſere otioſum eſſet. Quid in Germania? nónne Epiſcopi, & Abbates ferè omnes Comitum, & principum imperij titulos præferunt? de his Cæſarius Heiſterbachcenſis, *Vix credere poſſum quod vmquam aliquis Epiſcopus Alemaniæ poſſit ſaluari, quia penè omnes Epiſcopi Alemaniæ vtrumque habent gladium, ſpirituale videlicet & materialem; & quia de ſanguine iudicant & bella exercent, magis eos ſolicitos eſſe oportet de ſtipendijs militum, quàm de ſalute animarum ſibi commiſſarum.* In Anglia occurrit Dunelmenſis Epiſ-

A. C. 1024. & 1025.

A. C. 1177.

lib. 2. mirac. c. 28.

copus, qui iam à tempore Guillelmi Normanni Northumbriæ Comes non ſinè pretio factus eſt. Matthæus Paris : *Eodem quoque tempore Vualterus Dunelmenſis antiſtes contra dignitatem Pontificalem curis ſe immiſcens ſecularibus à Vuillelmo emit Nothanhumbriæ Comitatum, & Vice-Comitis agens vices, laïcali ſe foro immiſcuit* : Ex quo Dunelmenſes Epiſcopi Comites palatini dicti, & hoc iure ſigillo inſculpſere militem cataphractum, phalerato equo inuectum, dextrâ gladium iactantem, alterâ inſignia epiſcopatus præferentem, iuráque ſua regalia habuerunt; adeò vt proſcriptorum bona illis, non regi cederent, vt refert Guillelmus Camdenus. Hac de re Hugonem Dunelmenſem epiſcopum, Comitem Northumbriæ ingenti pretio à ſe inueſtitum riſit Richardus I. Rex Anglorum, & hoc ſale aſperſit : *Magnus ego nimirum artifex, veteranum enim Epiſcopum,* inquit, *feci nouitium Comitem*, vt narrat Polydorus Vergilius. Odonem fratrem Baiocenſem Epiſcopum, Cantiæ Comitem, & Angliæ proregem, inſtituit idem Vuillelmus : & aliquando eo in carcerem conjecto, cùm is de priuilegio fori exciperet, lepidè reſpondit; ſe non Baiocenſem Epiſcopum, ſed Comitem Cantiæ cuſtodiâ tenere, vt narrat Ordericus Vitalis, & Vuillelmus Malmesburienſis. Nec ſolum epiſcopi & Abbates Comitum dignitati inhiarunt, ſed & Canonici matricum Eccleſiarum, vt Canonici Lugdunenſes, qui æquo cum Archiepiſcopis iure, Comites Lugdunenſes dicuntur, vt prælibauimus : Et Canonici Briuatenſes in Aruernis, qui etiam Comitum nomine inſigniuntur. Denique non à regibus modò, ſed etiam à Romano Pontifice creati Comites apoſtolici, vt loquuntur, quorum ius fuit ſpurios

A. C. 1075.

in Britãnia.

lib. 14. hiſt. Angl. V. Gui. Neuburg. lib. 4. c. 5. & lib. 5. c. 2.

Orderic. lib. 7. hiſt. Eccleſ. Malmesb. lib. 3. de geſt. reg. Anglor.

legitimare, & notarios inſtituere. Huius generis Comitem ab Innocentio IV. factum Reginaldum Mohun Anglum traditâ roſâ aureâ rectè obſeruat Camdenus, ſuprà à me laudatus. Sed id genus Comitum faceſſere iuſſit Gallia regiæ Majeſtatis amantiſſima, vt liquet ex Benedicto, Boërio, & alijs forenſibus.

In Britann.

Bened. in c. Rayn. in ver. & vxor. n. 199. Boer. deciſ. 123. ſtyl. parl. Arr. 241. 4. parl.

Cap. VII.

Jus gladij.

IVs gladij geſtandi inſigne imperij & ſummæ poteſtatis: ferro vbique accingebantur Imperatores: vnde gladij depoſitio Vitellio mœſtiſſimum ſignum fuit amiſſionis imperij. Tacitus. *Aſſiſtenti Conſuli (Cæcilius Simplex erat) exſolutū à latere pugionem, velut ius necis, vitæque ciuium reddebat.* Imperatoris gladium præferebat vnus Præfectus prætorio: de Tigillino Neronis præfecto, Philoſtratus: τιγελλῖνος γὰρ ἐφ' ᾧ τὸ ξίφος ἦν τοῦ νέρωνος ἀπήλαυνεν αὐτὸν τῆς ῥώμης: *Tigillinus enim cuius in manibus Neronis gladius erat Romá illum expulit.* Suram præfectum gladio cinxit Traianus his celeberrimis verbis apud Xiphilinum: λάβε τοῦτο τὸ ξίφος ἵνα ἂν μὲν καλῶς ἄρχω, ὑπὲρ ἐμοῦ, ἂν δὲ κακῶς κατ' ἐμοῦ αὐτῷ χρήσῃ: *Accipe gladium quo pro me ſi rectè imperaro, ſin ſecus in me vtaris.* Gladium geſtabat vnus Plautianus prefectus prętorio ſub imperio Seueri. Herodianus: παρῃώρητό τε αὐτῷ ξίφος καὶ παντὸς ἀξιώματος σχῆμα ἔφερε μόνος. *Enſem præterea ſuſpenſum geſtabat, ceteráque omnia ſuprema dignitatis inſignia.* Marci Antonini enſiferum, præfectum ſcilicet prætorio Baſſum memorat Philoſtratus: βασσοῦ δὲ τοῦ πεπιστευμένου

Tacit. 3. hiſt. Suet. in Vitell. c. 15.

lib. 4. de vit. Apollon.

In Traiano. Plin. in paneg. Traian.

lib. 3.

lib. 2. de vit. Sophiſtar.

τὸ ξίφ☉ θάνατον αὐτῷ φήσαντ☉ ὁ Ηρώδης ὦ λῷςε ἔφη γέρων ὀλίγα φοβεῖται. *Ibi cùm Baſſeas cui commiſſus erat enſis regius mortem ipſi interminatus eſſet, Herodes optimè inquit, ſenex rarò formidat.* Auguſtus diuiſis cum ſenatu, populóque prouincijs, præſidibus ius gladij in prouincijs geſtandi,& ius gladio necandi conceſſit; proconſulibus non item, Dio: τὴν τε ϛρατιωτικὴν ϛολὴν φοροῦντας, καὶ ξίφ☉, οἷς γε καὶ ϛρατιώτας δικαιῶσαι ἔξεστιν ἔχοντας. ἄλλῳ γὰρ οὐδενὶ οὔτε ἀνθυπάτῳ, οὔτε ἀντιϛρατήγῳ, οὔτε ἐπιτρόπῳ ξιφηφορεῖν δέδοται ᾧ μὴ δὲ ϛρατιώτην τινὰ ἀποκτεῖναι ἐξεῖναι νενόμισαι. *Statuit vt militarem habitum geſtarent, & gladium, & ius capite plectendi milites haberent; neque enim vlli Proconſuli, aut prætori, aut procuratori licebat gladio ſe accingere, quo ius gladij in milites adimebatur.* Inde gladio & cingulo cinctos præſides agnoſcit Nazianzenus non vno loco, & gladium incruentum his eſſe vult, vt in oratione ad præfectum iraſcentem: χειϛῷ συναρχεῖς, χειϛῷ δὲ συνδιοικεῖς παρ' ἐκείνου σοὶ τὸ ξίφ☉, οὐκ εἰς ἔργον ἀλλ' εἰς ἀπειλὴν ὁ καθαρὸν ἀνάθημα τῷ δεδωκότι φυλάττοιτο. *Cum Chriſto imperas, cum Chriſto adminiſtras, ab illo gladium accepiſti, non ad opus, ſed ad minas, purum anathema danti cuſtodias.* Et idem in Epiſtola ad Africanum: ἄρχων βοηθὸς ἀρετῆς καὶ ἀνταγωνιστὴς κακίας, κἂν τὴν ἀναίμακτον ἄρχῃ ἀρχὴν καθάπερ ἡμεῖς, κἂν τὴν μετὰ ξίφους καὶ τελαμῶν☉: *Præſes virtutis adiutor, & vitij aduerſarius ſiue incruentum imperium gerat vt nos, ſiue cum gladio, & cingulo.* Gladio cincti etiam tribuni militum: his παραζώνιον, id eſt cingulum cum enſe tribuit Martialis.

lib. 53. | Orat. 17. id. ep. 194. | Paul. ad Rom. ep. 13. | ep. 46. | in apophoret.

Militiæ decus hoc & grati nomen honoris
Arma tribunitium cingere digna latus.

Gladio cincti Imperatori apparebant Tribuni militum;

de Chærea Tribuno militum percuſſore Caligulæ lib. 19. antiq. Iud. c. 1. teſtis Ioſephus. εἰωθέ τε ἐπὶ τοῦ παλατίου τὸ ξίφος ὑπεζωσμένος ὑπατικόν, ἔθος γὰρ τοῖς χιλιάρχοις τοῦτ' ἐζωσμένοις αἰτεῖν παρὰ τοῦ αὐτοκράτορος τὸ σημεῖον. *Móxque palatium armatus gladio petijt, quòd ità mos ſit accinctos tribunos ſignum ab Imperatore petere.* Hinc tribunos extra ordinem in Hiſpaniam miſſos cum iure gladij, in de vit. B. Martin. dialog. 3. Priſcillianiſtas inquirendi cauſâ ſcribit Seuerus. *Et iam pridie*, inquit, *Imperator ex eorum ſentẽtia decreuerat tribunos ſummâ poteſtate armatos mittere, qui hæreticos inquirerent, deprehenſis vitam & bona adimerent.* Priuatis in vrbe ferri geſtatione interdictum, vt tumultus in turba inermi Plin. lib. 14. cap. 14. Dio. lib. 42. & 44. compeſcerentur, vt liquet ex Plinio & Dione. Galli inter ferrum & arma nati, promiſcuè gladijs cincti leguntur, etiam in concilio: lib. 21. Liuius. *In his noua terribiliſque ſpecies viſa eſt, quòd armati (ita mos gentis erat) in concilium venerunt.* li. 5. de bell. Gall. c. vlt. Cæſar: *Armatum concilium indicit, hoc more Gallorum eſt initium belli, quò lege communi omnes puberes armati conuenire coguntur.* Imò & inter epulas Galli ferro non abſtinuere, hinc cruenta Gallorum conuiuia narrat Athenæus ex Poſſidonio. lib. 4. Deipnoſoph. cap. 13. κελτοὶ ἔνιοτε παρὰ τὸ δεῖπνον μονομαχοῦσι. *Celtæ nonnumquam ſuper cœnam ſingulari certamine digladiantur.* Gladij procinctu Duces, Comites, viroſque nobiles etiam poſterior ætas à plebe diſtinxit in Ligur. li. 3. Gallia. Gunterus de Friderico.

Vtque ſuis omnem depellere finibus hoſtem
Poſſit, & armorum patriam virtute tueri,
Quoſlibet ex humili vulgo, quod Gallia fœdum
Iudicat, accingi gladio concedit equeſtri.

Quo ex loco intelligimus de nobilibus tantùm accipiendum Canonem XVII. Concilij Moguntini I. *Laicis*

verò

verò qui apud nos ſunt arma portare non præiudicemus, quia antiquus mos eſt, & ad nos vſque peruenit. Non priùs verò Tyrones, id eſt iuniores milites, gladio accingebantur, quàm ſolennibus & conceptis precibus inaugurato, quas prodidit Ordo Roman' ex ritu Eccleſiæ Gallicanæ hauſtas, nî fallor, vt & alia pleraque: nec alio de fonte petijſſe videntur Angli Gallorum ſectatores. Ingulphus: *Anglorum erat conſuetudo, quòd qui militiæ legitimè conſecrandus eſſet, veſpere præcedente diem ſuæ conſecrationis ad Epiſcopum, vel Abbatem, vel Monachum, vel ſacerdotem aliquem contritus & compunctus de omnibus ſuis peccatis confeſſionem faceret, & abſolutus, orationibus, & deuotionibus, & afflictionibus deditus in Eccleſia pernoctaret; in craſtino quoque Miſſam auditurus gladium ſuper altare offerret, & poſt Euangelium ſacerdos benedictum gladium collo militis cum benedictione imponeret, & communicatus ad eandem Miſſam ſacris Chriſti myſterijs denuò miles legitimus permaneret.* Et Petrus Bleſenſis: *Sed & hodie Tyrones enſes ſuos recipiunt de altari, vt profiteantur ſe filios Eccleſiæ, atque ad honorem ſacerdotij, ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum, & patriæ liberationem gladium accepiſſe.* Hoc reuerẽtiæ verò tulit Eccleſia, vt Duces etiã & Comites, omnéſque à rege gladium ponerẽt à limine Eccleſiæ. Concilium Salegunſtadienſe: *Decretum eſt etiam in eodem concilio, vt nemo gladium in Eccleſiam portet, regali tantùm excepto.* Imò & milites penitentes armis omnino diſcingebantur, vt liquet ex varijs canonibus apud Gratianum, Capitulis Caroli M. & Epiſtola Iuonis Carnotenſis: ob id penitentiæ causâ Epiſcoporum iudicio armis diſcinctus Ludouicus P. ex Adreualdo, Thegano, & alijs Scriptoribus. Deterioris æui labes hæc eſt, quòd plebeij nobilitatis inſigne gladiũ ſibi aſſuerũt.

in Chron. Croyland.

ep. 94.

cap. 8. tom. 3. conc. p. 28

Can. de his verò 26. qu. 7. c. quicũque. c. admonere. 33. q. 2. c. contrarium. de pen. d. 5. Capit. Car. M. li. 6. c. 90. Iuo. ep. 135.

de Caſib. M.S. Galli. c. 7. Burchardus: *In hac peſtilentia fideles huius Eccleſiæ inter ſe poſſeſſiones noſtras diuidebant, miniſteriales optimos manſus curiarum noſtrarũ eligebant, cellerarij Eccleſiæ iura villicationis, in modum beneficiorum habere contendebant, & contra conſuetudinem quidam ex ipſis more nobilium gladium cingebant.* de Caſib. eiuſd. M. c. 4. Et priùs Ekkeardus Iunior: *Nunc villici*, inquit, *majores locorum ſcuta & arma polita geſtare inceperant, tubas alio quàm cæteri villani clanctu inflare didicerant, &c.*

CAP. VIII.

Jus majorum Officialium.

A Cvnabvlis Imperij Francici, majores Officiales habuere non Reges tantùm, ſed & Reginæ, vt obſeruatur ex varijs Gregorij lib. 8. hiſt. Fr. cap. 32. lib. 9. c. 31. lib. 7. c. 27. lib. 5. c. 42. Turonenſis locis. Labente alterius Dynaſtiæ principatu, Regalibus inhiare Duces & Comites, & auguſtalium Officialium numero gloriari, vt Comitis ſtabuli, Cãcellarij, Majoris Seneſcalli, Scutigeri, Dapiferi, Apocriſiarij, ſeu Archicapellani. Comiti Campanienſi aderant majores Officiales maxima ex parte hereditarij: apud Comitẽ Pictauenſẽ Camerarij maximi vices fungebatur Comes Alnenſis, & Comitis ſigillũ tenebat. Britanniæ Ducis Camerariũ agebat Dñs caſtri Gyronij anno M.CCCVII. Bituricenſis & Protocamerarius fuit Ioannes de Nantolio, vt docet Ioannes Tillius Scriptor peritiſſimus rerum Gallicarum. Dapiferum habuit Dux Normannorum: hoc munere functus apud Guillelmum ſpurium Guillelmus filius Osberni. Ordericus Vitalis: lib. 4. hiſt. 1070. *Vuillelmo Dapifero Normanniæ Osberni filio inſulam Vectam, & Comitatum Herfordenſem dedit.* Celebratur apud Ro-

bertum Montenſem, *Robertus de Nouoburgo Dapifer & juſtitia totius Normanniæ.* Legitur & Iuonis Epiſtola *Eudoni Dapifero Normanniæ.* Maiores officiales & hereditarios affectauit Richildis Comitiſſa Hannoniæ, coniux Balduini cognomine Boni, Comitis Flandriæ: Aegidius Aureæ Vallis: *Hæc etiam Comitiſſa in curia ſua cum Balduino filio ſuo officia hereditaria inſtituit, Dapiferorum ſcilicet & pincernarum, Panetariorũ, & coquorũ, Camerariorũ, & Oſtiariorũ.* Nec Ciuiles tantũ, ſed etiã ſacros officiales, vt Archicapellanũ, & cœtum clericorũ regium in morem ſuo comitatui adhibuere Duces & Comites. Notantur in Concilio Aurelianenſi IV. Cabillonenſi I. clerici obſeruantes potentiorum, quòd Epiſcopum Diœceſanum & Archidiaconum non audirent. Celebratur Herluinus Cancellarius Hugonis magni Ducis Francorum & princeps capellæ Ducis. Ordericus: *Herluinus,* inquit, *Cancellarius Abbas erat ſancti Petri de Puncto, ibique venerabiles reliquias Hugonis magni collocauit imperio; & mox Herluinus quidem quia ſacerdos erat & Abbas canonicorum ſancti Petri & capellæ Ducis Capellanorum maximus, caput & majorem partem oſſium ſancti Ebrulfi ſibi retinuit.* Bertulſum Archicapellanum & Cancellarium Comitis Flandrenſis memorat Gualterus Taruanenſis: *Erat illis temporibus Præpoſitus quidam Brugenſis Bertulſus nomine, Archicapellanus, & Cancellarius totius Flãdrenſis Curiæ.* Capellam Palatinam Diuione inſtituit Hugo III. Dux Burgũdiæ an. M.C.LXXII. ex fide præcepti fundationis editi ab Auberto Miræo, de qua meminit quædam decretalis Epiſtola Innocentij III. Suam & Capellam habuere Dynaſtæ Bituricenſes, quam ſanctã nũcupauit Pragmatica. Aulicos quoque officiales ſibi adſtruxere Epiſcopi,

in ſuppl. Sigeber. 1160. ep. 27.

in geſt. Leod Pontif. c. 3.

Aur. IV. c. 7. & 16. Cabil. I. c. 14.

lib. 6. hiſt. p. 612.

in vit. S. Carol. Comit. Flandr.

cap. cũ Capella. ex. de priuileg.

pragm. in proœm. §. in qua quidẽ

Baldric. li. 2 hiſt. Hieroſ. mit. Orderic. lib. 9. hiſt. 1097.

& Abbates, exemplis æui corrupti: laudatiſſimus inter ſacræ expeditionis heroës Baldrico Dolēſi, Orderico, & alijs, *Alanus dapifer ſacræ Eccleſiæ Dolenſis Archiepiſcopi.* Majores officiales Camerariū, Mareſcallum, pincernam, & alios id genus iam olim iactitauit Abbas ſancti Dionyſij. Mareſcallum in obſequijs habuit Præpoſitus de Parays Matiſconēſis Diœceſis qui ei præſtò eſſe tenebatur pro rebus Eccleſiæ excurrenti, auctore Ioanne Tillio. Baiulum ſuum itineris comitem, & martyrij teſtem habuit Abbo Abbas Floriacēſis: *Tandem,* inquit Aymoïnus, *talibus impulſus allegationibus impendente iam vltimo vocationis ſuæ die, ſecūdò iter arripuit: hos ex Monachis itineris comites aſſumens ſupranominatum Remigium, méque qui hæc ſcribo Aymoïnum, cum Guillelmo ſuæ venerantiæ, iuxta Abbatum morem, tum Baiulo.* Abbati Prumienſi in Germania non defuit ſuus pincerna, & dapifer. Cæſarius Heiſterbachcenſis: *Miles quidam Henricus nomine, de Caſtro Falkinſtein oriundus, pincerna fuit Cæſarij Monachi noſtri, tunc Abbatis Prumiæ.* Et alio loco.: *Duo iuuenes ſeculares nondum milites, ex quibus vnus erat Dapifer Abbatis Prumiæ.*

de vit. S. Abbon. c. 17.

lib. 5. de miracul. c. 2.

eod. lib. cap. 30.

CAP. IX.

Pares Galliæ. Pares Curiæ, ſiue curtis.

cap. 1. in pr. & §. ſi. quis. ſi de inueſt. inter dom. & vaſſ. lis or. cap. 1. §. ſi enim. quid ſit inueſt. cap. 1. quid ſit inueſt. cap. imperialem. §. præterea. de

PARES curię, ſiue curtis dicuntur in libris Feudorum conuaſſalli, qui ab eodem Domino feuda tenent, quaſi pares dignitate, & ἰσοτιμοὶ inter ſe: præcipua horum gemina inſignia; primum quòd inueſtitura feudi non ſit ſinè præſentia parium; alterū quòd cognitio de feudo inter Dominum feudi, & vaſſallum ſuppetit paribus curiæ. Fri-

dericus apud Radeuicum: *Præterea ſi de feudo inter duos vaſſallos ſit controuerſia, Domini ſit cognitio, & per eum controuerſia terminetur: ſi verò inter Dominum & Vaſſallum lis oriatur per pares curiæ à Domino ſub debito fidelitatis coniuratio terminetur.* Et Otho Friſingenſis priùs vbi ordinem iudiciorum Hungariæ obſeruat: *Nulla*, inquit, *ſententia à principe, ſicut apud nos moris eſt, per pares ſuos expoſcitur.* Moribus noſtris iam à Carolo M. Comitibus aſciti pares, qui eis pro tribunali ius dicētibus adſiderent & ſub his militarent. Capitulare Caroli M. *Quicunque ex his qui beneficium principis habent parem ſuum contra hoſtes communes in exercitu pergentem dimiſerit, & cum eo ire, vel ſtare noluerit honorem ſuum, & beneficium perdat.* Præceptum conceſſionis, quod fecit Ludouicus P. Hiſpanis qui ad ſe confugerunt. *Hi verò qui poſteà venerunt, etſi aut Comitibus, aut vaſſis noſtris, aut paribus ſuis ſe commendauerunt, & ab eis terras habitandas receperunt, ſub tali forma eas in futurum & ipſi poſſideant, & ſuæ poſteritati derelinquant.* Et Capitulare Caroli Calui ad Francos & Aquitanos: *Et ſi talis eſt cauſa, vt inde illum familiariter non debeat ammonere, & ante ſuos pares illum in rectam rationem mittat, & ille qui debitum pactum, & rectam legem, & debitam ſeniori reuerentiam non vult exhibere & obſeruare, iuſtum iuſtitiæ iudicium ſuſtineat.* Comitatibus demum in perpetua beneficia productis, pares eodem iure permanſere. Frodoardus: *Nec non Pontigonem fiſcum, quem Heribertus inuaſerat, aliámque munitionem Rex,* (is erat Ludouicus Tranſmarinus) *contra Victuriacum inſtruit, & quoſdam ſibi fideles ex paribus Vualterij ad cuſtodiam ibi dimittit.* Hoc pacto Duci Aquitaniæ & Normanniæ ſui fuere pares, ex quo Ioannes Rex Anglorum, & vtriuſque prouinciæ Dynaſta, Hu-

proh. feud. alië. per. Fr. c. cæterum c. nouit verſ. non enim de iud. c. cum contingat de for. comp Radeuic. lib 2. c. 5.

Oth. Friſin. li. 1. de geſt. Frid. c. 31.

lib. 3. c. 71.

tit. 16. c. 10.

A. C. 952.

gonem Brunum, Comitem Marchiæ, & Augei Comitē prouocantes ad Philippum Auguſtū reuocabat ad ſuum

Philipp. 6. forum, & judicium ſuorum Parium. Guillelmus Brito,

Accedant igitur priùs ad me, iudicióque
Stent noſtro, faciam quicquid ius iuſſerit illis,
Conſilióque illos Parium tractabo ſuorum.

in libell. de Comit. palat. Camp. Nec non Campaniæ Comiti ſeptem fuere Pares, quos enumerat Petrus Pithœus. Epiſcopo Cameracenſi vt Dño temporali, ſui etiam adfuere Pares, quorum iudicio definita lis quæ erat inter Hugonem conuaſſallum

lib. 3. chr. Camer. c. 75. & Dominum. Baldricus Nouiomenſis: *Mandauit igitur Epiſcopus ei* (Hugoni) *non ſemel, ſed plus vice tertiâ vt ante conſpectum eius veniens præſentibus comparibus ſuis, in rectum ſtaret de injuſticia ſua; ipſe verò crebro ſub nomine terræ ſuæ, & in fidelitate quam iurauerat commonitus ad vltimum ante conſpectum Domini ſui, præſentibus comparibus ſuis venit, ſed de quibuſcumque interpellatus eſt rectum facere nolens iniuſtior quàm veniret receſſit; vnde compares eius & alij quamplurimi nobiles, qui communi vtriuſque causâ huic placito interfuerunt H. reum vocantes terram quam de Epiſcopo tenebat ei abiudicauere.* Huiuſmodi & apud Anglos fuere pares feudi. Ob id notatur Henricus III. Rex Anglorum quod Vuillelmum de Ros Anglum feudo abdicaſſet ſinè

in Henr. III. 1242. iudicio parium ſuorum. Matthæus Paris: *Et eodem tempore, quia non ſuppetebat facultas cuidã nobili de regno ſuo Angliæ ſc. de borealibus partibus, Vuillelmo videlicet de Ros, vt moram faceret cum Rege in partibus tranſmarinis, præcepit Rex præcipitanter vt terris ſuis licèt ſinè iudicio parium ſuorum diſſeiſiretur.* Seriùs nî fallor Regni Galliarum Pares exorti: ſunt qui Carolo M. acceptos ferunt, ſed merè nugantur; nullum enim de his veſtigium apud coæuos Scriptores qui rem adeò celebrem non fuiſſent ſilentio præterituri:

longè probabilius fuerit Pares Galliæ non ante Robertum Regem inſtitutos, nam & congruum maximè huic tempeſtati fuit conſilium, vt eo honoris conſortio in lubrico regni ſtatu maiores demulcerentur. Et prima omnium quæ Pares Galliæ diſceptatores habuit lis, ea fuit inter Richardum Normanniæ Ducem, & Odonem Carnotẽſis pagi & Campaniæ Comitem, de ſucceſſione caſtri Drocenſis, de qua inſignis Epiſt. Odonis Comitis ad Robertum Regem, inter Fulberti Epiſtolas. *Nec ſibi competere dicebat, vt me ad tale iudicium exhiberet ſinè conuentu Parium ſuorum, hæc cauſa eſt cur tibi ad placitum non occurri.* Fulbert. ep. 96. Nempe iam olim horum muneris fuit de majoribus regni cauſis & litibus inter Pares, & ipſorum delictis cognoſcere. Iudicio Parium exheredatus, vt loquuntur, ſiue proſcriptus Ioannes Rex Anglorũ ob nefariam necem Arturi nepotis, & feuda quæ tenebat in Gallia fiſco commiſſa, vt narrant Matthæus Paris, Matthæus Vueſtmonaſterienſis, & alij Scriptores, qua de re inſignis extat Epiſtola Innocentij III. in libris decretalium. A.C. 1202. cap. nouit de Iudic. Et paulò antè idem Ioannes poſtulatus apud Philippum Auguſtum à Comite Engoliſmenſi & Comite Augei, vltrò ſe ſubmiſit iudicio Parium. Guillelmus Brito. lib. 6. Philippid.

His ego ſum Dominus, tu Rex mihi, vera fatebor,
Abſit vt à veri mea tramite verba reflectam;
Ius tamen eſt, & tu rectum eſſe fateberis, vt qui
Sunt mihi ſubiecti ſubeant examina noſtri
Prima fori, qui ſi defecero fortè, quod abſit,
Iudicio Parium tunc me tractabo meorum.

Hoc argumento Henricus III. Rex Anglorum cùm rogaretur, vt Barones & nobiles quaſi non iure abſque iu-

dicio Parium damnatos reſtitueret : *Non ſunt* (inquit Petrus Vuintonienſis Epiſcopus apud Matthæum Paris)

A.C. 1233. *Pares in Anglia ſicut in regno Francorum, vnde licet Regi Anglorum per iuſtitiarios quos conſtituerit quoſlibet de regno reos proſcribere,& mediante iudicio condẽnare.* Primariæ & pariũ in hunc diem partes fuere ſolenni Regum inaugurationi ſua obſequia impẽdere, & regni inſignia præferre, vt in Philippi Auguſti coronatione primùm quod ſciamus

in Henr. II. vſu celebratum. Rogerus Houëdenus : *Henricus autem Rex Angliæ filius in progreſſione à thalamo vſque in Eccleſiam ipſo die coronationis ibat ante illum, geſtans coronam auream de iure Ducatus Normanniæ, qua prædictus Philippus coronandus erat,& Philippus Comes Flandriæ præibat ferens ante illum gladium regni.*

Cap. X.

Pedagogiani. Libratæ.

V. Curtium lib. 8.

AVITAE dignitatis argumento, nobilium ſcilicet puerorũ, quos veteres pædagogianos, noſtri pagios appellarunt ſtipatu, hodiéque gaudent Duces & Comites, principalis faſtigij ſimiæ, & ſtulti adſectatores. Inter ſacri Romanorum Imperatorum cubiculi miniſteria fuit cœtus pædagogianorum.

lib. 29. Ammianus: *Adultus quidam ex his quos pædagogianos appellant ad obſeruandum venaticam prædam Spartanum canem retinere diſpoſitus ante prædictum tempus abſoluit: aſſultu eius euadere conantis adpetitus,& morſu, ideóque necatus ad exitium fuſtibus eadem humatus eſt die.*

Apologet. c. 13. Et Tertullianus : *Quum de pædagogijs aulicis, neſcio quem cynædum Deum facitis.* Hos purpureâ veſte inſignes pingit Ammianus alio

alio loco : *Procopius vt Regius miniſter indutus à calce ad pubem in pædagogiani pueri ſpeciem purpureis opertus tegminibus pedum, haſtatúſque, purpureum itidem pannulum læuâ manu geſtabat.* Et præfecto ſacri cubiculi parebat primicerius pædagogiorum ex Notitia imperij & Conſtitutionibus Imperatorum. Priuatis etiam potentioribus certatim in obſequijs fuere ingenuorũ pædagogia: de his frequens mentio in iure: quàm delicatè curarentur Seneca: *Omnium,* inquit, *pædagogia oblitâ facie vehuntur, ne ſol, ne frigus teneram cutem lædat* : His pubeſcentibus fibula argentea impoſita, vt Venere abſtinerent. Plinius: *Iam verò pædagogia ad tranſitum virilitatis cuſtodiuntur argento.* Imò & cùm principes viri procedebant, præibant Curſores. Seneca: *O quàm cuperem,* inquit, *illi nunc occurrere aliquem ex his troſſulis in via diuitibus, curſores & Numidas, & multum ante ſe pulueris agentem.* Et idem alio loco: *Omnes iam ſic peregrinamur, vt illos Numidarum præcurrat equitatus, vt agmen curſorum antecedat.* Iuniores huiuſmodi miniſtros in delicijs habuere præcipuè Franci dynaſtæ, pueros ſimpliciter Gregorius Turonenſis de Ranchingo : *Nam ſi ante eum, vt aſſolet, conuiuio vtenti puer cereum tenuiſſet, nudari eius tibias faciebat.* Pædagogos, ſeu pagios dixit poſterior ętas: quò fortè alluſit Iuo Carnotenſis ſæpiùs, cùm antiſtites ex iunioribus laïcis lectos pædagogos appellitat. Nec laïcos ſolùm, ſed etiam Epiſcopos cinxit turba comatorum. Bernardus ad Eugenium Papam: *Diſcant à te Coëpiſcopi tui comatulos pueros, & comptos adoleſcentes ſecum non habere, certè inter mitratos diſcurrere calamiſtratos non decet.* Priuata æquè, ac palatina pædagogia diſtinxit cultus & veſtis: libratas dixere id genus veſtium, quod annuatim die ſolenni eas libera-

- lib. 26.
- l. vlt. C. de diuerſ. offic.
- l. item. apud Labeonē 15. §. comitem ff. de iniur. l. quæſitum 12. §. ſi inſtruct. ff. de inſtr. leg. Senec. ep. 123. Plin. lib. 33. c. 12 V. Mart. 9. Epig. 28. ep. 87.
- ep. 123 adde Suet. in Nerō c. 30. Petron. in Sat. Mart. lib. 10. ep. 13.
- lib. 5. hiſt. c. 3.
- ep. 6. 89. 98.
- lib. 4. de Conſid.

A.C. 1339. in Henr. IV. rent ſuis, id eſt erogarent. Hinc decretum in quoſdam Dominos, Thomæ Vualſingano: *Et quòd ipſi, nec aliquis illorum det libratas, vel ſigna, nec faciat retinentiam hominum, niſi officiariorum intrariorum in ſuis domibus, & officiariorum extra ad gubernanda hoſpicia, terras, & poſſeſſiones eorum.*

Cap. XI.
Ius Curiæ, ſiue Tinelli.

SOLEBANT olim Imperatores ſolennia epula annuatim celebrare, illuſtribus honoris causâ vocatis, κλητέρια dixere recentiores græci. His abſtinuit Iuſtinianus, ſumptu in rem pauperum verſo. Cedrenus: καὶ τὰ δὲ ἔτους κτη-

Cedren. in Iuſt. p. 316. τέρια, lege, κλητέρια, τοῦ δωδεκαημέρου οὐκ ἐποίησεν, ἀλλὰ τὰς δαπάνας αὐτῶν δέδωκε τοῖς πτωχοῖς. *Conſueta etiã Clitoria duodecim dierum non egit, ſed quod illis fuerat impendendum pauperibus elargitus eſt.* Clitoria ne omitteret Leo Philoſophus deficiente Auguſtâ, Annam Zoës natã coronâ donauit. Idem Cedrenus: λέων δὲ ὁ βασιλεὺς

Cedren. In Leon. ph. p. 492. μὴ δυνάμενος τὰ κατὰ τύπον ἐκτελεῖν κλητώρια αὐγούστης μὴ οὔσης στέφει ἄνναν τὴν θυγατέρα Ζωῆς. *Porrò Imperator cum ſtatutis præceptas inuitationes peragere non poſſet Auguſtâ mortuá, coronat Annam filiam Zoës.* Ex more & ab Imperatoribus Rogæ, ſeu donatiua annua ſolennibus diebus proceribus præbita. Cedrenus: ἐξελθὼν, Leo,

Cedren. p. 506. οὖν καὶ τὴν συνήθη διανομὴν τῶν ῥόγας ποιησάμενος. *Egrediens Rogas de more diſtributurus.* De Leone Argyropoli

idem. p. 603. idem Cedrenus: τὴν διανομὴν δὲ τῶν συγκλητικῶν ῥόγας ποιησάμενος: *Dona ſenatorum, id eſt Rogas diſtribuens.*

lib. 7. meditat. ep. de Incens. Háſque ſuo æuo in deſuetudinem abiiſſe narrat Balſamo.

Haud diſſimili majeſtatis colendæ ſtudio Francorum Reges, ſolennes cõuentus, ſeu curias in feſtis Paſchæ, Natalis Chriſti, & alijs inſignioribus, proceribus condixerunt, eáſque conuiuiorum hilaritate, ludorum equeſtriũ pompâ, & veſtium, aliorúmque xeniorum largitione condierunt. De Carolo Magno teſtatum facit Turpinus Rhemenſis: *In quatuor ſolennitatibus per circulum anni, præcipuè in Hiſpania curiam ſuam tenens, coronam regiam & ſceptrũ geſtabat, die ſcilicet Natalis Domini, & die Paſchæ, & die Pentecoſtes, & die ſancti Iacobi.* Plerumque id genus conuentuum cogebatur in cœnobio ſancti Dionyſij, ſed inde emergente religionis labe, pietate regũ Clypiacum tranferri placuit, vt cœnobitarum quieti conſuleretur. Vetus diploma regium, quod deſcripſit Dueletius hiſtoriæ Dionyſianæ ſcriptor diligentiſſimus: *Cùm igitur manſionem ſæpè in caſtello ſancti Dionyſij haberemus, ibique velut in noſtro proprio reſidentes palatio, diebus feſtiuis curiam noſtram ſolennem ageremus, & hoc eſſet impedimento fratribus Monachis ibidem Deo famulantibus, placuit noſtræ ſerenitati ex conſultu fidelium noſtrorum ab illo caſtello recedere, & deinceps eandem curiam iiſdem feſtiuitatibus transferre, non longè tamen ab eodem caſtello in noſtro videlicet Clypiaco Palatio, vt Eccleſiâ patroni noſtri magni Dionyſij ab omni inquietudine intrepidâ permanente, nullus ſecularis ſtrepitus fratres impediat, quo minùs valeant iugiter pro nobis Domini miſericordiam attentiùs deprecari.* Et hæc lætitiæ publicæ argumenta edidere noſtri optimi Principes, non ſolùm in illuſtres, ſed etiam in plebeios: vnus pro multis è triuio Monſtreletius: *Et tindrent à cedit jour leſdits Roy & Royne, noble court & large: & tous leurs Anglois qui eſtoient là venus à ceſte Feſte, & là le peuple de Paris en grand nombre, allerent*

de geſt. Car. M. c. 20.

lib. 3. hiſt. c. 3.

vol. 1. Chrõ. c. 163.

audit Chaſtel du Louvre, pour voir leſdits Roy & Royne d'Angleterre ſeans enſemble, en portant Couronne; mais ledit peuple ſans eſtre adminiſtré de boire ne de manger, par nuls maiſtres d'Hoſtels de leans ſe partirent, contre leur couſtume, dont ils murmurerent enſemble: car au temps paßé quand ils alloient en ſi hautes ſolemnitez à la Court de leur Seigneur le Roy de France, eſtoient adminiſtrez des Gouuerneurs de boire & manger à ſa Court, qui eſtoit à tous ouuerte; & là ceux qui ſe vouloient ſeoir eſtoient ſeruis tres-largement, par les ſeruiteurs du Roy des vins & viandes d'iceluy. Huiuſmodi curialem ἐκκλησίαν, eadem ipſa ætas vulgò Tinellum appellitauit, tranſlatitiâ, vt opinor, voce à græco τήνελλος, Pæanem, triumphum reddas. Ariſtophanes,

in Equitib. act. 1. ſc. 3. ἀλλ' ἐὰν μὲν τι γε νικᾷς τῇ βοῇ, τήνελλος εἶ.

At ſi illum vincas clamore, triumphus eris.

τήνελλος inquit ibi Scholiaſtes, χρουμάτιον ἐπινίκιον. A noſtris ad Reges Anglicos tranſijt ſolennis hic ritus
A.C. 1224. curiæ euocandæ. Matthæus Paris: *Rex Anglorum Ioannes ad natale curiã ſuam tenuit apud Vuindlesbore, vbi multa magnatum ſuorum multitudini feſtiua diſtribuit indumenta.* Sed & imperatoribus Germanicis curiam celebrare ſolenne fuit. Auctor vitæ Henrici IV *Continuò Rex* (is erat Henricus V.) *vt fauentem ſibi fortunam vrgeret, curiam Moguntinam ad Natalem Domini indixit, inuitauit proceres, accerſiuit multos, vt cunctis innoteſceret, quia Dominus rerũ eſſe vellet.* Nec reges dũtaxat, ſed & Duces & Comites curię habẽdę ius certatim euindicarũt: hoc vſi ſunt
in ſuppl. Sigeb. 1173. Anglici Reges etiam in Normãnia, & alijs ciſmarinis partibus iure Ducatus. Robertus Montẽſis: *Hẽricus Rex iunior ad natalem fuit ad Bur iuxta Baioc, & quia tunc primũ tenebat curiam in Normannia, voluit vt magnificè feſtiuitas celebrare-*

tur: interfuerunt Epiſcopi, Abbates, Comites, Barones, & multa multis largitus eſt, &c. Et hoc iuris adeò ſummo imperio inauulſum, vt interim dum DUX, vel Comes ſolennem curiam foueret, Baronibus nefas eſſet ſuam clientibus curiam indicere. Idem Robertus : *Rex Henricus tenuit curiam apud Cadomum, & prohibuit ne aliquis Baronum teneret curiam, ſed venirent ad ſuam.* in ſuppl. Sigeb. 1182.

CAP. XII.

Veſtis Ducum & Comitum : pelles precioſæ.

NOBILIVM varia inſignia pro varietate gentium. Athenienſibus Cicadæ auro fabrefactæ, crinibus implexæ Ariſtophanes.

ἀρχαῖά γε, καὶ διπολιώδη καὶ τεττίγων ἀνάμεστα. in Nubib. act. 3. ſc. 3.

Antiqua hac ſunt & Iouialia & plena cicadis.

Et Scholiaſtes illo loco : οἱ ἀρχαιότατοι τῶν ἀθηναίων τέττιγας χρυσοῦς ἐν τοῖς τῶν τριχῶν πλέγμασιν εἶχον. *Antiquiſſimi Athenienſium cicadas aureas crinium cirris habuere.* Tertullianus : *Debebunt etiam & ipſi aliqua ſibi inſignia defendere, aut pennas Garamantum, aut crobylos barbarorum, aut cicadas Athenienſium, aut cirros Germanorum, aut ſtigmata Britonum.* Romanis lunati calcei, purpureíque. Zonaras : τοῖς δ' εὐπατρίδαις τὰ ὑποδήματα ἄσυκα καὶ τῇ τε ἐπαλλαγῇ τῶν ἱμάντων, καὶ τῷ τύπῳ τοῦ γράμματος ἐκεκόσμηντο ἵν' ἐκ τούτων δοκοῖεν ἀπὸ τῶν ἑκατὸν ἀνδρῶν τῶν κατ' ἀρχὰς βουλευσάντων κατιέναι, τὸ γράμμα καὶ ῥῶ φασὶν εἶναι ἢ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἑκατὸν ἐκείνων ἀνδρῶν δηλωτικὸν ὄν, ἢ ὡς τοῦ τῶν ῥωμαίων κατάρχον ὀνόματος. *Patricij calceos vrbanos geſtarunt, & corrigiarum implexione & forma litteræ adornatos, vt à centum ſenatoribus orti eſſe vide-* de veland. virg. c. 10. tom. 2. Annal. p. 14.

rentur. Litteram autem fuiſſe tradunt R. ſiue quòd ea centenarium numerum ſignificet, ſiue quòd prima nominis Romani ſit lib. 2. de vit. Sophiſt. in Herode. *littera.* Hoc nobilitatis inſigne illuſtrat Philoſtratus: βραδείας ὁ τῆς ῥηγίλλης ἀδελφὸς εὐδοκιμώτατος ὢν ἐν ὑπάτοις, καὶ τὸ ξύμβολον τῆς εὐγενείας περιηρτημένος τῷ ὑποδήματι: τοῦ ρ τί ἐστιν ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδές: *Bradeas Regillæ frater celeberrimus inter Conſules & nobilitatis notam appoſitam calceis geſtans, hoc verò ſignum talare eburneum eſt, lunulæ inſtar.* lib. 2. ep. 29. & lib. 1. ep. 50. Martialis de Senatorum calceis:

Non extrema ſedet lunatâ lingula plantâ,
Coccina non læſum cingit aluta pedem.

Itiner. lib. 2. Gothis inſigne veſtis pellicea, vnde Gothi pelliti paſſim; Rutilius Numatianus,

Ipſa Satellitibus pellitis Roma patebat.

in Ruf. Claudianus.

Mærent captiuæ pellito iudice leges.
de bell. Getic. *Crinigeri ſedere patres, pellita Getarum*
Curia.

Hâc notâ reges Gothos à Romanis imperatoribus diſtinguit li. 7. in conc. poſt ep. 9. & lib. 1. ep. 2. Sidonius: *Non ille ſemel pro hac ciuitate ſtetit ante pellitos reges, vel ante principes purpuratos.* Pelliti occurrunt & Burgundiones, & caſtorinis veſtibus amicti: de his Sidonius ad Thaumaſtum: lib. 5. ep. 7. *Libenter incedunt armati ad epulas, albati ad exſequias, pelliti ad Eccleſias, pullati ad nuptias, caſtorinati ad litanias.* Francis etiam veſtis lutrina, vel marturina, aliiſve pretioſis è pellibus in delicijs fuit: de Carolo magno, Eginartus: in vit. Carol. M. *Veſtitu patrio,* inquit, *hoc eſt Francico vtebatur, ad corpus camiſiam lineam, & feminalibus lineis induebatur, deinde tunicam quæ limbo ſerico ambiebatur, & tibialia, tum faſciolis crura, & pedes calciamentis conſtringe-*

bat, & ex pellibus lutrinis thorace confecto, humeros ac pectus hyeme muniebat. Geraldo Aureliacenſi Comiti pelliceam, vtpotè Comitibus familiarem aſſuit Odo Cluniacenſis : *Veſtimentis autem pelliceis ſuper veſtibus lineis vtebatur, quia genus iſtud indumenti ſolent clerici viciſſim, & laïci in vſum habere.* Duces & Comites Francos in Syriacam expeditionem contendentes ornatu pellium vſos non ſine admiratione græcorum, teſtem habemus Albertum Aquenſem : *Imperator autem tam magnifico & honorifico Duce viſo* (Gothofredum intelligit) *eiúſque ſequacibus in ſplendore & ornatu precioſarũ veſtium tam ex oſtro, quàm aurifrigio; & in niueo opere harmelino, & ex mardrino, griſióque, & vario, quibus Gallorum principes præcipuè vtuntur; vehementer admirans honorem, ac decorem illorum, primum Ducem in oſculo benignè ſuſcepit.* Religioſiùs D. Ludouicus, ex quo tranſmarinum iter ingreſſus, cultu variarum pellium abſtinuit. Vuillelmus Nangius : *Ab illo enim tempore numquam indutus eſt ſqualeto, vel panno viridi, ſeu bonneta, nec pellibus varijs, ſed veſte nigri coloris, vel camelini, ſeu perſei.* Germanis etiam proceribus iam olim in pretio fuit vſus marturinæ veſtis. Helmoldus : *Pruzi pellibus abundant peregrinis, quarũ odor lethiferum noſtro orbi ſuperbiæ venenũ propinauit, & illi quidẽ vt ſtercora hæc habẽt, ad noſtram credo damnationem, qui ad marturinam veſtem anhelamus, quaſi ad ſummam beatitudinem : itaque pro laneis indumentis, quos nos appellamus Faldones, illi offerunt tam pretioſos martures.* Hiſpanis etiam notæ fuere veſtes peregrinis è pellibus, & in luctu abiectæ : *Vidi*, inquit Petrus Cluniacenſis, *nuper ipſe in Hiſpanijs conſtitutus, & admiratus ſum antiquum hunc morem ab Hiſpanis adhuc omnibus obſeruari; mortua quippe vxore maritus, mortuo marito*

lib. de vit. S. Gerald. c. 3.

l. 3. hiſt. Hieroſ. c. 16.

de geſt. S. Ludou.

lib. 1. hiſt. Slau. c. 1.

lib. 4 ep. 17.

coniux, mortuis filijs patres, mortuis patribus filij, defunctis quibuſlibet cognatis cognati, extinctis quolibet caſu amicis, amici ſtatim arma deponũt, ſericas veſtes, peregrinarũ tegmina pelliũ abijciunt. Gloriãtur hodiéque Angli veſte è pretioſis pellibus: pallium Sabellinis pelliculatum Regi Anglorum ſeruitij nexu debuit Lincolnienſis Epiſcopus; teſte Rogero Houëdeno, ídque genus veſtium ea ætas Comitiſſas appellitauit, à Comitibus haud dubiè qui plerumque his veſtiebantur. Matthæus Paris: *Veſtéſque feſtiuas, quas vulgus Comitiſſas appellat.* Nec Duces, Comiteſve modò, ſed & Epiſcopos & Abbates pretioſas pelles nimiùm affectaſſe, prodit vetus querela patrum. Ambroſius: *Caſtorinas quærimus, & ſericas veſtes, & ille ſe inter Epiſcopos credit eſſe altiorem, qui veſtem induerit clariorem.* Et Bernardus in Epiſtola ad Henricum Senonenſem: *Deſpiciant iam textricum, ſiue pellificum, & non proprijs operibus gloriari, & murium rubricatas pelliculas, quas gulas vocant manibus circumdare ſacratis, & ſacrantibus tremenda myſteria.* Epiſcoporum inſaniam in huiuſmodi veſtibus deplorat & Petrus Damiani, in Epiſtola ad Epiſcopos Cardinales: *Non ergo conſtat Epiſcopatus in turritis Gebellinorum, tranſmarinarúmque ferarum pileis; non in flammantibus martorum ſubmentalibus roſis, non in bractearum circumfluentium phaleris, non denique in glomeratis conſtipantiũ militum cuneis, neque in frementibus, ac ſpumantia fræna mandentibus equis, ſed in honeſtate morum, & ſanctarum exercitatione virtutum.*

in Richardo I. A.C. 1195.

in Henr. III.

de dignit. ſacerd. c. 4.

ep. 42.

lib. 2. ep. 1.

Cap. XIII.

Inſignia illuſtrium domuum. Faſtigium. Ius gyroëtæ. Turres. Ferarum cornua, vel capita præfixa foribus. Vuarennæ, ſiue luci.

Quis inſignibus magnatum ædes à priuatis vbique ferè gentium diſtinctæ. In Græcia ædium tecta plana fiebant; ædes verò ſacræ in culmen & faſtigium aſſurgebant ἀκρωτήριον ἀετὸν, & ἀέτωμα dixere græci, quòd templorum faſtigia ità decliuia eſſent, vt ſpeciem aquilæ alas demittentis effingerent. Pauſanias de ſepulchris Sicyoniorum : καὶ ἐπ' αὐτοῖς ἐπίθημα ποιοῦσι κατὰ τοὺς ἀετοὺς μάλιστα τοὺς ἐν τοῖς ναοῖς : *His faſtigia imponunt eâdem ſpecie quâ ſunt templorum culmina quæ aquilas vocant.* Et alio loco : τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς ἡρακλῆς καὶ νίκαι πρὸς τοῖς πέρασίν εἰσιν. *In aquilis ſeu faſtigio hercules & victoriæ in extremo ſunt* : Et rurſus alio loco. ὕψος μὲν δὴ αὐτῷ ἐς τὸν ἀετὸν. *Aquilas faſtigium vocant.* Et Suidas : ἀετώματα τὰ τῶν ἱερῶν στεγάσματα πτέρυγας καὶ ἀετοὺς καλοῦσιν : *Templorum tecta alas & aquilas vocant* : Tamen & potentum domus templorum inſtar faſtigijs & aquilis decoratas obſeruatu dignum : eò alludit Ariſtophanes,

in Corinthiac. p.56.
eod. loc. p. 106.
in Eliac. 2.
in voc. ἀετώματα.

τὰς γὰρ ὑμῶν οἰκίας ἐρέψομεν πρὸς ἀετὸν.
Has enim veſtrûm domos cooperiemus ad aquilam. in auib. p.594.

Romæ triumphalium ædium inſigne fuit, vt fores aperirentur in publicum. Plinius : *Summúſque,* inquit, *illarum honos erat, ſicut in L. Valerio Publicola, qui primus Conſul fuit cum L. Bruto poſt tot merita & fratre eius, qui bis in eodem ma-* lib. 36. c. 15. id. Plut. in Valer. Publ. Aſcon. in Piſonian.

giſtratu Sabinos deuicerat, adijci decreto vt domus eorum fores extra aperirentur, & ianua in publicum reijceretur: hoc erat clariſſimum inſigne inter triumphales quoque domos. Proſtratâ republicâ, culmine & faſtigio inſignitæ Cęſarũ domus, quod proprium ante fuit templorũ & ſacrarum ædium. Cæſari primum decretum faſtigium inter alia diuinitatis decora. M. Tullius: *Quem maiorem*, inquit, *honorem conſecutus erat, quàm vt haberet puluinar, ſimulachrũ, faſtigiũ, flaminem.* Exinde domus Auguſtæ non ſinè culmine & faſtigio, & ei Deorũ ſtatuæ imponi ſolitæ, vt templorũ faſtigijs. Spartianus de Peſcennio Nigro imperatore: *Domus eius hodie Romæ viſitur in campo Iouis, quæ appellatur Peſcenniana, in qua ſimulachrum eius in trichoro conſtituit;* id eſt in faſtigio. Et Vopiſcus: *Imago Apollinis quæ ab his colebatur ex ſummo faſtigio in lectulo poſita ſinè cuiuſpiam manu deprehenſa eſt.* Nec caruere ſuis ornamentis Francicorum Ducum, Comitum & nobilium domus: viſuntur hodiéque turritæ & faſtigiatæ. Frodoardus: *Dux Conradus quibuſdam infenſus Lotharienſibus, turres quorumdã deijcit, & quoſdam Virdunenſium honoribus priuat.* Et Anonymus ſcriptor vitæ Ludouici VIII. de expugnatione Auenionẽſis vrbis: *Ad mandatũ igitur legati, & Rege imperante foſſata implentur, trecenta domus turrales, quæ in villa erant, & omnes muri circumquaque diruti ſolo coëquantur.* Vnde & in conſuetudine Pictauienſi, & alijs, ius caſtri vulgò *droit de Chaſtel*, nobilitatis & imperij apices implet: Et ne quid deſit inſaniæ veterum ædificiorum, adduntur his ἀκρωτήρια, ſeu gyroëtæ, vt vocant, quæ cum cœlo, ventíſque certant, & inuictos dominorum animos prædicant. Ferarum cornua, vel tota capita illuſtriorum ædium foribus, vt templorum veſtibulis præfigi religio:

Philip. 2. id. Plut. in vit. Cæſ.

Vitruu. li. 3. c. 2. in vit. Peſcen.

in vit. Florian.

in Chr. 951.

de geſt. Lud. 8. v. Oth. Friſing. l. 7. Chr. c. 31.

templorum liminibus primùm conſecrata ferarum cornua. Liuius: *Fixa per multas ætates cornua in veſtibulo templi Dianæ.* Hinc Mycon gregum paſtor in ecloga Vergilij caput apri, & cornua cerui ſuſpendit in honorem Dianæ. Verg. eclog. 7.

Setoſi caput hoc apri tibi Delia paruus,
Et ramoſa Mycon viuacis cornua cerui.

Et Niſus apud eumdẽ, lunam numen ſyluarum ſic precatur pro ſalute Euryali, commemoratione ἀναθημάτων. li. 9. Æneid.

—— Si qua ipſe meis venatibus auxi
Suſpendive tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi.

Ob id quærit Plutarchus, cur in ceteris Dianæ fanis ceruorũ cornua affigi ſoleant, in Auentino boũm. Nec Dianam tantùm: ſed & alia numina ſecutus honos. Symmachus: *Honori numinum datur cornua ſacrare ceruorum, & aprinos dentes liminibus affigere.* E religione manauit luxus in publicum, è templorum liminibus tranſiere ferarum ſpolia ad illuſtrium virorum fores. Manilius, in probl. Rom. c. 4. Interpr. Ariſtoph. in Pluto. lib. 5. ep. 66. lib. 4. aſtron.

Hoc habet, hoc ſtudium poſtes ornare ſuperbos
Pellibus, & captas domibus configere prædas.

Nec peregrè ad nos aduectũ hunc ritum dicas; indigenam Celtis agnoſcit Diodorus Siculus, καὶ τὰ ἀκροθίνια ταῦτα ταῖς οἰκίαις προσηλοῦσι ὥσπερ ἐν κυνηγίαις τισὶ κεχειρωμένα θηρία: *Et has manubiarum primitias non ſecus atque feras à ſe trucidatas veſtibulis domorum affigunt.* Hunc ritum ſpectans Germanus tum præfectus, & deinde ſanctiſſimus Epiſcopus Altiſſiodorenſis, pyro in foro conſitæ per laſciuiam ceruorũ cornua, & aprorum dentes fixiſſe notatur à Conſtantio Presbytero, & Errico Altiſſiodorenſi eius vitæ ſcriptoribus. Nec non An- lib. 5. bibl. hiſt. Conſtantius Presb. li. 1. vit. S. Germ.

apud Sur. Iul. 31. Erric. Altiſſiod. lib. 1. vit. eiuſd. in Andronic. Comnen.

dronicus ceruorum quos venatu cepiſſet cornua in porticibus fori ſuſpendebat, in ſpeciem artis venaticæ commendandæ causâ; ſed reuerâ in ludibrium infelicium maritorum, quorum toros adulterio fœdabat, teſte Nicetâ. Iampridem & illuſtrium domus, vt omnia eorum dignitatis veſtigia conſectemur, lucis, ſeu vuarennis, vt noſtri loquũtur opacæ. Sic Manlij domus duobus lucis veſtita memoratur. M. Tullius: *M. Manlius, cùm ab adſcenſu Capitolij Gallorum impetum repuliſſet non fuit contentus beneficij ſui gloriâ, regnum appetiſſe eſt iudicatus: ergo eius domum euerſam duobus lucis conueſtitam videtis*: eóque ſe referens Virgilius, Anchiſæ domum arboribus conſeptam depinxit,

pro Dom.

2. Æneid.

> ------- *Quamquam ſecreta parentis*
> *Anchiſæ domus, arboribúſque obtecta receſſit.*

Et Pici regiam ſyluis quoque cinctam;

Aeneid. 7.

> *Tectum, auguſtum, ingens centum ſublime columnis*
> *Vrbe fuit ſummâ Laurentis Regia Pici*
> *Horrendum ſyluis, & relligione parentum.*

in Hercul. fur. act. 3.

Quid Ditis regia, nónne luco obumbratur Senecæ?

> *Aduerſa Ditis regia, atque ingens domus*
> *Vmbrante luco tegitur.*

lib. 3. eleg. 3.

Romanorum ædes nemorum ornatu templis propiores, ſignat Tibullus,

> *Et nemora in domibus ſacros imitantia lucos.*

in Tetric. iuniore.

Romæ etiam Tetricorum domus inter duos lucos poſita celebratur. Trebellius Pollio: *Tetricorum domus, hodiéque exſtat in monte Cœlio inter duos lucos contra Iſiũ Metellinum.* Denique domum auguſtam inter duas lauros, id eſt gemina laureta, ſatis apertè collocat Tertullianus illo loco: *Vnde Caſſij, & Nigri, & Albini, vnde qui*

Apologet. c. 35.

inter duas lauros obſident Cæſarem. Miraris tot diuinarum & Auguſtarum domuum ornamenta; ſed magis eſt quòd mireris collecta in noſtrorum Ducum & Comitum laribus. Teſtantur paſſim vetera ædificia, inſanæ ſubſtructiones, teſtantur ruinæ, quæ antiquam Majeſtatem ſpirant, & minores exprobrant Dominos, & à prætereuntibus crebrò has voces eliciunt: *O domus antiqua, quàm diſpari Domino dominaris!* Tull. 1. de Offic. & Philipp. 2.

CAP. XIV.

Jus venationis.

VENATIO, ferarum bellum etiam Platoni probatum, Perſarũ regibus ſuauiſſimum omniũ ſtudium; vtpotè ſæuorum inter gentes diſcriminum imago, & militaris diſciplinæ, id eſt regiæ artis nobile tyrocinium. Xenophon: διὰ τοῦτο δὲ δημοσίᾳ τοῦ θηρᾶν ἐπιμέλονται, καὶ βασιλεὺς, ὥσπερ καὶ ἐν πολέμῳ ἡγεμὼν αὐτοῖς ἐστὶ καὶ αὐτός τε θηρᾷ, καὶ τῶν ἄλλων ἐπιμελεῖται ὅπως ἂν θηρῶσιν, ὅτι ἀληθεστάτη δοκεῖ αὕτη ἡ μελέτη τῶν πρὸς τὸν πόλεμον εἶναι. *Ob hãc autẽ rem publicè dant operam venationi, & Rex quemadmodum in bello ſe Ducem ijs præſtat, & ipſe tum venatur, tum vt alij venentur diligentiam adhibet, quòd hæc eis veriſſima videtur meditatio rerum bellicarum.* In morte Germanici Perſarum Regem venatu abſtinuiſſe ferunt, quod apud Parthos, inquit Tranquillus, *Iuſtitij inſtar eſt.* Non aliæ Perſis picturæ quàm regię venationes & prœlia: Ammianus: *In medio diuerſorium opacum eſt, & amœnum gentiles picturas per omnes ædium partes oſtendens, Regis beſtias venatione multiplici trucidantis; nec enim apud eos pingitur, vel*

lib. 7. de legib.

lib. 1. Cyripæd. add. Athen. li. 1. c. 18.

in Caligul. c. 5.

lib. 24.

ſingitur aliud præter varias cædes & bella. Nec Perſarum modò, ſed & aliorum Orientis principum deliciæ venatus: his ſtudijs Zeno Armeniorum imperio dignus
12. annal. habitus. Tacitus: *Fauor nationis*, inquit, *inclinabat in Zenonem Polemonis Regis Pontici filium, quòd is prima ab infantia inſtituta & cultum Armeniorum æmulatus, venatu, & quæ alia barbari celebrant, proceres, plebémque iuxta deuinxerat.* Denique barbaris adeò regia res venatio, vt regium fuerit primùm feram transfigere. Artoxerxis apud Perſas propria laus eſt, permiſſa venationis ſocijs prioris in feram
in apoph. reg. iaculi miſſio. Plutarch. πρῶτος δὲ προβολεῖν ἐκέλευσε τῶν συγκυνηγετούντων τοὺς δυναμένους καὶ βουλομένους. *Primus autē permiſit eos, qui ſecum vnà venarētur dum poſſent & vellent ſe priores in feras iaculari.* Non tulit tamē Odenatus Palmyrenorum Tyrannus venationis laudem à quoquam præripi. Nepoti ex fratre iratus notæ causâ equum ademit, quòd ſe prior in venatione iaculo ferā petijſſet,
in Gallieno auctore Zonarâ. Romanis quoque Imperatoribus in
com. 1. annal. cenſu auguſtarū voluptatum, princeps fuit venatio. Non tacendus Adrianus venandi vſque ad reprehenſionē ſtu-
in Adriano. dioſus, teſte Spartiano. Venationibus exſultauit Valentinianus, ſed venationis caſus adeò impotenter tulit, vt vnum è pædagogianis neci dederit, quòd Canem intempeſtiuè miſiſſet, ēius impetum morſus impatientiâ ſuſtinere non valens, *Adultus quidam*, inquit Ammia-
lib. 29. nus, *ex his quos pædagogianos appellant ad obſeruandum venaticiam prædam, Spartanum canē retinere diſpoſitus ante prædictum tempus abſoluit, adſultu eius euadere conantis, & morſu; ideóque necatus ad exitium fuſtibus, eâdem humatus eſt die.* Imò apud Cæſares venandi ſtudium eò pompæ perductum, vt principum venatio, non ſylueſtris ludus, ſed re-

gia expeditio videretur, eiúſque gratiâ delectus aucupum & venatorum in prouincijs conſcriberentur: *Taceo*, inquit Pacatus, *infami ſæpè delectu ſcriptos in prouincijs aucupes, ductáſque ſub ſignis venatorum cohortes militaſſe conuiuijs.* in paneg. Theod. Francorum Regibus res regia, & gentilis voluptas venatio. His ſtudijs inſtitutus Dagobertus à Clothario patre: *Dagobertus*, inquit Aymoïnus, *quippe à Clothario genitore venerabili viro Arnulfo Metenſi Pontifici ad erudiendum traditus, pueritiæ annos in ſtudijs exercuit litterarum; adoleſcentiam verò ſuam venatibus, quem more Francorum principibus ſæpè fati ſumus fuiſſe familiarem.* lib. 4. hiſt. c. 17. Ijſdem belli ludicris adoleuere Caroli M. liberi: *Tum filios*, ſcribit Eginartus, *quamprimùm ætas patiebatur more Francorum equitare, armis ac venationibus exerceri fecit.* in vit. Carol. M. Hinc ſolennes paſſim memorantur vernæ & autumnales regum venationes. in vit. Carol. M. & Lud. P. Regia porrò venatio adeò in inuidiam & ſcelus tracta, vt priuatis cuiuſcumque dignitatis capitale eſſet venatûs causâ ſyluam regiam ingredi: non aliâ fati causâ Chundoni præfecto ſacri Cubiculi Guntrani Regis. Gregorius Turonenſis: *Dum Gunthrannus Rex per Voſagum ſyluam venationem exerceret, veſtigia occiſi Bubali deprehendit; cùmque cuſtodem ſyluæ arctiùs diſtringeret, quis hæc in regali ſylua gerere præſumpſiſſet, Chundonem Cubicularium Regis prodidit, quo hæc loquente iuſſit eum apprehendi, & Cabillonem compactum in vinculis duci; cùmque vterque in præſentiam Regis intenderetur, & Chundo diceret, numquam à ſe hæc præſumpta quæ obijciebantur, Rex campum dijudicat: Tunc Cubicularius dato nepote qui proſequi hoc certamen auderet, in campo vterque ſteterunt, ceciderúntque ambo & mortui ſunt; quod videns Chundo ad Baſilicam ſancti Marcelli fugam inijt: acclamante verò Rege vt comprehenderetur, priuſquàm limen* lib. 10. hiſt. c. 10.

ſanctum attingeret comprehenſus eſt; vinctúſque ad ſtipitem lapidibus eſt obrutus. Hinc lege Francicâ priuatis ſyluam, ſeu Foreſtam inſtituere fas non fuit. Capitulare Ludouici P. *De foreſtibus nouiter inſtitutis, vt quicumque illas habet dimittat, niſi fortè iudicio veraci oſtendere poſſit, quòd per iuſſionem, ſiue permiſſionem Domni Caroli genitoris noſtri eas inſtituiſſet, præter illas quæ ad noſtrum opus pertinent.* Et alterum eiuſdem: *De foreſtibus noſtris, vt vbicumque fuerint diligentiſſimè inquirant, quomodo ſaluæ ſint, & defenſæ, & vt Comitibus denuncient ne vllam foreſtam nouiter inſtituant, & vbi nouiter inſtitutas ſinè noſtra iuſſione inuenerint, dimittere præcipiant.* Sæuiùs lex Anglica venationem Regibus delicias, ceteris periculum ſanciuit. Etiam nobilibus venatione omnino interdixit Guillelmus I. autore Polydoro Vergilio: legem ſemel remiſſam inſtaurauit Guillelmus II. *Venationes*, ait Guillelmus Malmesburienſis, *quas primò indulſerat, adeò prohibuit, vt capitale eſſet ſupplicium, prendiſſe ceruum.* Et huc opinor ſe refert Ioannes Saresberienſis diſtricto ſtylo: *In tantam verò quidam huius vanitatis inſtinctu, erupere veſaniam, vt hoſtes naturæ fierent conditionis ſuæ immemores, diuini iudicij contemptores, dum in vindictam ferarum imaginem Dei exquiſitis iudicijs ſubiugarent, nec veriti ſunt hominem pro beſtiola perdere; quem Vnigenitus Dei redemit ſanguine ſuo, quæ feræ naturæ ſunt, & de iure occupantium fiant, ſibi audet humana temeritas inſpiciente Domino vendicare, & idem iuris in omnibus vbicumque ſint ſtatuit, ac ſi clauſtri ſui indagine vniuerſa cinxiſſet, quódque magis mirere pedites parare auibus, laqueos texere, allicere modis, vel fiſtulis, aut quibuſcumque inſidijs ſupplantare ex edicto ſæpè fit criminis, & vel proſcriptione bonorum mulctatur, vel membrorum punitur, ſalutiſque diſpendio, &c.* Legem emollijt Richardus

Lib. 4. Capitul. c. 42.

Lib. eod. Capitul. c. 65.

Lib. 9. hiſt. anglic.

li. 4. de geſt. R. Angl.

lib. 1. de nug. Cur. 4.

dus, capitis pœnâ in pecuniariã, vel relegationem verſâ. Matthæus Paris: *Regnante dicto rege Richardo, miles quidam de regno Angliæ in noua degens foreſta, qui longo tempore & vſu beſtias Regis furtiuè venari conſueuerat, quadam vice interceptus eſt, cum venatione furata, & per iudicium curiæ ipſius Regis in exſiliũ relegatus: hanc enim legem de venatione ſublata Rex ille in pace clementiſſimus in hoc temperauit, quod cùm apud Reges Anteceſſores eius, ſi quilibet in fraude venationis deprehenſi fuiſſent, eruebantur oculi eorum, abſcindebantur virilia, manus vel pedes truncabantur; ſed tale iudicium pio Regi Richardo viſum eſt nimis inhumanum, vt homines ad imaginem Dei creati pro feris, quæ iuxta legem naturalem generaliter omnibus ſunt conceſſæ, de vita, vel membris periclitarentur, vt id faciendo feris, ac beſtijs deterior videretur; hoc enim ſolummodo ſufficiebat ei, vt quilibet in tali culpa deprehenſi vel Angliam abiurarent, vel pœnam carceralem ſubirent, vel pœnâ punirentur pecuniali, ſaluis omnibus vitâ & membris.* Eodémque temperamento vſus Ioannes ex eodem Matthæo Paris. Gallis in Romanorum poteſtate deſidentibus, laus non leuis è venatione, his ſtudijs Ecdicium & Vectium commendat Sidonius. Francis Gallorum priùs germanis quàm dominis æquè in vſu & ſtudio fuit venatio maximè accipitraria, ſaltem extra ſaltus regios quos pari cum templis religione cultos obſeruaui. Guntramnus Boſo ad Meroueum apud Gregorium Turonenſem; *Vt quid hîc*, inquit, *quaſi ſenes & timidi reſidemus, & vt hebetes circa Baſilicam occulimur: veniant enim equi noſtri, & acceptis accipitribus cum canibus exerceamur venatione, ſpectaculiſque patulis.* Quàm inſanierint noſtri in accipitres teſtis Becco Comes apud eundem Authorem, qui Baſilicæ ſancti Iuliani Briua-

in Henr. III. A. C. 1232.

A. C. 1215.

lib. 3. ep. 4. lib. 4. ep. 9.

lib. 5. hiſt. c. 14.

lib. 2. mirac. cap. 16.

tenſis miniſtrum, ſeu ædituum, triginta nummis multauit, quòd accipitrem à ſe elapſum fortè oblatum, prehenſúmque teneret. Obſeſſâ à Normannis Pariſiorum vrbe, extrema obſidionis pertulere Franci, antequàm accipitres abſoluerent, ſibíque & cœlo redderent. Abbo Floriacenſis,

lib. 1. de obſ. Par.

Quiſque rogi patrios flatus ne clade perirent
Accipitres loris permiſit abire ſolutis.

tit. 6. & 7.

Hinc rei venaticæ & accipitrarię proſpexit lex Salica, & ex proniori in eam rem ſtudio fluxit ſolenne nobilium virorum ſacramentum ſuper accipitre & ſpata. Religionis tamen gratiâ canibus & accipitribus abſtinuere Duces, Comitéſve in Syriacam expeditionem deuoti, ex decreto Eugenij III. Pontificis, edito ab Othone Friſingenſi: *Illi qui Domino militant nequaquam in veſtibus precioſis, nec cultu formæ, nec canibus, vel accipitribus, nec alijs quæ portendunt laſciuiam debent intendere.* Adeò res regia ferarum venatio, vt eam etiam in proceres ſui beneficij Reges & Cæſares fecerint. Rothardo Cameracenſi Epiſcopo foreſtam, ſeu ſyluam conceſſit Otho III. Imperator, eâ lege, vt legitur apud Baldricum; *Vt nulla majorum, minorúmque perſona in biuangio prædicti foreſti, niſi cum licentia præfati Epiſcopi Rothardi, eiúſque ſucceſſorum venari præſumat; ſed ipſe, eiúſque ſucceſſores ex noſtro regio dono venationem poteſtatiuè teneant, & quibuſcumque placeat venandi licentiam concedant.* Erponi Verdenſi Epiſcopo & ſucceſſoribus cum iure cudendæ monetæ, & fori, *venationem ceruorum, atque ceruarum ſublimium ferarum, qui fuit ab olim ſeruatus honor ſummis principibus*, tribuit idem Otho III. vt ipſis verbis prodit Albertus Krantzius: & multò antè Oſnaburgenſi Eccleſiæ

Capitul. lib. 4. c. 21.

li. 1. de geſt. Frider. c. 35.

li. 2. Chron. Camer. cap. 108.

lib. 3. Metrop. c. 36.

foreſtam in perpetuum erogauit Carolus M. *cum omni venatione quæ ſub banno vſuali adforeſtum deputatur.* Teſte eodem Krantzio. In ſummo beneficio poſuit Lanſbertus Mediolanenſis Archiepiſcopus, quòd Burchardo Comiti vt ceruum in ipſius ſylua venaretur permiſit. *Burchardum non deſpexit*, narrat Luitprandus Ticinenſis, *ſed eum alio animo ſuſcipiens mirabiliter honorauit, ſed & inter cetera, quaſi hoc eſſet priuilegium amoris, conceſſit ceruum, quem is ſuo in brolio venaretur, quod nulli vmquam niſi chariſſimis, magniſque conceſſit amicis.* Bernardo à Peſſenhauſen præfecto Rudolphi Habſpurgici ius venationis quaſi proprium conceſſere Duces Boiorum apud Germanos. Ioannes Auentinus: *Huic Henricus atque Otto Duces Boiorum, venandi ius quod noſtro æuo Vuillelmus eius gentilis abdicauit condonarunt.* Plebeijs certè in Gallia & Germania venatione in hunc diem interdictum, ne à re ruſtica vel opificijs auocarentur, & militares ſpiritus nouarum rerum ſemper cupidos & turbarum auctores venatu contraherent. Villanos, ſic vocabant, non tulit labens ætas, vt tubarum vſum, & aprorum venationem tentarent. Ekkeardus Iunior: *Nunc villici majores locorum, inquit, ſcuta & arma polita geſtare incæperant, tubas alio quàm ceteri villani clanctu inflare didicerant, canes primò ad lepores, poſtremò etiam non ad lupos, ſed ad vrſos, & ad, vt quidam ait, minandos aluerant apros.* Haud diſpari conſilio L. Domitio prætore in Sicilia in crucem actus paſtor, quòd aprum, etſi prætori oblatum, venabulo confeciſſet. M. Tullius: *L. Domitium Prætorem in Sicilia, cùm aper ingens ad eum allatus eſſet, admiratum requiſiſſe quis eum percuſſiſſet; cùm audiſſet Paſtorem cuiuſdam fuiſſe, eum ad ſe vocari iuſſiſſe, illum cupidè ad Prætorem quaſi ad*

lib. 1. Metr. c. 2.

lib. 1. hiſt. c. 4.

lib. 7. annal. Boior.

de Caſib. M. S. Galli. c. 4.

5. in Verr.

laudem atque præmium accurriſſe; quæſiſſe Domitium qui tantam beſtiam percuſſiſſet: illum reſpondiſſe, venabulo; ſtatim deinde iuſſu Prætoris in crucem eſſe ſublatum. Denique quo iure Reges in Duces, Comitéſve vſi, vt capitale his eſſet venationis causâ ſaltus regios ingredi, ſinè regis conſenſu: eodem ipſi regiè inuecti in minores, proprijs in ſyluis: ſed nimiùm ſæuientibus modus impoſitus: D. Ludouici æuo, iudicio ſenatus Galliarum decem librarum millibus, & alterius anniuerſarij dote multatus Enguerannus de Cocyaco ob fractam laqueo gulam tribus ingenuis adoleſcentibus Belgicis, eò quòd cuniculos è vicino fundo in ſyluam Cocyacenſem perſecuti eſſent. Teſte Vuillelmo Nangio.

in vit. S. Lud.

Cap. XV.

Latifundia Ducum, & Comitum. Dignitas & pompa eorum. Juſiurandum Regum per Comites.

Latiscente Rēgum faſtigio, è regni ruderibus aſſurrexere Duces & Comites, ac penè de rerum ſumma certauere cum principe. Hoc ſemel concepto regnandi ſpiritu tot latifundijs & clientelis aucti ſunt, vt prouincias veriùs quàm rura & prædia tenerent, & caſtrorum ſui iuris cenſum per anni ſoles putarent: hoc decoris argumento celebratus olim Stephanus Comes Bononienſis, germanus Gothofredi Lotharingi. Guibertus Abbas: *Poſt hunc Comes Stephanus*, inquit, *vir tantâ potentiâ præditus extitit, vt fama teſtetur tot eum pollere dominio caſtellorum, quot annus*:

lib. 2. hiſt. Hieroſ. c. 15.

conſtat honore dierum. Tot etiam caſtrorum iacturam luxit Raimundus Comes Toloſanus, quot annus dies numerat, ob fidei labem. Guillelmus Brito, lib. 8. Philippid.

Quòd Comitem ſimili Raimundum crimine lapſum,
Qui ſancti Comes Ægidij, Tholoſæque vocatur,
Amiſiſſe videt vrbes & caſtra quot annus
Fertur habere dies, tot villas ille celebris
Nominis & famæ Francorum à Rege tenebat,
Cui ſubiectus erat feudaliter.

Primas potentiæ partes meritò ſuo æuo tulit Guillelmus Comes Pictauienſis, & Dux Aquitanorum, vnus è ſacræ militiæ coniuratis, qui ſexaginta equitum millia, plura peditum ſuis auſpicijs in Syriacam expeditionem conduxit. Vuillelmus Malmesburienſis: *Vuillelmus Comes Pictauenſis*, inquit, *Hieroſolymam perrexit, multa ſecum ducens agmina, vt æſtimarentur ſexaginta millia militum, & multò plura peditum:* Imò trecenta hominum millia, ſi fides Orderico Vitali: *Guillelmus Dux Pictauenſium auditis nobilibus triumphis ad amorem peregrinandi accenſus eſt, cuius vexillum exercitus trecentorum milium de Aquitania & Gaſconia, alijſque regionibus Heſperiæ ſecutus eſt.* Inter Aquitanos non contemnendæ vires Lebretij Dynaſtæ, qui Vuallenſi principi quærenti, quas ei ſuppetias laturus eſſet in expeditione aduersùs regem Caſtellæ? ſe lectis ſuis hominibus facilè cum mille lanceis adfuturum reſpondit, non deſtituto ditionis ſuæ præſidio, vt narrat Froſſardus. Poteſtatis apice adeò polluit Comes Flandrenſis, vt eum Regni baculum nuncupârit Bernardus Clareuallenſis in Epiſtola, ad Ioſlenum Sueſſionenſem Epiſcopum, & Sugerium Abbatem ſancti Dionyſij: *Nonne*, inquit, *conſanguineus Regis, & baculus Regni Comes*

li. 4. de geſt. Reg. anglor. A. C. 1091.

lib. 12. hiſt. Eccleſ. A. C. 1099.

vol. 3. c. 133.

ep. 222.

Flandrenſis eſt. Denique ea de Gallicis Ducibus, & Comitibus fama & opinio peruenit ad Græcos, vt eos αὐτεξουσίους rati ſint. Arduinum, Ducem Gallum cum copijs à Græcis in Siciliam aduersùs Sarracenos euocatum memorat Cedrenus, Philippi I. coæuus, quem regionis cuiuſdam Dominum ſuæ poteſtatis compotem ſignat. ἔτυχε προσεταιρισάμενος καὶ Φράγγους πεντακοσίους ἀπὸ τῶν πέραν τῶν ἄλπεων Γαλλιῶν μεταπεμφθέντας, καὶ ἀρχηγὸν ἔχοντας Ἀρδουῖνον τὴν κλῆσιν, χώρας τινὸς ἄρχοντα καὶ ὑπὸ μηδενὸς ἀγόμενον: *Socios ſibi adſciuit, quingentos Francos è Gallia Tranſalpina euocatos, duce Arduino cuiuſdam regionis Domino nemini ſubdito.* Nec in militia & republica ſolùm, ſed etiam in re priuata, & in ipſis epulis claruit poteſtas Ducum & Comitum, ità vt inſtar principum opertis ferculis, & quadris corniculatis, id eſt ſubtiliſſimis mantilibus in corniculi ſpeciem adornatis vterentur. Philippum Arteuellam Belgici tumultus principem, operti ferculi pompâ, Flandrenſi Comiti ſe adæquaſſe teſtis eſt Froſſardus. *Tant comme il fut à Bruges, il tint eſtat de Prince; car tous les iours par ſes Meneſtriers il faiſoit ſonner, & corner deuant ſon Hoſtel à ſes diſnées & ſoupées, & ſe faiſoit ſeruir en vaiſſelles couuertes d'argent, ainſi comme s'il fut Comte de Flandres.* Petrum de Bornazello, cùm legatus in Scotiam mitteretur, iter expedientem per Belgas, more principum corniculatæ quadræ ſchemate vſum, non ſinè Flandrenſis Comitis inuidia, refert idem Froſſardus: *Auſſi laiſſoit-il corner l'aſſiete de ſon diſner, & faiſoit porter vne eſpée toute engainée, & armoyée, moult richement d'or & d'argent.* Vt altiùs dignitatem Comitum perſcrutemur, en Patres Gallicani, quorum elogio, ſumma dignitatis à Rege ipſis delata.

In Conſtantin. Monomach. p. 633

vol. 1. c. 100.

vol. 2. ch. 30.

Conciliũ Cabillonenſe II. *Si inter omnes fideles pax & concordia habẽda eſt, multò magis inter Epiſcopos & Comites eſſe debet, qui poſt imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt.* Can. 20. Hoc dignitatis fœdere regum teſtamentis & diplomatibus ſubſcripſere Duces & Comites, vt paſſim occurrit: ſubſcriptioni acceſſit juſiurandum: ſacramento Ducum & Comitum, ſancitum Caroli M. teſtamentum. Ado Viennenſis: *Imperator*, inquit, *inter filios ſuos regna diuidit, vt ſciret quiſque ſi ſuperſtes eſſet, quam partem tueri & regere debuiſſet: teſtamentum inde factum, & iureiurando ab optimatibus Francorũ confirmatum, & Leoni Papæ miſſum, vt manu ſua ſubſcriberet.* in Chron. ætat. 6. id. ann. Carol. reg. 2. chrõ. Sed & reges per Comites iuraſſe notum eſt: Nicolaus I. Pap. *Denique quando Lotharius Rex vxorem ſibi debitam ſæpeſatam ſcilicet Theupergam in præſentia Miſſi noſtri reſumpſit, duodecim illuſtres Comites juramento ſuâ vice repromittere iuſſit, ſe de cætero ita Theupergam fore retenturum & tractaturum, quemadmodum regem legitimam coniugem ſuam reginam retinere conuenit & tractare.* ep. 58. Idem Gothis ſolenne. Athalaricus rex Gothorum ad Senatum, ex Caſſiodoro: *Illuſtrem Sigiſmerem Comitem noſtrum vobis cum his qui directi ſunt fecimus ſacramenta præſtare.* lib. 8. var. ep. 2. Et idem ad Gothos: *Illum verò Comitem vobis fecimus iuratâ voce promittere, vt ſicut nobis veſtrum animum deuotiſſimè proditis, ſic optata de noſtris ſenſibus audiatis.* eod. lib. ep. 5. His incrementis eò prorupit audacia noſtrorum Ducum & Comitum, vt præfecturas & Comitatus eodem jure, quo rex ditionem ſuam ſe tenere palàm iactitarẽt. Proteruè Adelbertus Comes Petragoricenſis cum vrbem Turonum obſideret, ab Hugone & Roberto regibus admonitus nequaquam obſidione temperauit, ſed principibus per miſſum quærentibus; *Quis te*, inquiunt, *Co-*

mitem conſtituit? reſpondit, *Qui vos Reges conſtituerunt:* ex fragmento Pithœano Hiſtoriæ Aquitanicæ.

Cap. XVI.

Lex Salica. Succeſſio iure Francorum.

Ex Salica eſt, ſiue conſuetudo Francorum, vt Salicæ, id eſt auitæ terræ exortes ſint omnino mulieres: *De terra verò Salica,* inquit, *nulla portio hereditatis mulieri veniat, ſed ad virilem ſexum tota terræ hereditas perueniat.* Eadem fuit lex Anglis & Thuringis; *Ne tranſiret hereditas à lancea ad fuſum.* Eadem Armenijs, ſed à Iuſtiniano damnata: Perpetua verò, & inuicta hæc lex in ſucceſſione regni Francorum, & à Græcis quoque laudata. Agathias: οὕτω μὲν οὖν οἱ Φράγγοι ἄριστα βιοῦντες, σφῶν τε αὐτῶν καὶ τῶν περιοίκων κρατοῦσι, παῖδες ἐκ πατέρων τὴν βασιλείαν διαδεχόμενοι: Et paulò pòſt. διαδέχεται δὲ τὴν ἀρχὴν Θευδίβαλδος ὁ παῖς ὃς δὴ εἰ καὶ νέος ἦν κομιδῆ, καὶ ἔτι ὑπὸ παιδοκόμῳ πιθηνούμενος, ἀλλ' ἐκάλει τε αὐτὸν εἰς τὴν ἡγεμονίαν ὁ πάτριος νόμος: *Franci itaque hoc modo optimè vitam ſuam inſtituentes, & ſibi ipſis, & finitimis imperant, filij patribus in regnum ſuccedunt, Theodibaldus itaque eius filius in regno ſuccedit, qui quidem tametſi iuuenis admodùm atque adhuc ſub magiſtri cura, inſtitutionéque eſſet, patria tamen lex ad regnum eum vocabat:* Accedit Cedrenus. ἱστόρηται δὲ ὅτι ἔθος ἦν τὸν ῥῆγα Φραγγίας κατὰ γένος ἄρχειν: *Fertur Regem Francorum ex conſuetudine per ſtirpem regnare.* Maſculam & viris fortibus dignam legem è noſtris animosè defendit Fulco Rhemenſis Archiepiſcopus, aduerſùs Arnulphum Imperatorem per

t. t. 61. de alod.

tit. 6 de alod.

Nou. Iuſt. 27. edict. 3. Cuiac. 8. Obſer. 14. lib. 1.

in Leone.

Epiſtolam

Epiſtolam cuius excerptum Frodoardi beneficio ad nos peruenit : *De eo quoque quòd ſinè ipſius Arnulfi conſilio præſumpſerint hoc agere, morem Francorũ gentis aſſerit ſecutos ſe fuiſſe, quorum mos ſemper fuerit vt Rege decedente alium de Regis ſtirpe vel ſucceſſione ſinè reſpectu, vel interrogatione cuiuſquam majoris, aut potentioris Regis eligerent.* Hâc lege Eduardus Rex Anglorum parium judicio ſubmotus regni ſucceſſione, quam ſibi vindicabat iure materno, vt ſcripſit Froſſardus. Francis diſplicuit hæc lex in priuatorum ſucceſſione, ſi fides Marculphi Formulæ, quæ ſorores cum fratribus in alodis ſucceſſionem acciuit. Sed lex Francorum fortè intermortua, reuixit inualeſcente Ducum & Comitum dynaſtiâ. Exin conſuetudine legis vicariâ, vnus è maſculis natu grandior apud proceres in ius vniuerſum ſucceſſit, ídque ſucceſſionis genus è iure Francorum nomen accepit in Burgundia, & alijs pleriſque Occiduæ Franciæ prouincijs vſu receptum, locuples teſtis eſt Otho Friſingenſis : *Mos in illa* (Burgundia) *qui penè in omnibus Galliæ prouincijs ſeruatur remanſit; quòd ſemper ſeniori fratri, eiúſque liberis, ſeu maribus, ſeu fœminis, paternæ hereditatis cedat auctoritas : ceteris ad illum tamquam ad Dominum reſpicientibus.* Conſtans fuit & lex in ſucceſſione Flandrenſis Comitatus, vt vnus è liberis, maximè natu major ſolidum ferret, fratribus ſinè re & ſolatio deſidentibus. Lambertus Schafnaburgenſis : *In Comitatu Balduuini eiúſque familia id multis iam ſeculis ſeruabatur, quaſi ſancitum lege perpetuâ, vt vnus filiorum qui patri potiſſimùm placuiſſet, nomen patris acciperet, & totius Flandriæ principatum ſolus hereditariâ ſucceſſione obtineret : ceteri verò fratres aut huic ſubditi, dictóque obtemperantes ingloriam vitam ducerent, aut peregrè profecti*

lib. 4. hiſt. Rhem. c. 5.

vol. 1. c. 4. & 22.

lib. 2. form. c. 12. & ibid. Bignon.

li. 1. de geſt. Frid. c. 30.

lib. de reb. geſt. Germ.

magis proprijs rebus geſtis florere contenderent, quàm deſidiæ, ac ſocordiæ dediti egeſtatem ſuam vanâ malorum opinione conſolarentur. Nec indigenis Francis modò, ſed & Germanis exceptum Francicum id ius ſuccedendi, illuſtriũ familiarum tuendarum gratiâ. Petrus de Vineis: *Viuens iure Francorum in eo videlicet, quòd major natu, excluſis minoribus fratribus & coheredibus, in caſtro ipſo ſuccedat, inter eos nullo tempore diuidendo.* Nec eſt quòd miremur huiuſmodi inter priuatos de ſucceſſionibus leges, reipublicæ non inuiſas, poſtquàm iam olim à primordijs Romanæ reipublicæ gentilitiæ clariſſimis familijs fuere leges & inſtituta: hinc gentis Manliæ decreto exactum Marci Manlij nomen, ex quo M. Manlij facinore notatum. Liuius: *Gentis Manliæ decreto cautum eſt, ne quis M. Manlius vocaretur.* Nec diſſimile gentis Claudiæ decretum laudat Tranquillus: *Gens Claudia Lucij prænomen conſenſu repudiauit, poſtquàm è duobus gentilibus præditis eo, alter latrocinij, cædis alter conuictus eſt.*

lib. 6. ep. 25.

lib. 9.

in Tiberio. cap. 1.

Cap. XVII.

Marchiones.

INTER Comites prouinciales, limitanei Comites, Marchiones noſtris dicti, quaſi Marchis, ſeu limitibus præpoſiti. Ioannes VIII. P. in Epiſtolâ ad Carolum Caluum: *Quidam, inquit, videlicet ex confinibus & vicinis noſtris, quos Marchiones ſolitò nuncupatis.* Continuator Aymoini: *Relictis tantùm Marchionibus, qui fines regni tuentes omnes, ſi fortè ingruerent hoſtium arcerent incurſus.* Vita Ludouici P.: *Cùm ad hoc penè totius Saxoniæ Comites cum Marchionibus illi*

ep. 21.

lib. 5. c. 2.

conueniſſent. Alij Marchiſos dixere. Adreualdus : *Ac primùm Marchiſis Britannici limitis inter ſe graui perduellione diſſidentibus, bellum oritur, vtrique lugubre parti.* Hincmarus Rhemenſis : *Si inter Marchiſos in qualibet Regni parte ad aliud tempus dextræ datæ fuiſſent.* Ineptè Græci eandem Latinis Marchionis eſſe dignitatem, quæ Auguſtis ſuis eſſet ſigniferi. Gregoras : ὅπερ ἐν τοῖς ῥωμαίων στρατεύμασιν ὁ τὴν βασιλικὴν κατέχων σημαίαν, τοῦτο παρὰ λατίνοις μαρχέσιος, *Quem apud Romanos dignitatis gradum tenet is, qui vexillum imperatorium geſtat, eundem tenet apud Latinos Marchio.* Quò pertinet quod idem ſcribit Longobardiæ Ducem, Marchionis dignitate adornatum, aſcito perpetuo iure præferendi Imperatori vexilli. Francis Marchionum nomen ad quoſque Duces & Comites detortum. Odo Cluniacenſis, ſcriptor vitæ S. Geraldi, Comitis Aureliacenſis : *Frequenter è quibuſdam prouinciarum laceſſitus eſt, nam Reipublicæ ſtatu iam nimis turbato, regales Vaſſos inſolentia Marchionum ſibi ſubiugauerat.* Gualterus Taruanenſis, de Carolo Comite Flandrenſi : *Verùm hic noſter Marchio venerabilis Carolus ſuis correptoribus manſuetum ſe, & humilem exhibebat.* Hinc Aymoïni Continuatori celebratur Hugo, è regio ſtemmate : *Abbas & Marchio* : & alio loco. *Robertus Comes Pariſiorum, Marchio Francorum vocitatur* : & promiſcuè Marchiones, ſeu præfecti limitum Comites, dici amant: Vita Caroli M. *Ipſo tempore Aureolus Comes de genere felicis Aureoli Petragoricenſis Comitis, qui in commercio Hiſpaniæ atque Galliæ trans Pyrenæum cōtra Oſcam & Cæſarauguſtam reſidebat, defunctus eſt.* Labente tamen æuo Marchiones primum à Ducibus honoris locum tenuere, & Comites præiuere, vt in conſtitutione Friderici I. apud

lib. 1. de mirac. S. Bened. c. 33.
ep. 3. c. 30.
lib. 7.
lib. eod.
lib. 1. de vit. S. Gerald. c. 31.
in vit. Caroli Comit. Fland. c. 11.
lib. 5. c. 33. 34. & 42.

in Chron. ad A.C.1187. Abbatem Vrſpergenſem : *Marchiones, Palatini, Comites, Lantgrauij, & Comites alij.* Et in libris Feudorum : *Dux, Marchio, & Comes ſimiliter feudum dare poſſunt.* Et alio apice ; *Quis dicatur Dux, Marchio, Comes.*

Cap. XVIII.
Vice-Comites.

VICARIOS Comitum poſterior ætas Vice-Comites dicere maluit ; vnde Vice-Comitiam rectè Vicariam interpretatur Ordericus Vitalis. Sic enim reſtituendus is locus: lib. 5. hiſt. Eccleſ. *Vice-Comitiam, id eſt Vicariam* (pro Viariam) *quantam habebant in villarijs vaſtatis.* Attamen Vice-Comitum nomen priùs auditum quàm opinentur nonnulli ; iam enim à Carolo deductum obſeruo. Receptâ a Sarracenis Narbonâ Henricum Vice-Comitis titulo ei præfecit Carolus M. autore Marineo. lib.9.de reb. Hiſpan. E Concilio Trecenſi Epiſtolam inſcripſit Ioannes VIII. P. *Omnibus Epiſcopis, Comitibus, Vice-Comitibus, Centenarijs, iudicibus Catholicis in Hiſpania, & Gothia, & prouincijs degentibus*, quam part.3.c.98. decreto intexuit Yuo Carnotenſis: nec non Lindoinum Vice-Comitem in Narbonenſi diœceſi memorat idem ep. 102. Pontifex in Epiſtola ad Mironem : *Lindoïnum quoque Vice-Comitem audimus poteſtate (vti horrendè denuncio) vti ſacerdotali in Parochia Sigebodi Narbonenſis Archiepiſcopi, Presbyteróſque tuos in eius exteris ſubrogare Eccleſijs.* Et rurep. 125. ſus in alia Epiſtola meminit Gerardi Vice-Comitis : è noſtratibus Odoni Cluniacenſi, ſcriptori vitæ ſancti Geraldi ; memoratur Benedictus Vice-Comes Toloſæ. lib.2.de vit. S. Gerald. c. 18. *Raimundum*, inquit, *noueratis Comitem filium, videlicet*

Odonis, hic nepotem domni Geraldi, nomine Benedictum, Toloſæ videlicet Vice-Comitẽ dolo captum tenebat. Atque ab eo tempore increbuere Vice-Comites. Laudatur Aymoïni Continuatori Fulco Vice-Comes Vuaſtinenſis ſub Roberti æuum, & Vice-Comes de Polinaco. Roberto Montenſi, & Matthæo Paris Vice-Comes de Torinna. Goffrido Vindocinenſi Vice-Comes de Malo Leone in pago Pictauienſi. Et vt Comites honoris cauſâ conſules dixere; ſic & Vice-Comites proconſules. Ioannes Saresberienſis: *Apud proconſules quos noſtrates vulgariter dicunt iuſticias eſſe errantes.* Et paulò pòſt: *Nam de Vice-Comitibus & iuſticijs; quæ vt vulgari noſtro vtar rectè dicuntur, nihil tale auditur.* Comitum exemplo Vice-Comites in Gallia præfecturas in rem priuatam conuertêre; at in Anglia Vice-Comites Magiſtratuum, & juridicorum lineam non exceſſerunt, vnde juſticias, & juſticiarios nuncuparunt. Pręter Saresberienſem, Matthæus Paris: *Et Vice-Comitis agens vices, laïcali ſe foro immiſcuit.* Et alio loco: *Ranulphum de Glanvilla juſticiarium, & fere omnes Vice-Comites Angliæ.* Matthæus Vueſtmonaſterienſis: *Emanauit à Cancellaria breue Domini Regis ad omnes Vice-Comites, in quorum Bailliuis ſolebant viatoribus imminere pericula.*

lib. 5. c. 47. 52. 56.

Robert. Mont. A.C. 1177.

M. Paris. A.C. 1190.

lib. 1. ep. 21.

lib. 5. policrat. c. 15. & 16.

A.C. 1175.

A.C. 1188.

A.C. 1260.

CAP. XIX.

Caſus Ducum, & Comitum. Eccleſiæ vindicata, à Ducibus, & Comitibus.

HACTENVS Ducum & Comitum ortus, incrementa, & ſucceſſus, & in his pertentata Regalia, ſatis, ſupérque proſecuti ſumus: nunc ad horum occaſum, ſtylum conuertamus. Hæ ſunt rerum vices, hi fortunæ ludi, ijdem orbis, ac imperij Romani fuere fines, cuius hodiè præter nomen nihil fere reſtat: iacent cadauera magnarum quondam vrbium, gleba eſt vbi quondam Troia fuit, aratrum paſſa Carthago, Roma ipſa gentium Domina ruinis deformis, vt in vrbe vrbem quæramus: ætatum vitium ferunt illuſtriores familiæ ſibi ſuperſtites & ingloriæ, quibus vnum ſolatium fumoſæ imagines. Cùm hæc ſcribo en poteſtas Hiſpanica, quæ ab æuo de Orbis imperio certabat, modò de ſalute deſperat, hinc Luſitaniam, inde Catalaniam auulſam ingemit, nutantem Italiam, expugnatam Perpiniani arcem, reſerata clauſtra Iberiæ, æternos naturæ obices perruptos. Hoc rerum fato, deficiente regum alterius gentis majeſtate, nimiùm intumuere Duces & Comites: verùm redeunte ad ſe majeſtate regni, in ordinem redacti, & ad nutum principis omnino compoſiti: quâ ratione, & conſilio id factum ſit expendamus. Duces & Comites in perniciem maximè adduxit rapina & latrocinium Eccleſiarum: Regibus, tamquam Aduocatis, & defenſoribus ad vlciſcendas numinis, & ſuimet injurias armatâ manu aduolantibus: exemplis rem probo. Lugebat Eccleſia Aquita-

nica ſub prædone Vuaifario Duce, iuſtitias, id eſt res Eccleſiarum paſſim rapiente: hac de cauſa in eum mouit Pipinus, audaciam hominis armis compeſcuit, & vt res Eccleſiæ reſtitueret, ſacramento, & obſidibus receptis adegit. Annales Francorum: *Tunc Pipinus Rex cernens Vuaffarium Ducem Aquitaniorum minimè conſentire iuſtitias Eccleſiarum partibus quæ erant in Francia, conſilium fecit cum Francis, vt iter ageret ſupradictas juſtitias quærendo in Aquitania, & peruenit vſque in locum, qui dicitur Theodoad: & cùm hæc vidiſſet Vaffarius miſit miſſos ſuos Adetbertum & Dadinum, & dedit obſides Adalgarium & Aiterium Regi Pipino, vt omnia redderet, & quicquid ſupra dictus Rex quærebat in cauſis Eccleſiaſticis.* A Roberto, Comitatu exactus Rainardus, Comes Senonenſis, quòd in Leothericum Archiepiſcopum, & res Eccleſiæ tyrannidem exerceret, teſte Aymoïni Continuatore: à Ludouico Craſſo, armis ad ſanam frugẽ coacti infenſiſſimi hoſtes Eccleſiarum, Burchardus Montmorenciacenſis Dionyſiani cœnobij, Ebalus Comes Ruciacenſis Rhemenſis Eccleſiæ, Lermus Aurelianenſis, Euſtachius Comes Aruernenſis, Eccleſiæ Aruernenſis, precibus Epiſcoporum, & maximè Claromontenſis, *ancillatam Eccleſiam exancillari*, excito rege, de quo Sugerius, & Aymoïni Continuator conſentiunt. Comitatu ſpoliatus Guillelmus Comes Matiſconenſis à Ludouico Craſſo, ex Paradino, vel potiùs à Ludouico Iuniore, ex Continuatore Aymoïni, cuius fides præſtat, quòd Eccleſiarum, & maximè Cluniacenſium bonis infeſtus eſſet, íſque eſt quem à dæmone raptum ſcribit Petrus Cluniacenſis. Comitatu itidem multatus Guido Comes Aruernorum ob deprædationem Claromontenſis Eccleſiæ, vt nar-

lib. 5. c. 47.

Suger. in vit. Lud. Groſſ. Cont. Aymoin. lib. 5. c. 49.

lib. 5. c. 56.

lib. 2. mirac. cap. 2.

A.C.1209. rant Rigordus, & Guillelmus Brito. Plura eius rei lib.8. Philippid. argumenta contexere in promptu eſſet, ſed conſultò abſtineo, ne lectori nauſeam pariam, conſilium regium dìgito demonſtraſſe mihi ſatîs eſt.

Cap. XX.

Lapſus Ducum, & Comitum ob ſumptus Sacrarum expeditionum.

SVmma Regni ars eſt, proceres vt plurimùm rerum nouarum cupidos in officio continere, τὸ τοὺς ὑπερέχοντας κολούειν, *Eminentiores decurtare*, inquit Ariſtoteles: potentiores Reipublicæ graues & moleſtos, tamquam ſpinas è ſegete tollendos Veſpaſiano ſuaſit Apollonius Tyanenſis ex Philoſtrato. Hâc arte tuta regni majeſtas, Eccleſiarum & plebis quies, tam altùm Regum animis inſederat conſilium, euindicandæ poteſtatis ab injuſtis poſſeſſoribus, & caſtigandæ optimatum proteruiæ: Conſilio fortuna manus præbuit. Condictâ ſacrâ in Syriam expeditione illicò militiæ nomen dedere plerique Duces, Comites, & milites, & in fœnore duxerunt pietatis causâ patrimonium effundere. Igitur ſumptus bellici, & itineris tranſmarini gratiâ, Comitatus & feuda diſtrahere, vel inuadiare, id eſt pignori dare coacti ſunt: inter ceteros Bullonio ipſi caſtro non pepercit Gothofredus Lotharingus, expeditionis princeps, ídque pignorauit Leodienſi Epiſcopo, pecuniæ in bellum ſacrum expediendæ gratiâ, pluréſque pietatis æmulos nactus eſt. Ordericus Vitalis: *Tunc Godefridus Lotharingiæ Dux, Bulloniem caſtrum cum omnibus appendicijs ſuis Epiſcopo*

lib.5. polit. cap. 11.

lib.5. de vit. Apoll. c.13.

copo Leodicenſi Domino ſuo inuadiauit, & ab eo ſeptem millia lib. 9. c. 8.
marcas argenti recepit: ſic alij plures opulenti & pauperes, prædia, redditúſque ſuos diſtraxerunt, ac pecuniam ad ineundum iter in Hieruſalem procurauerunt. Hoc pacto Guillelmus Comes Pictauienſis, & Dux Aquitanorum Comitatum Toloſanum iure vxorio partum, Raimundo Comiti S. Aegidij in tranſmarinæ peregrinationis ſubſidium inuadiauit. Chronicon Normannorum: *Si quis autem requirit,* A.C. 1158. id. Robert. Montenſ.
quomodo Comes ſancti Ægidij habuit ciuitatem Tholoſam, nouerit quòd prædictus Vuillelmus Comes Pictauenſis, & Dux A.C. 1160. Guillelm. Neubrig. lib. 3. c. 10.
Aquitanorum inuadiauit eandem ciuitatem Raimundo Comiti ſancti Aegidij, patruo vxoris ſuæ, propter pecuniam quam idem Vuillelmus in expeditione Hieroſolymitana expendit. Eiuſdem commilitij gratiâ Robertus Dux Normannorum Normanniam Guillelmo Anglorum Regi germano ſuo pignorauit. Matthæus Paris: *Hoc denique tempore Ro-* in Guillelm. A.C. 1095. id. Matth. Vueſtmon. eod. ann.
bertus Dux Normanniæ cruceſignatus iter Hieroſolymitanum omnium peregrinorum nouiſſimus arripiens, poſuit Normanniam in vadimonium fratri ſuo Regi Vuillelmo, acceptis ab eo decies mille libris argenti. Eodem pietatis œſtro percitus Hirpinus Biturigum Comes, Comitatum ſuum alienauit in Philippum I. Francorum Regem. Aymoïni Con- lib. 5. c. 47.
tinuator: *Philippus Rex autem videns,* inquit, *dominium ſuum per inſolentiam prædeceſſorum ſuorum eſſe diminutum, & fere adnihilatum, cupiénſque illud reaugere, à quodam milite Harpino nomine emit Bituricas precio ſexaginta millium ſolidorum.* Iſque in bello captus à Sarracenis, & poſt trimam cuſtodiam Byſantini Imperatoris gratiâ & ope abſolutus, ſalutato redemptore, redijt in Galliam vacuus & inanis, & redux neceſſitate, an conſilio, monachum profeſſus eſt Cluniaci, vbi vitam exegit: Teſtes ſunt

Ordericus Vitalis, Albertus Aquenſis, Guibertus Abbas.
lib. 10. hiſt. Eccleſ. lib. 9. c. 1. & 6. lib. 7. c. 21. Nec minori pietatis æſtu in expeditionem Sarracenicam, quæ auſpicijs D. Ludouici ſuſcepta, Duces, Comitéſve, & alij viri nobiles feuda & prædia, ſumptûs militaris gratiâ paſſim proſcripſere, vt terram redimerent à Barbaris, quam Chriſtus veſtigijs, & ſanguine ſuo ſacrauerat.
A. C. 1249. Matthæus Paris: *Anno quoque ſub eodem, Rogerus de Muhat, vnus de nobilioribus Angliæ Baronibus cruce ſignatus partem ſuam in ſyluis & alijs reditibus quos habebat apud Conuentre, Priori & Conuentui eiuſdem loci, pro magna ſumma pecuniæ, vt ſibi in viaticis prouideret, ad feudofirmam dimiſit, & multa alienauit, & multa irreuocabiliter vendidit, ſicut & alij nobiles tam de tranſmarinis, quàm de partibus ciſmarinis.* Tot ſumptibus exhauſti proceres, & virium fiduciâ deſtituti reuerentiùs ſe habuere in principem, & Majeſtatem colere didicerunt, atque interim dum peregrè abeſſent, præfecti regij arreptâ occaſione, juriſdictionem regiam omnibus modis ſtabilire, & clientes Ducum, Comitúmve ad forum regium reuocare eniſi. Idcircò Ioinuilla, Seneſcallus Campaniæ, D. Ludouico ſecundâ in expeditione Sarracenica ſe comitem abnuit, quòd ſe in priori verſante, præfecti Regij graues clientibus ſuis moleſtias intuliſſent.

Cap. XXI.

Reünio Ducatuum, & Comitatuum, ex pacto, emptione, vel nuptijs.

FLVMINA è mari effluunt, & in mare merguntur, nihilo tot fluminum acceſſione exundans: è gremio imperij Gallici abſciſſi fuerant Ducatus & Comitatus, tandémque ad ſuum fontem poſtliminiò redierunt, & fœdum vulneribus corpus cicatrices obduxit. Tanti operis fundamenta aggreſſi diui Principes Hugo, & Robertus, tertiæ gentis parentes, & arcanum regni poſteris tradidere. Auſpicatò Robertus ab Henrico Burgundionum Duce ſinè liberis defuncto heres ſcriptus, fractis Guillelmo Comite Tranſagonāno, & Guillelmo Comite Niuernenſi rebellantibus, Henricum filium Burgundiæ Ducem impoſuit, cui rerum potitò, Robertus ipſius germanus in Ducatum ſucceſſit, de quo auctor Chronici Floriacenſis, Vuillelmus Gemiticenſis, & Aymoïni Continuator. Ducum & Comitum caſum impulere mutua inter eos diſſidia, & priuata bella. Decertante Fulcone Rechino Comite, cum Gothofredo Barbato Andium Comite, Vaſtinenſem pagum ex donationis cauſa à Fulcone accepit Philippus I. quo fratris partibus abſtineret, & diſcriminis ſpectator ſederet. Aymoïni Cōtinuator: *Poſteà verò motum eſt bellum inter Gaufridum Barbatum, Andegauenſium Comitē, & fratrem eius Fulconem Rechin, Comitem Vuaſtinenſium; conquerens ſiquidem prædictus Fulco de fratre ſuo, ſuper eo quòd ei paruam terræ partem dediſſet, Regem adijt, & fideliter compromiſit, quòd totum Vuaſtinenſe ei relinqueret, ſi de bello ſibi non noce-*

Chron. Flor. init. Vuill. Gemit. li. 5. c. 15. Aym. Cont. lib. 5. c. 47.

lib. 5. 6. 47.

ret: Rex autem ſuper hoc accepto conſilio, quod petebat conceſſit. Inuadens igitur Fulco fratrem ſuum per auxilium Andegauenſiũ, & Turonenſium Baronũ, hominũ multâ ſtrage factâ cum in cãpo deuicit, cepit, & vſque ad finẽ vitæ ſuæ in carcere tenuit: quâ peractâ expeditione, Vuaſtinẽſe, ſicut promiſerat Regi vuerpiuit. Ex venditione ſexagenis numûm aureorum millibus, Comitatum Bituricenſem recepit Philippus I. ab Hirpino Comite in ſacrum bellum accincto, vt modò obſeruaui ex Continuatore Aymoïni. Toloſanus Comitatus periucundâ confuſione, & incruento parandi genere in ius regni reuerſus, nempe medijs nuptijs Ioannæ Toloſanæ, & Alphonſi Comitis Pictonum, germani D. Ludouici, commiſsâ lege nuptialibus tabulis dictâ, vt ijs ſinè liberis fato functis, Comitatus in fiſcum cederet. Regno etiam parta Campania, læto Philippi Pulchri connubio cum Ioanna herede Henrici Nauarræ, & Comitis Campaniæ. Eodem pacto Armorica antè impacata prouincia cum regno coïuit, per Caroli VIII. nuptias cum Anna Duciſſa: Nempe diuinis Regum mentibus vna fuit voluptas, vnum nuptiarum votum regni reſtitutio, & reipublicæ potiùs, quàm ſibi vxor ducta, & adamata. Teſtamento Hugonis Luſiniani heres ſcriptus Philippus Pulcer, & fiſcus adauctus trino Comitatu Luſiniano, Engoliſmenſi, & Marchiæ, obmurmurantibus legitimis heredibus, captatam inſtitutionem: facilè conciliatum ſilentium injectâ offâ, & aliquantulo ſolatio eis relicto, vt narrant Stephanus de Luſiniano, ſcriptor rerum Cypriarum, & Nicolaus
A.C. 1307. Vignerius. Ab Humberto Viennenſi Delphino, ſtudio veræ Philoſophiæ, id eſt religionis, eiuratus principatus, & Philippo Valeſio, natúque majori Galliæ principi

perpetuâ lege transfuſus. Ex venditione Monſpeſſulanus Comitatus à Philippo Valeſio, Ioannis Balearium reguli manibus exemptus, ære exhauſtus fiſcus: vt populorum ſanguini, & crebris bellorum cauſis parceretur, maluere Reges piiſſimi nundinatores prouinciarum, quàm triumphatores videri, magis de prouincialium ſalute, quàm de ſuimet nominis gloria ſoliciti A Renato Comitatum Andegauenſem emunxit induſtria Ludouici XI. Ex teſtamento Caroli Comitis in ius regni confluxit Comitatus Prouinciæ, herede ſcripto eodem Ludouico, cui & Gallia aſſertum refert Burgundiæ Ducatum. Plura huius rei argumenta omitto, quæ Chopinus abundè collegit in libris de domanio, ſatîs ex his aperietur eleuatio Ducum, & Comitum.

Proſcriptio Ducatuum, & Comitatuum. Reſtitutio Electionum.

SVo ſcelere concidêre etiam Duces & Comites, & iuſtas fiſco pœnas luerunt bonorum proſcriptione. Iure commiſſi ab Anglis recepta feuda quotquot hi tenebant in Gallia, nempe Ducatus Normanniæ, & Aquitaniæ, Comitatus Pictonum, Andium, Cenomannorum. Arturo Duce Britonum, & iuſto Angliæ herede, nefariè occiſo à Ioanne ipſius patruo, Philippus Auguſtus Ioannem parricidij reum factũ, apud ſe, & Pares Galliarum & ſolennibus edictis vocatum, per contumaciam proſcripſit, & feuda quæ is tenebat in Gallia fiſco commiſſa: hoc iure Rhotomagum obſedit, & per deditionem recepit, & cum ea vniuerſam Normanniam, cuius rei famâ perterriti Aquitani,

Pictones, Turones, Andes confeſtim in Philippi obſequium ierunt, vt narrant Rigordus, Guillelmus Brito, & alij Scriptores: qua de re exſtat decretalis Epiſtola Innocentij III. Variâ ſorte vſa Aquitania, & diuturnis iactata bellis, nimiâ religione D. Ludouicus pactis cum Henrico III. Anglorum rege conditionibus anno M. CC. LIX. ei Aquitaniæ partem præter ſuorum ſententiam remiſit, vt fatentur Matthæus Paris, Thomas Vualſingan, & Ioinvilla. Anno M. CC. XCIII. Burdegalam & quicquid erat ditionis Anglicæ in Aquitania recepit Philippus Pulcer, obtentu clarigationis rerũ ab Anglis raptarum; ſed rurſum pacto fœdere anno M. CCCXXV. cuncta in poteſtatẽ Anglorum rediere; Imò Ioanne infeliciter capto in prælio Pictauienſi, regis redimendi gratiâ Anglis dimiſſa vniuerſa Aquitania, cum alijs luculentis ditionibus, & ſic res ſe habuerunt, donec Aquitaniâ à Carolo VII. tandem receptâ, & Angli continenti exacti, præterquàm Caleto. Denique ſi poſteriores ætates perluſtres, facilè comperies Ducatus, & Comitatus majorum proteruiâ prouectos, eodem ſcelere corruiſſe in fiſcum. Nonnihil etiam ad coërcendam Dynaſtarum elationem & faſtum, adiumento fuit ſacrarum electionum reſtitutio, iam à Capetiæ gentis exordijs; quamdiu enim pontificatus omnino in regia manu verſabantur, his palatini & nobiliores, gratiâ, vel natalium commendatione perfacilè obrepebant; minores verò clerici latebant: ſed re redactâ ad Capetios reſtitutæ electiones, & Regibus curæ fuit, vt in eligendis magis virtus & ſcientia, quàm genus ſpectaretur: quæ res potentiorum animos nimis malè affecit in Robertum, de quo Glaber Rodulphus: *Si qua enim pontifi-*

A.C. 1200.

in c. nouit. de iudic.

A.C. 1259.

lib. 3. c. 2.

calis ſedes in ſuo regno, proprio viduaretur præſule, cura erat maxima, vt vtilis paſtor, licèt genere infimus, reſtitueretur Eccleſiæ, potiùs quàm nobilitatis eligeretur perſona ſecularis pompæ: qua de cauſa etiam primates Regni ſenſit plurimùm contumaces, qui deſpectis humilibus ſui ſimiles eligebant ſuperbos. Eo nomine Philippum A. laudat Cæſarius, quòd Emelricum, vnum ex Canonicis Laudunenſibus electum in Epiſcopum Laudunenſem, ſinè vlla dignitatis commendatione præſentatum libenter admiſit. Repulſæ meritò cauſam dederint corrupti hâc tempeſtate nobilium clericorum mores, dum ferro magis, quàm lege agerent, & paſſim cæde pollutas manus altaribus inferrent, vt eos à ſacris dignitatibus arcendos duxerit Bernardus Clareuallenſis, in Epiſtola ad Innocentium II. *Vnum è duobus*, inquit, *fere neceſſe eſt, aut nullos ex nobilibus ſiue potentibus ſecundùm hoc ſeculum, admitti deinceps ad honores Eccleſiaſticos; aut paſſim ad omne illicitum permitti liberè clericos ſacris abuti officijs, ne fortè ſi quiſpiam zelo Dei accenſus prohibere tentauerit, ferro illicò militari reus iuſtitiæ trucidetur.* Denique his conſilijs, & alijs, quæ priuato imperuia (quî enim altas regum mentes penetrare liceat) ruinas ſuas inſtaurauit reſpublica, majeſtas regni intermortua reuiruit, Gallia ſibi, ſuíſque Dominis reddita vnam Regum purpuram adorauit, acciſi Duces & Comites prouinciales, illorúmque vices ſubiere Seneſcalli & Bailliui, temporarij magiſtratus, de quibus dicendum reſtat.

lib. 6. de mirac. c. 13.

ep. 152.

Cap. XXIII. & vltimum.
Inſtitutio Seneſcallorum, & Bailliuorum.

A.C.716. Iam à ſecundo Regum ſtemmate Seneſcallus inter primarias regni dignitates ſe habuit. Sigebertus : *Carolus Rex*, inquit, *Adulſum Seneſcalcum ſuũ contra Britones mittit.* Eundem
lib.4. c.78. Regiæ menſæ præpoſitum, vocat Aymoïnus: principem
lib.2. chron. coquorum Regino Abbas : Seneſcalli officium planè in-
ep. 3. c. 13. digetat Hincmarus Rhemenſis : *Quæ videlicet cura quamquam ad Buticularium, vel ad Comitem ſtabuli pertineret, maxima tamen cura ad Seneſcallum reſpiciebat, eò quòd omnia cetera præter potus vel victus caballorum, ad eundem Seneſcallum reſpicerent.* Megadómeſtico Græcorum, Se-
li.1. de bell. ſacr. c. 5. neſcallum comparat Vuillelmus Tyrius : *Alexius cùm eſſet in imperiali palatio à Domino Nicephoro cognomento Botoniathe plurimùm honoratus, & Megadomeſtici dignitate, quem nos Majorem Seneſcallum appellare conſueuimus fungeretur, officio ab Imperatore ſecundus.* Et ſanè maiori domus ſucceſſit Seneſcallus Galliæ, ídque officii, munere Roberti Regis, cum Comitatu Andegauenſi iure feudi coaluit.
in ſuppl. Sigeb. 1170. Robertus Montenſis : *Henricus*, inquit, *filius Regis Anglorum fecit homagium Regi Francorum ſocero ſuo de Andegauenſi Comitatu, & de Cenomannenſi, & de Ducatu Britanniæ, quem Rex conceſſit eidem genero ſuo : nam de Normannia ei fecerat antè homagium, & conceſſit ei Rex Francorum, vt eſſet Seneſcallus Franciæ, quod pertinet ad feudum Andegauenſe.* Et paulò pòſt : *In Purificatione beatæ Mariæ fuit filius Regis Anglorum Pariſijs, & ſeruiuit Regi Francorum ad menſam, vt Seneſcallus Franciæ : hanc Seneſcalciam, vel vt antiquitus dicebatur, Majoratum domus Regiæ, Robertus Rex Francorum*

dedit

dedit Gaufrido Griſogonellæ, Comiti Andegauenſi, propter adiutoriũ quod ei impendit contra Ottonem Imperatorem Alemanniæ. Idem teſtatur HUGO de Cleeriis, qui in calce GOFFRIDI Vindocinenſis editus eſt à Iacobo Sirmundo, & Maioratum, Seneſcalciam vocat. EXactis verò DUcibus & Comitibus prouincialibus, his ſucceſſere Præfecti pagenſes, quos Seneſcallos dixere, adeóque inuidioſũ Comitis nomen euaſit, vt Guillelmus de RUpibus, armis receptâ ab ANglis ANdegauo, ob egregiè nauatam operam Comitatu ANdegauenſi iure hereditario donatus à PHilippo AUguſto, cum abnuerit, & nudo Seneſcalli nomine vſus ſit. Guillelmo Brito, lib. 8. Philippid.

Cuius Guillelmi Rex inclita facta, fidémque
Attendens, ipſum Comitis vice munere largo
Totius patriæ dominari iuſſit & vrbi,
Cui quamuis totum donaſſet Rex Comitatum,
Non tamen vſurpat Comitis ſibi nomen habendum;
Imò Seneſcallum quaſi ſe minuendo vocauit.

Baiulos media ætas vocauit iuniorum principum pædagogos, ſeu educatores, & geſtatores. Lupus Ferrarienſis in Epiſtola ad Carolum : *Non admittantur ergo à vobis monitores, quos Baiulos vulgus appellat, ne gloriam veſtram inter ſe ipſi partiantur.* Hâc notatione, AYmoïno monacho celebratur Hermarius Baiulus ARiberti : *Inter primores Franciæ qui conuenerant, quidam Hermarius gubernator Palatij Ariberti, filij regis, ſimúlque Baiulus à pueritia, Agniano ſuper ſe irruente perimitur.* Eidémque Otho Baiulus Sigiberti : *At verò quidam Otho Becone genitus patre, ſperabat ſe Comitem palatij fieri poſſe, eò quòd Bajulus fuerat Regis Sigiberti in eius tenera ætate.* Et in vita Ludouici P. Arnoldus eius BAiulus memoratur : *Filiúmque ſuum Ludouicum Regem regnaturum in Aquitaniam miſit, (Carolus M.) præponens illi Baiulum*

Ep. 64. (margin, beside "Ferrarienſis")
lib. 4. c. 15. (margin, beside "Inter primores")
lib. 4. c. 38. (margin, beside "At verò quidam")

Arnoldum. Aetatis vitio & Græci recentiores Baiulos di-
ctitarunt nutricios principum. Antiochum Theodoſii
Iunioris Baiulum laudat Cedrenus : θεοδόσιος ὁ βασι-
λεὺς ἀντίοχου πραιπόσιτον καὶ πατρίκιον τὸν βαΐουλον αὐτοῦ
παπᾶν ἐποίησε. *Theodoſius Antiochum præpoſitum, & patri-
cium, ſuúmque Bajulum Papam fecit.* τοῦ μεγάλου βαΐουλου
lib. de offic. meminit Codinus. Ioannem Protoſpatarium, & Baiu-
P.Conſtant. lib.13. hiſt. lum Conſtantini, Irenes filii memorat & Paulus Diaco-
Miſcell. nus. Nec non Baiulorum nomen ad priuatorum infan-
lib.7. medi- tum pædagogos detortum. Theodorus Balſamo: ἐντεῦ-
tat. ep. de θεν γὰρ τοὺς παιδοτρίβας, βαΐούλους κατονομάζομεν : *Hinc*
Incenſ. apud Leuncl. *enim puerorum magiſtros, Baiulos appellamus.* Verùm ſub ter-
tia Regum noſtrorum ſtirpe, Baiulorum ſeu Bailliuorum
nomen è ſchola & diſciplina tranſiit ad forum, id eſt ad
prætores & iuridicos, quaſi plebis rectores, vt in Teſta-
A.C.1189. mento Philippi Auguſti apud Rigordũ : *Et in terris noſtris,
quæ proprijs nominibus diſtinctæ ſunt, Bailliuos noſtros poſui-
mus, qui in bailliuis ſuis ſingulis menſibus ponent vnũ diem, qui
dicitur aſſiſia, in quo omnes illi qui clamorem facient, recipiẽt ius
de geſt. D. ſuũ per eos, &c.* Et in Conſtitutione D.Lud. apud Guillel-
Lud. mum Nangium : *Quæſtus quidem illicitos quantùm poſſibile
fuerit in Bailliuis, & alijs curialibus noſtris reprimere cupiẽtes,
Bailliuos, Præpoſitos, Vice-Comites, & villarũ Majores, ac quoſ-
cumque ſub eis in officijs conſtitutos, iuramento ſubſcripto duxi-
mus aſtringendos.* Inde & Bailliuorum territorium, ſeu di-
ſtrictum, vt loquuntur, baliã dixere. Innoc. III. Pontifex
lib.2. ep.252. in Epiſtola quadã: *Præpoſituras, quas balias vulgariter appel-
latis.* Sed & nondũ confecti Duces, & Comites, per Bail-
liuos iuriſdictionem ſuam exercuerunt : Rogerus Hoüe-
in Richar. I. denus : *Interim Richardus Rex Angliæ, peractis negotijs ſuis
in Pictauia pro voluntate ſua, redijt in Andegauiam, & rede-
mit omnes Bailliuos ſuos; id eſt ad redemptionem coëgit.*

ORIGINES FEVDORVM PRO MORIBVS GALLIAE

LIBER SINGVLARIS.

CAPVT I.

Feudorum origo.

DE origine Feudorum, quæ priores beneficia appellarunt, variæ & diſcrepantes ſententiæ inter iuris Interpretes: alij à clientelis Romanorum, vel à prædijs quæ capta ab hoſtibus ex parte veteranis aſſignabantur, ſeu ab agris limitaneis, qui militibus limitaneis dabantur, quod genus agrorum Alexandrum Seuerum militibus donaſſe ſcribit Lampridius; ità vt eorum eſſent ſi heredes eorum militarent, nec vnquam ad priuatos pertinerent: alij à deuotis, ſeu Soldurijs Gallorum, de quibus Cæſar, & Athenæus: alij à legibus Longobardorum; alij denique ex conſuetudine Francorum & Germanorum repetunt, quæ poſtrema ſentẽtia magis placet, ſed nondum ſatis diligenter com-

in Alex. Seuer.

Cæſar. lib. 3. de bell. Gall. Athen. lib. 6. c. 13.

probata videtur. Primùm à iure Romano feuda deduci perquàm abſurdum eſt, & Obertus ipſe fatetur ius feudorum totum manare ex conſuetudine, nihilque
2. Feud. 1. commune habere cum iure Romano: an enim à clientelis Romanorum feuda repeti poſſint; at iura patronorum & clientum fuere merè perſonalia, nec in his interceſſit datio vlla prædiorum, ſed nuda erogatio ſportularum & annonarum: ius feudorum verò propriè in feudis & rebus ſoli conſiſtit: clientibus, militiæ onus iniunctum non fuit, ſed tantùm ciuile obſequium, & pecuniarium
Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 2. ſubſidium, vt pridem obſeruatum ex Dionyſio Halicarnaſſeo, & Plutarcho: feudis verò ineſt propria lex militaris ſeruitij. An à prædiis aſſignatis veteranis, vel limitaneis militibus: verùm neutrum genus prædiorum feudis conueniens dici poteſt; erant quidem militaria prædia, ſed illa veteranis & emeritis, hæc limitaneis militibus tantùm dabantur, vtraque optimo iure poſſidebantur, ac limitanei quoque fundi tranſibant in heredes ſub perpetuo ſaltem onere militiæ. At feuda ab origine, quæ magis in hac comparatione rerum ſpectanda eſt, temporaria fuêre, & pro dantis arbitrio adempta, nec feudi proprietas transfertur in vaſſallum, ſed manet penès Dominum: vnde rectè feudum ſeparatur ab alode, vel proprietate.
lib. 5. Ditmarus: *Quod apud Dominum ſuimet beneficij maximam partem acquiſiuit in proprietatem:*
ep. 168. Et Iuo Carnotenſis. *Hanc verò tuitionem cum ſeruitio dedit Vice-Comes cuidam militi ſuo in beneficium, Domino videlicet Curua villæ, poſt non multum temporis emit Comes Rotro-*
lib. 2. de Mirac. c. 12. *cus partem illius fundi, quæ alodium erat.* Cæſarius. *Erat autem in proximo manens miles quidam diues, honeſtus, miniſterialis tamen; huic iuueni iam dictus alodia, ſiue feuda ſua*

partim vendebat, partim in vadimonio exponebat. An beneficiarios, ſeu feudatarios noſtros referamus ad gallorum deuotos, ſeu Soldurios, nulla ſuadet ratio; quod enim Cæſar ſcripſit, eorum hanc eſſe conditionem, vt omnibus in vita commodis vnà cum his fruantur, quorum ſe amicitiæ dediderint, non eò ſpectat, vt hos traditione, & ceſſione prædiorum (ſinè quibus feuda non conſiſtunt) cohoneſtatos intelligamus, ſed tantũ ſatellites, ſocios vtriuſque fortunæ, nec alios quàm deuotos Hiſpanorum, de quibus Strabo, & Dio. Quid ſi à legibus Longobardorum feuda ducere ſtudeas? vetat Gerardus feudorum primus interpres, & ipſe Longobardus, qui ius feudorum antiquiſſimum eſſe teſtatur; vix enim horum auctores laudare poſſis Longobardos, qui è barbarico in Italiam migrarunt non ante annum D. LXXIII. teſte Anaſtaſio; nec antiquitatis laude commendantur: & planè commentitium eſt, quod nõnulli aiunt Lõgobardos, occupatâ Italiæ parte, agros ducibus & militibus diuiſiſſe ſub ijs cõditionibus, quę redactę ſunt in libris Feudorum; nam in Longobardorum regum legibus, ſi demas quas addidêre Carolus, aliíque Franci, & germani principes, nihil de feudis palàm cautum reperitur: & occupatâ Italiâ per Longobardos non alia legitur rerum ratio inſtituta, quàm quæ fuerat ſub gothis; nimirum tertiâ prædiorum ereptâ veteri poſſeſſori, vel tertiæ frugum vectigal indictum. Paulus Diaconus: *His diebus multi nobilium Romanorum ob cupiditatem interfecti ſunt, reliqui verò per hoſtes diuiſi, vt tertiam partem ſuarum frugum Langobardis perſoluerent tributarij efficiuntur:* at de beneficiis, ſeu feudis altum ſilentium. Sanè Otho Friſingenſis tres inter Longobardos eſſe ordines

Strab. lib 3.
Dio. lib. 53.

in vit. Bened. P.

li. 2. de geſt. Longob. c. 18.

li.1.de geſt. Frider. c.13. memorat, Capitaneorum, Valuaſſorum, & plebeiorum, ſed ad ſua tempora ſe refert, vt indigerent ipſa verba Autoris: *Denique libertatem tantoperè affectant, vt poteſtatis inſolentiam fugiendo, Conſulum potiùs, quàm imperantium regantur arbitrio; cùmque tres inter eos ordines, id eſt Capitaneorum, Valuaſſorum, plebis eſſe noſcantur; ad reprimendam ſuperbiam, non de vno, ſed de ſingulis prædicti conſules eliguntur.* Imò ipſe Valuaſſorum nomen, non Longobardicum, ſed Francicum agnoſcit: li.1.de geſt. Frid. c.3. *Robertus iſte ex medtocri ſtirpe in Nortmannia, ex eorum militum ordine, quos Vauaſſores vulgò ibi dicere ſolent.* Rectiùs originem feudorum repetas è moribus Francorum: Franci ſcilicet rerum potiti in gallia, prædia diuiſere ducibus, & militibus, ídque beneficiario iure, ſub lege fidei, & ſeruitij, priùs quàm Longobardi Italiam attigiſſent. Hoc iure Aureliano Duci Milidunenſis pagus beneficij nomine datus à Clodouęo: Aymoïnus. lib. 1. c. 14. *Vnde cùm Clodoueus regnum ſuum vſque Sequanam, atque poſtmodùm vſque Ligerim fluuios ampliaſſet, Milidunum caſtrum eidem Aureliano cum totius ducatu regionis iure beneficij conceſſit.* Et Mummolo Patricio eodem iure Machouillam apud Aruernos datam à Guntrano Rege teſtatur gregorius Turonenſis: lib. 4. hiſt. c. 39. idem Paul. Diac. lib. 3. c.8. *Et Amo quidē Ebredunenſem carpens viam vſque Machouillam Auennici* (Aruernici) *territorij, quam Mummolus munere meruerat regio acceſſit, ibique fixit tentoria:* Vnde iam à Francici regni cunabulis paſſim celebrantur regij leudes, ſiue leodes, id eſt fideles, qui à rege prædia tenebant ſub lege fidei & ſeruitij. Gregorius Turonenſis: lib. 3. hiſt. c. 21. *Sed ille muneribus placatis à Leodibus ſuis defenſatus eſt, & in regnum ſtabilitus.* Et alio loco. *Veni igitur, & ecce abſconditur, nec oſtenditur inibi puer, vt credo, alicuius ex leudibus*

noſtris ſit filius. Et in exemplo pactionis initæ inter Guntranum, & Childebertum Reges: *Leudes illi qui Domno Gunthranno poſt tranſitum domni Chlotarij ſacramenta primitùs præbuerũt: Et mox ſimiliter cõuenit vt nullus alterius leudes, nec ſolicitet, nec venientes excipiat.* Fredegarius: *Iuſſu Sigeberti omnes leudes Auſtraſiorum in exercitum gradiendum banniti ſunt.* Et Aymoïnus: *Fuit autem Guntrannus leudis ſuis beneuolus, gentibus externis pacatus.* Eoſdem proxima ætas Vaſſos vocitauit, quod nomen Francicum eſt, & Vaſſorum originem è moribus Galliæ conteſtatur Vualafridus Strabo: *Capellani minores ità ſunt, ſicut hi quos vaſſos dominicos Gallicè conſuetudine nominamus.* Hoc iure Vaſſi inſtituti à Carolo M. in Aquitania. Aymoïni Continuator: *Ordinauit autem per totam Aquitaniam Comites, Abbatéſque, nec non alios plurimos, quos Vaſſos vulgò vocant.* Et vt feuda manarunt ex moribus Galliæ, eodem fonte effluxit commendationis Vaſſorum, id eſt fidelitatis & hominij per manuum porrectionem formula. Aymoïnus: *Illuc & Taſſilo Dux Baioariorum cum primoribus gentis ſuæ venit, & more Francico in manus Regis* (Pipini) *in vaſſaticum manibus ſuis ſemetipſum commendauit.* Aequè & ex moribus Francorum ſecutæ leges feudorum, veluti lex commiſſi ob feloniam; quod enim ſcripſit Sugerius feudum committi lege Salicâ, ob culpam Vaſſalli, id eſt ex conſuetudine Francorum, quæ ſæpiùs legis Salicæ nomine venit: & iam olim in Gallia feuda reguntur propriè iure moribus conſtituto, quod ius ciſmontanum appellat Ioannes Saresberienſis in Epiſtola ad Alexandrum III. P. *Vnde vt aſſerebat illuſtris Bleſenſium Comes Theobaldus, princeps quidem iuſtitiæ amator, & iuris ciſmontani peritiſſimus, ad quem Epiſcopus Vuintonienſis*

lib. 8. c. 9.
cap. 86.
lib. 3. c. 81.
lib. de reb. Eccleſ. c. 31.
lib. 5. c. 1.
lib. 4. c. 64.
in Lud. Graſſ.
ep. 89.

liberorum cauſam tranſmiſerat, eò quòd ad ipſum res iſta iure feudi pertinebat, accitis potioribus Epiſcopis Galliæ, conſilio eorum, aliorúmque ſapientum, cauſâ cognitâ, patre defuncto eos legitimos agnouit heredes, eiſque obeſſe non debere cenſuit quicquid in fraudem eorum dolus artifex procurauit. Sic & ex conſuetudine Galliæ præter naturam feudi, fœminæ capaces feudi, & iuriſdictionis quæ ei cohæret effectæ. Innocentius III. in Epiſtola decretali ad Cancellarium Pariſienſem: *Quia tamen iuxta conſuetudinem adprobatam, quæ pro lege ſeruatur in partibus Gallicanis, fœminæ præcellentes in ſubditos ſuos ordinariam iuriſdictionem habere noſcuntur, mandamus, &c.* Vnde conſuetudinales iuſtitias vocat Conradus de Fabaria: *Tam feodis, quàm conſuetudinalibus iuſticijs.* Denique feuda Galliæ adeò moribus facta, fictáque ſunt, vt cenſus, & iura dominica, hodiéque conſuetudines dicantur, quòd non alio iure, quàm conſuetudine nitantur. Goffridus Vindocinenſis: *Peruerſas quaſdam exactiones, ſiue conſuetudines extorquere laborant.* Robertus Montenſis: *Muniones perdiderunt, quia malas conſuetudines ipſi, & eorum interceſſores diu ibi tenuerant.* Et conſuetudines feudorum probarunt etiam ipſi Pontifices.

cap. dilecti. ex. de Arbitr.

de Caſib. Mon. S. Galli. c. 8.

lib. 1. ep. 2.

A. C. 1166.

cap. ceterû c. nouit. de iud. cap. ex tranſmiſſa. c. verum. de for. compet. c. ut in Eccleſ. de conſtit. & alijs.

Cap. II.
Feuda patrimonialia in Gallia.

BEneficia, ſeu feuda ab initio fuere temporaria & precaria, ità vt dantis arbitrio reuocari poſſent, & ipſo iure morte accipientis finirentur. Hincmarus de villa Nouilliaco: *Defuncto Tilpino Archiepiſcopo tenuit D. Rex Carolus Remenſe Epiſcopium in ſuo dominatu, & dedit villam Nouilliacum in beneficio Anſchero Saxoni, qui nonas, & decimas ad partem Remenſis Eccleſiæ de ipſa villa vſque ad mortem ſuam perſoluit.* (in calce hiſt. Flodoard.) Ideò pleriſque fiſci, vel Eccleſiarum prædijs, militibus in beneficium datis, lex dicta vt beneficiorum cenſus & deſcriptio fieret, ne lapſu temporis interuerterentur, & in alodem, ſeu dominium perpetuum redigerentur. Capitulare Caroli M. *Vt non ſolùm beneficia Epiſcoporum, vel Abbatum, Abbatiſſarum, atque Comitum, ſiue vaſſorum noſtrorum, ſed etiam fiſci noſtri deſcribantur in breue, vt ſcire poſſimus quantùm etiam de noſtro in vniuſcuiuſque legatione habeamus.* (lib.3.c.81.) Conciliũ Meldenſe ſub Carolo Caluo: *Quia maximè quod ad rempublicã pertinuit, aut pręreptione in beneficiario iure, aut in allodio abſumptũ habetur, videtur nobis vtile & neceſſarium, vt fideles & ſtrenuos Miſſos ex vtroque ordine per ſingulos Comitatus regni veſtri mittatis, qui omnia diligenter inbreuient, quæ tempore aui, ac patris veſtri, vel in regio principaliter ſeruitio, vel in vaſſallorum dominicorum beneficijs fuerunt.* (Can. 20.) Iam à Ludouico pio cœperunt feuda tranſire ad liberos; & plura ab eo conſtituta in ditiones perpetuas: *In tantùm largus*, inquit Theganus, *vt anteà nec in antiquis libris, nec in modernis temporibus auditum eſt, vt villas* (de geſt. Lud. P. c. 19.)

regias quæ erant ſui & aui, & tritaui, fidelibus ſuis tradidit eas in poſſeſſiones ſempiternas, & precepta conſtruxit, & annuli ſui impreſſione cum ſubſcriptione manu propria roborauit. Exin beneficia tranſiere ad liberos, ſed non ſinè ſpeciali conſenſu principis. Poſt prælium Fontaneticum victorem Carolum Caluum adijt Guillelmus, natus Bernardi Ducis Septimaniæ, vt ſe ei commendaret, id eſt, fidem & hominium exhiberet, dum ei honores, id eſt beneficia, quæ pater in Burgundia habuit transferiberet. Nithardus: *Bernardus Dux Septimaniæ, quamquam à loco prædicti prælij plus minùs leucas tres defuerit, neutri in hoc negotio ſupplementum fuit; victoriam autem vt Caroli eſſe didicit, filium ſuum Vuillelmum ad illum direxit, & ſi honores quos idem in Burgundia habuit eidem donare vellet, vt ſe illi commendaret præcepit.* Beneficia inter liberos diuiſit Vto Comes, expetito cōnſenſu principis: Regino. *Anno dominicæ Incarnationis D. CCCC. XL. Vto Comes obijt, qui permiſſu Regis quicquid beneficij, aut præfecturarum habuit, quaſi hereditatem inter filios diuiſit.* Iam ætate Geraldi Comitis Aureliacenſis, qui vixit temporibus Caroli Simplicis res in eo erat, vt beneficia ſemel data vix reuocarentur. Odo Cluniacenſis de hoc pio Comite: *Neque hoc patiebatur, vt quilibet ſenior beneficia à ſuo vaſſo pro qualibet animi commotione poſſet auferre.* Tandémque ruente ſecundâ regum ſtirpe, feuda omnino deſierunt in perpetua dominia, & iure patrimonij cenſeri cœperunt. Hinc cùm ſæpiùs queſtio de formula fidelitatis occurreret: hac de re Guillelmus Dux Aquitanorum Fulbertum Carnotenſem amiciſſimum, & rerum peritiſſimum conſuluit, & ab eo formulam fidelitatis accepit per Epiſtolam, quam Gratianus, & Iuo vterque ſuo decreto

lib. 3.

2. Chron.

lib. 1. de vit. S. Gerald. c. 17.

Fulbert. ep. 101. Gratian.

intexuere. Ab eo tempore, cùm feuda iuris hereditarij eſſent, Stephano Comite Trecenſi fatis functo ſinè liberis, Odo Comes Carnotenſis tamquam proximior, de hereditate contendit, infelici exitu. Glaber Rodulphus: *Nam cùm obijſſet Stephanus Comes Trecorum, & Meldorum Heriberti filius, ipſius regis conſobrinus abſque liberis, apparuit idem Odo contra Regis voluntatem vniuerſa quæque latifundia, in Regis videlicet dominium iure ceſſura.* Nec non idem Odo audaciùs queſtus apud Robertum, quòd ſententiâ Parium ſe abſente, nec defenſo caſtrum, quod iure hereditario vindicabat, adiudicatum eſſet Richardo Normanniæ Duci, vt liquet ex eius Epiſtola apud Fulbertum: *Hęc cauſa eſt cur tibi ad placitum non occurri; ſed de te, Domine mi, valde miror, qui me tam præproperè, cauſâ indiſcuſſâ, tuo beneficio iudicabas indignum: nam ſi reſpiciatur ad conditionem generis, daret Dei gratia quòd hereditabilis ſim; ſi ad qualitatem beneficij quod mihi dediſti, conſtat quia non eſt de tuo fiſco; ſed de his quæ mihi per tuam gratiam ex maioribus meis hereditario iure contingunt.* E moribus ius ortum vt proximiores agnati in feudis ſuccederent, hoc iure Lietbertus Epiſcopus Cameracenſis Hugonem, Galteri Cameracenſis Caſtellani defuncti nepotem, de caſtellatura inueſtiuit, quaſi legitimum heredem, repulſo quodam Ioanne; atque adeò rogatus ab Imperatore, vt Ioanni Caſtellaturam hancce daret, conſtanter abnuit, quia vt refert Baldricus Nouiomenſis; *Hugoni legitimo heredi ſecundùm legem patriæ iam eam donauerat.* Hereditaria beneficia in Gallia agnouit Iuo Carnotenſis, dum Niuardum militem abſoluit à ſacramentis præſtitis Vuillelmo II. Regi Anglorum vtpotè aduerſis prioribus ſacramentis, *Quæ fecerat ille*, inquit;

c. de forma. 22. q. 5 Iuo. decr. p. 12. c. 76.

lib. 3. c. 2.

ep. 56.

Baldricus lib. 3. c. 66. & 69.

ep. 71.

naturalibus & legitimis dominis ſuis, de quorum manibus ſuſceperat hereditaria ſua beneficia. Haud diſpari fato labente imperio, feuda in Germania in hereditaria degenerarunt: & Conradus I. qui eodem æuo cum Carolo Simplice vixit, primas de feudis perpetuis, & hereditarijs leges condidit: de hac feudorum ſerie Nicolaus Cuſanus: *Ordinabantur etiam tunc principes, Duces, & Comites conſtituti debere tamquam officia publica imperiali iuſſione habentes ad nutum remouibilia rationem ſui miniſterij ærario publico reddere: poſt hæc, quia ſenatorum filij, licèt equeſtres primò forent, tamen ad ſenatum demum perueniebant, introductum fuit, vt parentibus ritè in officio ſe habentibus, filij eodem officio non priuarentur, ad illum finem, vt patres minùs auaritiæ ſtuderent, habentes de ſucceſſione in officio certitudinem; & etiam vt eorum ſubiecti minùs tunc grauarentur per patrem, quando & ipſis ſui poſteri præeſſe deberent: tamen vt Imperiali Celſitudini nulla incommoda detractoria dominiorum in futurum excreſcente poteſtate Officiatorum exorirentur, feudalia introducta ſunt ſtatuta, & de fide ſeruanda ſtrictiſſima iuramenta, quæ per vnumquemque vaſſallorum inſtituendorum præſtari, & ſub pæna perditionis feudi inuiolabiliter ſeruari deberent.* Feuda ſui naturâ & Longobardorum moribus ſunt maſculina, & in his fœminæ non ſuccedunt, niſi aliud ab initio actum ſit; quia fœminæ faidam leuare, id eſt militare non poſſunt, vt eſt in legibus Longobardorum. Tentarunt reges fœminas à feudis arcere maſculorum in gratiam. Hugo Antiſſiodorenſis Epiſcopus, Lamberti Comitis Cabillonenſis filius, nihil vetante ſacerdotio, Comitatus inueſtituram tulit à Roberto Rege, quòd vnus è maſculis patri ſuperſtes foret. Glaber: *Fuit enim idem Hugo Epiſcopus Antiſſiodori, regénſ-*

de Concord. Cath. lib. 3. c. 28.

lib. 3. c. 1.

que Comitatum patris ex imperio Regis, quoniam præter eum pater non habuit ſobolem ſexus maſculini. Degeneris tamen vitio ſeculi adeò feuda à recta lege deſciuerunt, vt fœminæ feudorũm compotes factæ fuerint: eò vſque, vt moribus noſtris jurisdictionem quæ feudis cohæret per ſe exercere non erubuerint, vt modò obſeruaui ex Decretali Innocentij III. cap. dilect. de arbitr.

Cap. III.

Feudum de Camera, ſeu de Canena. Feudum Guardiæ, ſeu Gaſtaldiæ. Officia feudalia.

FEVDVM aliud propriũ, aliud improprium; propriũ cõſiſtit in rebus ſoli, nõ in mobilibus; improprium conſtituitur in ijs quę immobilibus adnumerantur, vt annonæ, ſportulæ, penſiones. l. iubemus. 2. C. de S. E. Huiuſce generis eſt feudum de Camera, quod dicitur, cùm ex Camera, id eſt ærario, vel arca Domini vaſſallo ſoluitur ſtipendium certum: cuiuſmodi beneficia vigent in Anglia, vbi prouinciæ, vel Comitatus cuiuſpiam nomen, ſinè re militibus à principe tribuitur, ſub certa penſione annua fiſco ſoluenda, vt refert Polydorus Vergilius. lib. 19. hiſt. Anglic. Cui accedit feudum quod dicitur de Caneua, cùm ex cella, vel penu Domini vaſſallo præbentur annonæ, feudi nomine; Caneua enim, ſeu Cannaua, eſt hoſpitium, metatum. Victor Vticenſis: lib. 2. de perſec. Vandal. *Artabatur multitudo ad currendum, vt vbi Cannaua erat præparata, laborioſam caperet manſionem.* Vnde Cellerarios Eccleſiæ, Caneuarios appellauit Innocentius III. li. 2. ep. 31. *Caneuarios, & alios Officiales Eccleſiæ*: idque genus feudi no-

tum in Gallia, duas quadrigas vini annuas à Duce Normannorum feudi nomine tenuit Gulbertus miles, de quo Ordericus Vitalis: *Duas quadrigatas vini de principe Normannorum in feudo tenebat, ſingulis annis, ex quibus vnum modium ad celebrandas Miſſas perenniter conceſſit monachis.* Non alienum eſt feudum Guardiæ, vel Guaſtaldiæ, id eſt, quod datur pro actu, vel geſtione rerum Domini, vel principis, vel pro cuſtodia arcis, vel territorij: Gaſtaldus, ſeu Caſtaldus Longobardis eſt propriè actor, vel procurator; ſed vox tralata ad Comites, ſeu prætores ciuitatum, qui ſub Ducibus erant. Anaſtaſius: *Et Longobardos penè trecentos cum eorum Caſtaldione* (lege Caſtaldo) *interfecerunt*: Et alio loco. *Alia verò die, quæ fuit ſecunda feria vale faciens ipſe Rex* (Luitprandus Rex Longobardorum) *miſit in eius obſequium Agiprandum Ducem, Ducem Cluſinum nepotem ſuum, ſeu Tacipertum Caſtaldium in eius obſequium, & Ramingum Caſtaldum Tuſcanenſem, &c.* Pandenulpho *Caſtaldo*, ſcribit Ioannes VIII. Pontifex; quem & ipſe alio loco, *Iudicem Capuanum* nominat, & Rainerij *Gaſtaldi Seranæ ciuitatis* meminit Leo Oſtienſis: & Vrbanus II. defenſoris nomine, *Aduocatum, ſiue Caſtaldum & iudicem intelligit*. Hoc genus feudi fortè innuit Paulus Diaconus cùm ſcribit iuſſu Grimoaldi Longobardorum Regis in Italia, certas poſſeſſiones datas Alzeconi, duci Bulgarorum: *Ita tamen vt non Dux, ſed Gaſtaldus vocaretur, ipſumque Alzeconem*, inquit, *mutato dignitatis nomine de duce, Gaſtaldium vocitari præcepit.* In hoc feudorum cenſu, locandum feudum quod pro guardia & cuſtodia, id eſt pro aduocatione & defenſione Eccleſiarum datur militibus, de quibus Lucius III. P. *Præſenti decreto ſtatuimus, eos ſiue aduocati, ſiue patroni, vel*

lib. 6. hiſt. Eccleſ.

in Greg. II.

in Zacharia.

ep. 215. & 227.

lib. 2. chron. Caſſ. c. 33.

Can. ſaluator. 1. qu. 3.

lib. 5. hiſt. Long. c. 19.

cap. præterea de iur. Patron.

Vice-Domini, ſiue cuſtodes, vel Guardias habentes, ſeu quocumque alio nomine cenſeantur à grauaminibus Eccleſiarum ceſſare: Et Bonifacius VIII. P. *Sancimus vniuerſos & ſingulos, qui regalia, cuſtodiam, ſiue Guardiam, aduocationis ſeu defenſionis titulum in Eccleſijs, monaſterijs, ſeu quibuſlibet alijs pijs locis de nouo vſurpare conantes, bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut locorum ipſorum vacantium vſurpare præſumunt, &c.* His adde feudum Soldatæ, quod in nummaria penſitatione conſtituitur, ſub lege fidei & operæ militaris: vnde orta diſtinctio militum & Solidariorum, ſeu ſeruientum: Milites dicebantur, iuſti nobiles, qui prædia tenebant eâ lege, vt Domino, vel principi militarent: Solidarij & ſeruientes, plebeij qui certo tot ſolidorum ſtipendio vice feudi merebant Domino: de quibus Robertus Montenſis: *Nolens vexare agrarios milites, capitales Barones ſuos cum paucis ſecum duxit, Solidarios verò milites innumeros.* Et alio loco: *Rex verò Henricus obſedit prædictum caſtrum, & illicò cepit, in quo erant XXXV. milites, & quater viginti ſeruientes.* Et rurſus: *Habentes paucos milites & ſeruientes per virtutem ſanctæ Crucis vicerunt innumerabilem exercitum paganorum.* Et Matthæus Paris: *Tunc Rex Francorum* (is erat Philippus A.) *rem diu deſideratam intelligens, accinxit ſe ad pugnam, atque omnes ſuæ ditionis homines, Duces, videlicet Comites, & Barones, milites, & ſeruiẽtes cum equis & armis iuſſit in octauis Paſchæ, ſub nomine Culuertagij apud Rhotomagum, ità potenter conuenire, ne crimine læſæ majeſtatis damnum exheredationis incurrere viderentur.* Seruientes, noſtri *ſergens*, & id genus feudi *ſerganteriam feudalem*, quæ quandoque etiam in modico prædio conſtituebatur, ſub lege militaris, vel alterius ſeruitij: Matthæus Paris, ex tabulis Ioannis Re-

cap. generali. de elect. in 6.

1160.

1161.

1177.

1213.

gis Anglorum: *Nos non tenebimus cuſtodiam heredis, vel terræ alicuius, quam tenet de alio per ſeruitium militare, occaſione alicuius paruæ Serganteriæ, quam tenet de nobis per ſerui-*
1256. *tium reddendi cultellos, vel ſagittas, vel huiuſmodi.* Et idem: *Sicut nuper de clientela quæ vulgariter ſeganteria* (lege ſerganteria) *dicitur materia pullulauerat pecuniam extorquendi.* Inter feuda impropria cenſentur & officia feudalia, vt Romæ, Præfecti vrbis officium feudale eſt, & iure feudi hominio ligio, & inueſtituræ obnoxium, vt eſt
lib. 1. ep. 23. apud Innocentium III. *Altera die poſt conſecrationem Domini Innocentij Papæ III. Petrus vrbis præfectus, in conſiſtorio Lateranenſis Palatij publicè iurauit ei, & ſucceſſoribus ſuis, atque Romanæ Eccleſiæ, fidelitatem contra omnem hominem, & recepit ab eo inueſtituram præfecturæ per mantum; ac deinde fecit ei ligium hominium inter manus ipſius, qui donauit ei cuppam argenteam in ſignum gratiæ.* Et in Gallia officium maioris Seneſcalli in feudum datum Comiti Andegauenſi. Robertus Montenſis: *Henricus filius Regis Anglorum fecit homagium Regi Francorum ſocero ſuo, de Andegauenſi Comitatu, & de Cenomannenſi, & de Ducatu Britanniæ, & conceſſit ei Rex Francorum vt eſſet Seneſcallus Franciæ, quod pertinet ad feudum Andegauenſe. Hanc Seneſcalciam, vel vt antiquitus dicebatur, Maioratum domus regiæ, Robertus Rex Francorum dedit Gaufrido Griſogonellæ, Comiti Andegauenſi, propter adiutorium, quod ei impendit contra Ottonem Imperatorem Alemanniæ.* Hodiéque officia Conneſtabilis, & Cancellarij in feudum perſonale dantur à Rege.

CAP. IV.

CAP. IV.
Feuda Eccleſiaſtica.

GALLIARVM Eccleſiæ munificentiâ Regum, maximè Pipini, Caroli M. & ſuorum, latifundijs, prædijs, & beneficijs dominicis auctæ, vt religionis dignitas opum præſidio ſe tueretur. Stephanus Leodienſis: *Poſtremò quantùm religionis, potentiæ, & honoris, Gallicis contulerint Eccleſijs, teſtantur libri, ſanctorum decreta Patrum continentes, quos ipſi in Synodis ſuâ corroborauerunt authoritate: teſtantur & Eccleſiæ, quas cum diuerſi generis ornamentis, tum etiam prædijs, & regalibus ſuis caſtris ſcilicet, & Comitatibus, telonijs, monetis, & bannis cum iure ciuitatum conceſſis magnificè extulerunt, ne ſancta Dei Eccleſia huius ſeculi potentibus ſubjaceret, aut tyrannide eorum paueſceret; imò ſuperborum colla Dei virtute ſuperior calcaret: inde eſt quòd nuſquam gentium æqualis potentiæ Pontifices inueniri queant, vel qui à regio Comitatu, & opulentia parum differant.* Sed & feuda quamplurima Eccleſijs acceſſere ex donationibus pijs, & eleemoſynis priuatorum; at frequentiùs qui res ſuas Eccleſijs donabant, illicò eas recipiebant, precariæ, aut beneficij, & feudi nomine ad certum tempus, vel vitæ ſuæ, aut liberorum. Concilium Turonenſe III. *Nam & nobis viſum eſt prædictis heredibus hanc dare optionem, vt ſi voluiſſent traditiones parentum ſuorum conſequi, de qua illi iam erant per legem excluſi, rectoribus Eccleſiarum ſe commendarent, & hereditatem illam in beneficium, vnde ſe adiuuare ac ſuſtentare poſſent, acciperent.* Lex Baiuuariorum de eo qui fundum ſuum donauit Eccleſiæ: *Et poſt hæc nullam habeat pote-*

lib. 1. vit. S. Modoald. Treuir. cap. 14. apud Sur. 12. Maij.

Can. 51.

tit. 1. c. 1.

ſtatem exinde quidquam auferre, nec ipſe, nec poſteri eius, niſi defenſor Eccleſiæ illius per beneficium præſtare voluerit. Eccleſiæ etiam feudis ad inuidiam ditatæ, eorum partes vicinis potentioribus ſubinfeudarunt aduocatiæ & defenſionis nomine, id eſt, vt defenſores ſibi hoc præmio conciliarent, & per eos ſeruitium militare Domino & principi debitum implerent, & huiuſmodi feuda Caſamenta dixerunt. Fulbertus: *Commendationem veſtrorum militum, qui de noſtro caſamento beneficium tenent, ſalua fidelitate veſtrâ.* Iuo Carnotenſis: *Adiecimus etiam vt quicquid hactenus de caſamento Carnotenſis Eccleſiæ, conceſſione poſſidentium, & præſidentium per annum & diem quietè poſſederint, de cetero noſtrâ conceſſione quietè poſſideant:* Et Bernardus Clareuallenſis in Epiſtola ad Comitem Theobaldum: *Noſtrum quoque, ac veſtrum pariter Epiſcopum* (Lingonenſem intelligit) *abundantiori, vt decet, honore ſuſcipiatis, & de caſamento, quod tenetis, hominium quod debetis reuerenter ei, & humiliter offeratis.* Et inde beneficiarios Eccleſiæ, Caſatos. Fulbertus in Epiſtola ad Leuthericũ Senonenſem Archiepiſcopum: *Deinde verò quod Arnulphum caſatum Eccleſiæ noſtræ tibi, tuiſque ſcripſiſti iniurium ægrè contra illum, & accepi, & fero.* Iuo Carnotenſis ad Philippum Regem: *Præterea Caſati Eccleſiæ, & reliqui milites penè omnes vel abſunt, vel pro pace violata excommunicati ſunt.* Eoſdem Cataneos quos & Capitaneos dixit Iuo Carnotenſis, in Epiſtola ad Gaufridum Vindocinenſem Comitem: *Præcipuè hoc nobilitati tuæ debemus, qui & noſter es parrochianus, & Eccleſiæ noſtræ Cataneus.* Porrò è feudis Eccleſiaſticis alia ſunt libera, quæ nec cenſum, nec ſeruitium militare debent, ſed obſequium precum pro ſalute principis; alia non libera, quæ præſtant mili-

ep. 6. ep. 284. ep. 39. ep. 24. ep. 28. ep. 119.

tiam, vel cenſum, vt videre eſt ex indiculo Ludouici P. quem dedit Iacobus Sirmondus de Monaſterijs regni Francorum, quæ regi militiam, dona, vel ſolas orationes debent. Floriacenſi Monaſterio feudi liberi lege, conceſsa à Roberto piſcaria Ligeris fluminis. Helgaldus: *Prætereà patri Benedicto, & ſuis Piſcatoriam Ligeritti fluminis benigniſſimus adhibuit, ſcripto firmauit, & ex his nîl aliud, quàm interceſſionis illius quæſiuit ſuffragia.* Eiuſdem claſſis fuere beneficia in dotem data cœnobio Vticenſi ab eius inſtauratoribus. Ordericus Vitalis: *Locum etiam ſæpè nominatum communi conſenſu ità liberum tradiderunt eius* (Vuillelmi Ducis Normannorum) *tutelæ, vt nec alijs quibuſlibet aliquam adſuetudinem, ſeu reditum, præter beneficia orationum, aliquando à monachis liceret, vel hominibus eorum exigere.* Eiuſdem iuris fuerunt res & beneficia in dotem tranſcripta monaſterio Croylandienſi in Anglia, à Bertulpho Rege Merciorum, vt liquet ex eius præcepto apud Ingulphum: *Et emancipo ab omni debito Regis, & omnis alterius Domini, & hominis, cuiuſcumque fuerit dignitatis, excellentiæ, vel honoris, vt nihil à modo de ſacri veſtri Monaſterij Croyland monachis litteratis, & laïcis, ſeruis, aut tenentibus veſtris exigere poterunt, præter orationes veſtras, aut beneficia ſpiritualia.* Aliàs moribus noſtris Epiſcopi, & Abbates Regalium, id eſt feudorum nomine, ſeruitium militare exantlarunt, per ſe, vel per ſuos homines, id eſt clientes; quod cauſam dedit edicto patrum, ne Abbates per ſe militarent, ſed per ſuos homines. Concilium Sueſſionenſe: *Abbates legitimi hoſtem non faciant* (id eſt in exercitum non procedant) *niſi tantùm homines eorum tranſmittant.* Ludouicum, & Carolum Reges ſtylo perſtringit Nicolaus I. quòd excuſationes ne-

In vit. Rotbert.

lib. 3. hiſt. Eccl. 1050.

In Chron. Croyland.

ep. 27. Can. reprehenſibile. 23. qu. 8.

ſterent non mitti Epiſcopos Romam ad Synodum, ob occupationes bellicas in Normannos: & Odo Ferrarienſis Abbas apud Lupum, ſe, & homines ſuos crebris expeditionibus attritos queritur, in Epiſtola ad Ludo-
ep. 24. uicum: *Namque, inquit, poſtquàm vobis auxiliantibus impetrata licẽtia ab expeditione Aquitanica grauatus infirmitate rediȷ́,eá dẽ penè ſemper attritus, necdum reualui, quæ res ne cum a'ijs ad conductum occurrerem placitum prohibuit; miſi tamen homines noſtros vnà cum Comite pagi, qui expeditionis officia*
ep. 25. *more ſolito exſequerentur.* Et in altera Epiſtola ad eundem: *Homines noſtri toto hoc fere biennio aut vobiſcum, aut ſolis generalis expeditionis difficultatibus fatigati cenſu rei fami-*
ep. 28. *liaris in huiuſmodi ſeruitio effuſo onere paupertatis grauãtur.* Et Iuo Carnotenſis Epiſcopus, à Philippo I. vocatus ad placitum cũ militũ manu, ſe abſentiâ, vel ſacrâ proſcriptione militum excuſauit, vt ſuprà obſeruaui: *Prætereà,* inquit, *vel pace violatâ excommunicati ſunt, quos ſinè ſatisfactione reconciliare non valeo, & excommunicatos in hoſtem mittere non debeo.* Denique moribus Galliæ paſſim onus militiæ tenuit Epiſcopos & Abbates, ob luculenta feuda quibus præditi ſunt: nec injuriâ Aurelianenſis, & Altiſſiodorenſis Epiſcopi feudis multati à Philippo Auguſto, quòd expeditioni regiæ ſe ſubduxiſſent, eo obtentu,
1209. quòd Rex in ea ipſe non ageret. Rigordus: *Cùm omnes Barones & Epiſcopi vocati ad hunc exercitum conueniſſent apud Medontam, & miſiſſent ad mandatum Regis homines ſuos, provt debebant, in expeditionem illam; Aurelianen. & Altiſſiodor. Epiſcopi cum militibus ſuis ad propria ſunt reuerſi, dicentes, ſe non teneri ire, vel mittere in exercitum, niſi quando Rex ipſe perſonaliter proficiſcitur; & cùm nullo ad hoc priuilegio ſe tueri poſſent, generali conſuetudine contra eos faciente,*

petijt Rex vt hoc emendarent: ipſis autem emendare nolentibus, Rex eorum legalia (lege Regalia) *confiſcauit; ſcilicet ea tantùm temporalia, quæ ab eo feudaliter tenebant, decimas, & alia ſpiritualia in pace dimittens.* Hanc legem feudorum in Angliam inuexit Guillelmus Normannus rerum potitus. Matthæus Paris: *Rex Vuillelmus Epiſcopatus quoque, & Abbatias omnes, quæ Baronias tenebant, & eatenus ab omni ſeruitute ſeculari libertatem habuerant, ſub ſeruitute ſtatuit militari, inrotulans ſingulos Epiſcopatus & Abbatias pro voluntate ſua, quot milites ſibi, & ſucceſſoribus ſuis hoſtilitatis tempore voluit à ſingulis exhiberi.* 1070.

CAP. V.

Decimæ infeudatæ.

CAROLVM Martellum decimarum infeudationis auctorem iactitant, & hanc ob rem clerici indignantes eius memoriam atroci ſtylo damnarunt, & fabulam de angue concinnarunt; vt laïcis talis auſi religionem incuterent. Sanè Carolũ Martellum bellis ciuilibus fiſco exhauſto, tum irruptione Sarracenorum in Gallias, res & prædia Eccleſiarum militibus erogaſſe vice militaris ſtipendij in comperto eſt, ex Adreualdo, & alijs; ſed decimas ab eo infeudatas nulla eſt fides. Cladem prædiariam Eccleſiarum doluit Pipinus, ſed cùm morbo penitus mederi, & res Eccleſiarum à laïcis auellere nequiret, ob iniquitatem temporum, & reipublicæ anguſtias; id effecit, vt laïci prædia Eccleſiarum precariæ nomine tenerent, & Eccleſijs nonas, & decimas perſoluerent, ac de ſingulis caſis denarios duodecim. Vetus Capitulum, quod

Adreuald. de mir. S. Bened. lib. 1. c. 24.

Can. quia iuxta. 16. qu. 1. refertur apud Gratianum. *Et quoniam res Eccleſijs, à quibus ablatæ erant, reſtituere, propter concertationem quam cum Vuaifaro Aquitanorum principe habebat, non præualuit, precarias fieri ab Epiſcopis exinde petijt, & nonas, ac decimas ad reſtaurationes terrarum, & de vnaquaque caſata duodecim denarios ad Eccleſiam vnde res erant beneficiatæ, dari conſtituit, vſque dum ipſæ res ad Eccleſiam reuenirent.* Cui ſuffragatur canon XLVI. Concilij Turonenſis III. & canon X. Concilij Valentini III. Carolo Caluo rege, rebus labantibus diſcordiâ fratrum, decimis primùm manus injecere laïci, beneficij nomine, eáque labes occepit à decimis dominicis, ſeu regalibus, id eſt decimis fiſcorum, & regiorum prædiorum. Nimirũ Reges vrgente bellicá neceſſitate Capellas in ſuis prædijs conſtructas, & horum decimas laïcis in beneficium addixere: quâ occaſione facilè laïci in decimas parochianas irruêre. Concilium

cap. ſuper. de reb. Eccl. al.

Can. 75. Meldenſe: *Si capellas veſtras Presbyteris, aut viris Eccleſiaſticis dederitis, & dominicas decimas acceperint, ſarta tecta Eccleſiæ, & luminaria exinde competenter prouideant, & Presbyteri parochianas decimas accipiant, & populi neceſſitatibus debitè inuigilent: ſi autem laïci Capellas habuerint, à ratione, & auctoritate alienum habetur, vt ipſi decimas accipiant, & inde canes, aut geniciarias ſuas paſcant,* Hâc lue in dies magis ſerpente, laïci, feudi nomine, paſſim decimas occuparunt, & poſteris tranſmiſere. Ordericus

lib. 5. hiſt. Vitalis: *Auidi quippe poſſeſſores terrenorum caducis inhiant, de ſummis & æternis parum cogitant, adeóque quia plures vix aliquid pro ſpe ſuperna, niſi temporale commodum viderint, agere tentant, decimas quas Dominus ab Iſraëlitis per Moyſen ſibi ad vſum Sanctuarij, & Leuitarum exegit, noſtrates laïci retentant, vel miniſtris Eccleſiæ, niſi magno redimantur precio, reddere*

affectant. Imò inualeſcente procerum tyrannide conſultò his Eccleſiarum antiſtites decimarum partem in beneficium dedere, vt partis damno reliquam tuerentur, vt Epiſcopus Racesburgenſis Henrico Comiti Polaborum, de quo Helmoldus: *Porrò decimas terræ recognouit Epiſcopo, quarum tamen medietatem recepit in beneficio, & factus eſt homo Epiſcopi.* lib. 1. hiſt. Slau. c. 78. Eandem laïcarum decimarum originem indigetat Fridericus I. in oratione habita in concilio principum apud Arnoldum Lubecenſem: *Scimus autem decimas & oblationes à Deo ſacerdotibus & leuitis primitùs deputatas, ſed cùm tempore Chriſtianitatis, ab aduerſarijs infeſtarentur Eccleſiæ, eaſdem decimas præpotentes & nobiles viri ab Eccleſijs in beneficio ſtabili acceperunt, vt ipſi defenſores Eccleſiarum fierent, quæ per ſe obtinere non valerent.* lib. 3. c. 18. Quorumdam conjectura fuit decimas primùm in Saxonia plebi tributi nomine indictas, in ſtipendia militum, vt vectigalis acerbitas religione nominis leniretur, & exinde manaſſe feudales decimas; ſed Albertus Krantzius in priorem ſententiam magis concedit: *Ferunt indictas populo decimas de more Chriſticolarum, non proueniſſe Pontifici primùm, ſed regijs præfectis, vt inde ſtipendia militibus & ſumptus facerent crebrarum in eam gentem expeditionum; tributorum nomen horrebat libertati aſſuetus populus, ſed decimarum exactionem recuſare non poterant: interpretantur annales hinc ortum, vt multarum hodiè decimarum exactiones ſint in manibus laïcorum; ego aliam huic rei cauſam acceſſiſſe conijcio: cùm non ſatis fiderent Pontifices ſua iura ab laïcis principibus tueri, dediſſe arbitror partem decimarum principibus in manum per ſpeciem feudi & beneficij, malentes amittere dimidium quàm totum; in le factum vt à principibus tranſirent in miniſteriales, qui nunc militares appellan-* lib. 1. Metrop. c. 2.

tur. Decimas etiam laïcis propinauit ambitio, & gratia Antiſtitum. Lyſiardum Pariſienſem Archidiaconum hoc nomine notat Fulbertus, quòd decimas & oblationes altarium, ſtipem pauperum, Epiſcopo inconſulto, ſeculari militiæ traderet. Decimarum quoque infeudationes laïcas propagauit ſacræ in Sarracenos expeditionis neceſſitas ſub Philippo Auguſto, cuius adornandæ & inſtruendæ gratiâ militibus permiſſum, vt decimas è prædijs ditionis ſuæ ſuos in vſus conuerterent quoad bello mererent, Conſtitutione Philippi apud Rigordum. *Qui alicuius terræ magnam iuſtitiam habet, eiuſdem terræ decimam habebit: miles crucem non habens, Domino ſuo habenti eam, cuius erit homo ligius, dabit de ſuo proprio mobili decimam & de feudo quod ab ipſo tenebit: ſi autem ab eo nullum tenebit feudum, de ſuo proprio mobili decimam Domino ſuo ligio dabit.* Laïci decimarum incubatores, vſurpationis velandæ gratiâ, perſuaſum voluerunt decimam ſibi beneficij nomine conceſſam à Romano Pontifice, ob tuitionem Romanæ Eccleſiæ. Matthæus Paris: *Item in regno Franciæ multæ decimæ militibus ab Apoſtolicis patribus conceſſæ creduntur, vt ipſi Romanam Eccleſiam tueantur, vel conſtat ab eis debitum ſuffragium eſſe denegatum, nec etiam conſtat eorum ſuffragium exercitui Domini Papæ fuiſſe adhuc contributum.* Sed fabulam expungit religio Romanorum Pontificum, reclamant tot decreta Gregorij VII. Innocentij II. Eugenij III. & Concilij Lateranenſis, de decimis à laïcis non poſſidendis.

[Margin notes: ep. 34. — A.C. 1187. — in Henr. III. 1240. — c. prohibemus. de decim.]

Cap. VI.
Retroſeuda.

MAIORES, id eſt Duces, & Comites, prædia & latifundia à principe accepêre feudi nomine, ſub onere fidei & militiæ: tum eorum partem minoribus ſubinfeudarunt, ſub eadem lege, vt commodiùs ſeruitio militari ſufficerent: hoc pacto Vaſſi dominici, ſeu regales, habuere & vaſſos ſuos, ſeu vaſſallos, & caſatos. Capitulare Caroli M. *De vaſſis dominicis qui adhuc intrà caſam ſeruiunt, & tamen beneficia habere noſcuntur, ſtatutum eſt, vt quicumque ex eis cum Domno Imperatore domi remanſerit, vaſſallos ſuos caſatos ſecum non retineat; ſed cum Comite, cuius pagenſes ſunt, ire permittat.* Lex Alemannorum: *Qualiſcumque perſona ſit, aut vaſſus Ducis, aut Comitis.* Epiſcopis, Abbatibus, & Abbatiſſis ſui fuere & vaſſi. Capitulare Caroli M. *Vt vaſſi noſtri, & vaſſi Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum, & Comitum, qui anno præſente in hoſte non fuerunt, heribannum revuadient.* Concilium Cabillon. II. *Nullus vaſſus Abbatiſſæ, clauſtra ancillarum Dei ingrediatur.* Nec non labente regno majores Duces, & Comites, vaſſos regios bello & armis in fidem ſuam adegerunt. Odo Cluniacenſis, ſcriptor vitæ S. Geraldi Comitis Aureliacenſis: *Nam reipublicæ ſtatu iam nimis turbato, regales vaſſos inſolentia Marchionum ſibi ſubiugauerat.* Subuaſſallorum pręter militare ſeruitium, onus fuit, vt Domino in iudicio feudali aſſeſſorum vice fungerentur; vnde pares dicti, quaſi dignitate pares inter ſe, vt ſuprà obſeruatum ex Capitularibus, & Baldrico. Viciſſim Domini ſuperio-

[Margin notes: lib. 3. c. 73. — tit. 36. c. 5. — Can. 65. — lib. 1. de vit. S. Gerald. c. 32. — Capitular. lib. 3. c. 71. Baldr. lib. 3. c. 75.]

ris fuit ſubuaſſallum tueri & defendere, & ſi fortè deliquiſſet in principem, iudicio eum ſiſtere. Aruernenſis Comitatus fuit ſubfeudum Ducatus Aquitaniæ. Euſtachio Comite Aruernenſi bello petito à Ludouico Craſſo, pro Comite interceſſit Guillelm⁹ Dux Aquitanorũ, & ſui eſſe muneris clientem apud Regem ſiſtere, obteſtatus eſt: *Non dedignetur*, inquit ille apud Sugerium, *Regiæ Maieſtatis celſitudo Ducis Aquitaniæ ſeruitium ſuſcipere, ius ſuum & conſeruare, quia ſicut iuſtitia exigit ſeruitium, ſic & iuſtum exigit dominium: Aluernenſis Comes quia Aluerniam à me, quam ego à vobis habeo, habet, ſi quid commiſit curiæ veſtræ, veſtro habeo imperio repræſentare.* Subfeudo ob delictum ſubbeneficiarij in fiſcum redacto, feudum à principe debet alienari in priuatum, intrà annum & diem; quia culpâ ſubvaſſalli deterior vaſſalli conditio fieri non potuit, vt in edicto Ioannis Regis Anglorum apud Matthæum Paris: *Nos autem non tenebimus terras eorum qui conuicti fuerint de felonia, niſi per vnum annum, & vnum diem, & tunc reddantur terræ Dominis feudorum.* Lege feudorum vaſſallus vaſſalli regij, eſt vaſſallus regius: ſubuaſſallorum tamen in Gallia hæc fuit inſania, vt in Dominum feudi demiſſi vix principem agnoſcerent. D. Ludouico in ſecunda expeditione Sarracenica obſequiũ renuit Ioinvilla, Seneſcallus Campaniæ, aliàs regi deuotiſſimus, quòd ab eo ditionem ſuam immediatè non teneret, ſed à Comite Campaniæ.

in Ludouic. Craſſ. idem Cont. Aym. lib. 5. c. 49.

A.C. 1215.

Cap. VII.
Inueſtitura feudi.

Fevdvm ſinè inueſtitura non conſtituitur. Inueſtitura eſt ſolennis feudi ceſſio & confirmatio: inueſtitura non transfert poſſeſſionem, ſed tribuit ius apprehēdendi poſſeſſionem: Vnde Ioannes VIII. P. *Maius fuit*, inquit, *poſſeſſionem dare, quàm ſit inueſtituram concedere.* Et Guillelmus Tyrius: *Sed & ſtatim prædictarum vrbium cum omnibus pertinentiis earum D. imperator inueſtituram ei conceſſit, ſpondens firmiſſimè quòd æſtate proximè futurâ eas auctore Domino comprehenſas corporaliter tradat.* Solennis feudi inueſtitura fit per certa ſymbola, putà per traditionem gladij, vexilli, haſtæ, ſceptri, anuli: inueſtitura regni feudatarij per gladium; prouinciarum per vexillum, vel ſceptrum. De regno Daciæ, ſeu Daniæ certantibus Petro, & Gunotone germanis, lis ſopita à Federico I. & ex pactione Petrus de regno inueſtitus per gladium, Gunoto certis prouincijs Ducatus nomine per vexillum: *Eſt enim conſuetudo curiæ*, inquit Otho Friſingenſis, *vt regna per gladium, prouinciæ per vexillum à principe tradantur, vel recipiantur.* Quod & carmine expreſſit Guntherus.

in Can. viſis 16. quæſt. 2. lib. 13. de bell. ſacr. c. vlt.

li. 2. de geſt. Frid. c. 5.

Ligur. 2.

Ergo vbi vexillo partem quam diximus ille;
Hic autem gladio regnum ſuſcepit ab ipſo
Hunc etenim longo ſeruatum tempore morem
Curia noſtra tenet, poſito diademate Petrus
Regali dextrâ tulit alti principis enſem.

Bohemiæ & Morauiæ inueſtituram à Rudolpho Habſpurgico accepit Ottocarus, ſex & triginta ſignorum

lib.7.annal. Boior. ſymbolo. Auentinus: *Ottocarus*, inquit, *trajecto Iſtro, cum pluribus regio luxu Comitibus in caſtra extra Viennam proceſſit, ibique cœrulea tunica, quam Teutones Camelon vocant, & in ſuggeſtu conſidenti, genu ponit, in verba eius iurat, ab eodem Boiemiam, atque Morauos cum XXXVI. ſignis in fidem accipit.* Inueſtituram regni etiam per coronam, per pileum, per crucem, vel anulum factam obſeruo. Inueſtituram regni Hiberniæ ab Vrbano III. P. impetrauit Henricus II. Rex Anglorum vni ex liberis, quem vellet, per coronam textilem auro & pennis pauonis, A.C.1185. vt narrat Rogerus Houedenus. Et Richardus II. iniuriâ detentus apud Henricum V. Imperatorem regnum Angliæ dimiſit, & de eo Imperatorem inueſtiuit per pileum, rurſúſque eiuſdem regni inueſtituram recepit ab Imperatore per duplicem crucem auream, teſte ipſo Houedeno. A.C.1192. in Lud. Craſſo. Ludouicum Iuniorem filium, per anulum regno inueſtijt Ludouicus Craſſus, vt refert Sugerius. Variè & inueſtitura Ducatus facta legitur per ſceptrum, vel per virgam, & pileum. Ducatu Apuliæ Boamundus adhuc ſanguinolentus à patre inueſtitus per ſceptrum A.C.1181. aureum. Robertus Montenſis: *Ioanna vxor Vuillelmi Regis Siciliæ, filia regis Henrici Regis Anglorum peperit ei filium primogenitum, quem vocauerunt Boamundum, qui cùm à baptiſmate reuerteretur pater inueſtiuit eum Ducatu Apuliæ per aureum ſceptrum, quod in manu gerebat.* Per virgam, & pileum Ducatu Aquitaniæ inueſtitus Ioannes Dux Lanclaſtriæ à Richardo II. Anglorum rege, in Parlamento in Rich. II. A.C. 1390. Londinenſi, auctore Thoma Vualſingano. Occurrit & inueſtitura per vexillum, vel per gladium: Ioſcellinum de Comitatu Edeſſano per vexillum inueſtijt Ballib. 12. de bell. Sacr. c. 4. duinus II. Rex Hieroſolymitanus, Vuillelmo Tyrio:

Septem Comites per tot vexilla inueſtitos à Vuelſone Duce, narrat Abbas Vrſpergenſis : *Tunc Vuelſus totam militiam ſuam in Thuſciam mouens, maximum conuentum apud ſanctum Geneſium habuit, vbi Baronibus terræ, ſeptem Comitatus cum tot vexillis conceſſit.* Per gladium à Ioanne rege Anglorum inueſtiti die ſolenni inaugurationis ſuæ, Vuillelmus Mareſcallus Comitatu de Striguil, & Gaufridus, Comitatu Eſſexiæ. Rogerus Hoüedenus : *Eodem die coronationis ſuæ Ioannes Rex accinxit Vuillelmum Mareſcallum gladio Comitatus de Striguil, & Gaufridũ filium Petri, gladio Comitatus de Eſſex; qui licèt anteà vocati eſſent Comites, & adminiſtrationem ſuorum Comitatuum habuiſſent, tamen non erant accincti gladio Comitatus, & ipſi illa die ſeruierunt ad menſam Regis accincti gladijs.* Per gladium etiam Comitatu Lincolnienſi inueſtitus Gillebertus de Gant à Ludouico VIII. in regem Anglorum elato. Matthæus Paris : *Veniente ibidem ad Ludouicum Gileberto de Gant, Comitatus Lincolniæ ipſum gladio donauit.* Per ſceptrum etiam Landramnus beneficijs, ſeu feudis Flori patrui ſui, Vice-Comitis Andegauenſis inueſtitus à Theodeberto rege. Fauſtus auctor vitæ ſancti Mauri apud Surium : *Rex verò præ gaudio lacrymas fundebat, congaudens deuotioni animi eius, vocánſque ad ſe nepotem ipſius Flori, nomine Landramnum, dedit per ſceptrum regale, quod manu geſtabat, quæcumque Florus patruus eius ex regali poſſederat dono.* Diu moribus obtinuit inueſtitura Epiſcopatuum per virgam, & anulum: ſed tandem Henricus V. Imperator poſt longas velitationes, remiſſâ huiuſcemodi inueſtiturâ, ex pacto ſibi excepit Regalium inueſtituram per ſceptrum, vt conſentiunt Sigebertus, & Robertus Montenſis, Abbas Vrſpergenſis, & Otho Friſingenſis. No-

in Frid. 1.

in Ioanne 1199.

A.C. 1217.

Ian. 14.

Sigeb. 1111. Rob. 1123. Vrſperg. in Henr. V.

Cap. VIII.
Hominium.

INVESTITVRAM feudi ſequitur fides, id eſt iuſiurandum fidelitatis & hominium, quod feudo naturâ ſuâ ineſt; ſic dictum quòd eius vinculo, beneficiarij principalis Domini homines, id eſt clientes fiant. Hominij formula nota eſt per nexarum & comploſarum manuum porrectionem, & oſculum Domini: hoc ritu PIPINO REGI ſe in fidem dedit Taſſilo Dux Baioariorum. Aymoïnus: *Illuc* (id eſt Compēdium) *& Taſſilo Dux Baioariorum cum primoribus gentis ſuæ venit, & more Francico in manus Regis in vaſſaticum manibus ſuis ſemetipſum commendauit, &c.* Sic & Boamundus Alexio Conſtantinopolitano Imperatori per manus fidem exhibuit, vaſſallorum in morem. Vuillelmus Tyrius: *Factus eſt Dominus Boamundus Imperatoris homo, fidelitate manualiter exhibitâ, & iuramento præſtito corporaliter, quale ſolent fideles Dominis ſuis exhibere.* Hoc & modo Baldricus fidem, hominiúmque præſtitit Roberto ABBATI Vticenſi. Ordericus Vitalis: *Tunc Baldricus*, inquit, *Roberto Abbati iunctis manibus fidelitatem fecit, & ſubiectionem, iuſtitiámque de ſe, ſuíſque hominibus promiſit.* Vnde feudatarij rectè homines per manum & ſacramentum dicuntur. Iuo Carnotenſis: *Igitur*, inquit, *quamuis mei homines eſſent, & per manum, & per ſacramentum, furioſè & clámoſè ſedem meam circumdederunt.* Sacramento fidelitatis præſtito, cuius formulam omitto, quòd ſatîs vulgata ſit ex Epiſtola Fulberti, libris Feudorum, & Decretalium, vaſſallum ad oſcu-

lib. 4. c. 64.

li. 2. de bell. ſacr. c. 15.

lib. 3. hiſt. Eccleſ.

ep. 182.

Fulbert. ep. 101.

lum admittit Dominus : oſculo Vuillelmum piumDucem Aquitaniæ excepit Rodulfus Rex poſt acceptam fidem. Frodoardus : *Tandem Vuillelmus tranſiens ad Rodulphum iam noctu peruenit, & equo deſiliens ad regem equo inſidentem pedibus acceſſit, quem poſtquàm Rex oſculatus eſt vtrinque diſceſſum.* Baronum Angliæ fidem oſculo ſubarrhauit Rex Ioannes, de quo Matthæus Paris : *Deinde cepit homagia de omnibus hominibus liberè tenentibus, & etiam duodecim annorum pueris totius regni, quos omnes poſt fidelitatem factam in oſculum pacis recepit, ac dimiſit.* Similiter Richardus II. apud Froſſardum : *Et baiſoient par foy, & homage leurs mains jointes, ainſi comme il appartient le Roy en la bouche.* Eodem oſculi ſymbolo in fidem & hominium Ducis Lanclaſtriæ coïere Barones Aquitaniæ, teſte Froſſardo : *Si firent la feauté & hommage audit Duc, & luy recognurent toute amour, ſeruice, & obeïſſance, & ainſi le luy iurerent, & le baiſerent tous en la bouche.* Solenne fuit vt majores Duces, & Comites hominij obſequium præſtarent in Concilio generali Galliarum, vt de Taſſilone produnt Annales Francorum. *Et Rex Pipinus tenuit placitum ſuum in Compendio cum Francis, ibique Taſſilo venit Dux Baioariorum in vaſſatico* (lege in vaſſaticum) *ſe commendans per manus.* De Aimerico Vice-Comite Toarcij, Geſta Ludouici VIII. *Statimque rege in Franciam remeante, & parlamentum Pariſijs conuocante, in vigilia beatæ Mariæ Magdalenæ, Vice-Comes Toarcij Pariſios veniens coram legato, & Regis Angliæ nuncijs præſentibus, homagium Regi fecit.* Saltem majeſtatis tuendę gratiâ procerum hominio condictus ſolennis dies in Natali Chriſti. Ludouico VIII. hominij fidem ſanciuit Sauaricus de Maloleone, miles Pictauienſis. Geſta eiuſdem Ludouici VIII.

Sauaricus

in Chron. 914.

A.C. 1209.

vol. 3. ch. 87.

vol. 3. ch. 293

A.C. 757. idem Reg. li. 1. Chron. & alij.

Geſta Lud. VIII.

Sauaricus verò de manibus Anglorũ ſic euadẽs, & pluries infidelitatẽ eorum expertus, Regi Frãciæ Ludouico ſe ſubmiſit, eique in Natali Domini homagiũ ſuum fecit. A proceribus Britonum hominia in Eccleſia exegit Gaufridus Henrici II. Regis Anglorum filius, ob iuriſiurandi religionem. Robertus Montenſis: *Gaufridus filius Regis Anglorum, menſe Maio venit Rhedonis, & Stephanus Rhedonenſis, & Ansbertus Aletenſis Epiſcopi, & Robertus Abbas ſancti Michaëlis de Monte, & aliæ religioſæ perſonæ receperunt eum cum ſumma veneratione in Eccleſia ſancti Petri, ibi accepit homagia Baronum Britanniæ.* Solet ad domum Domini plerumque inueſtitura peti, & hominium offerri, niſi pactione, vel conſuetudine aliud iuris ſit: vt Epiſcopus Carnotenſis ex conſuetudine, non alibi ſecuritatem (id eſt hominium quia vaſſalli fidem ſecuram facit) Comiti Trecenſi à ſe præſtandum contendebat, quàm in ciuitate Carnotenſi, cuius nomine hominium debebatur. Iuo Carnotenſis, Stephano palatino Comiti: *De cetero*, inquit, *de ſecuritate pro qua me inuitaſtis, vt eam vobis Mellis facerem, non eſt mihi conſilium, vt eam vobis alibi faciam, niſi in ciuitate pro qua, & de qua vobis eam debeo; nec decet tam rectæ opinionis hominem, vt aliquid à me exigàtis contra conſuetudinem propter ſuſcitandi odij occaſionem; non enim adeò ſum cupidus aut timidus, vt me vel hoc, vel illud ducat in aliud, quàm habet ratio & conſuetudo: ego enim perquiſitis Eccleſiæ ſcriptis, conſultis etiam antiquioribus Eccleſiæ clericis, nullo modo inuenire potui aliquem Anteceſſorum meorum canonicè promotum, hanc ſecuritatem feciſſe anteceſſoribus veſtris, niſi in ciuitate.* Et præcepto Friderici I. Imperatoris, Duci Auſtriæ hoc datũ, ne pro conducẽdis feudis Imperatorẽ adire debeat extra Auſtriam. Fridericus I. Henrico Duci Auſtriæ apud

A. C. 1170.

ep. 49.

in Auſtria.

Cuſpinianum. *Nec pro conducendis feudis requirere, ſeu accedere debet imperium extra metas Auſtriæ, verùm in terra Auſtriæ ſibi debent ſua feuda conferri per Imperium & locari; quod ſi ſibi denegaretur, ab imperio requirat, exigat literatoriè trina vice, quo facto iuſtè poſſidebit ſua feuda ſinè offenſa Imperij, ac ſi ea corporaliter conduxiſſet.* Moribus noſtris etiam inueſtitura & hominium fit coram Paribus: hoc modo hominio defunctus Balduïnus Comes Flandrenſis apud
1196. Philippum A. Rigordus: *Eodem anno, menſe Iunio, Balduinus, Comes Flandriæ, fecit hominium Regi Philippo apud Compennium, aſtantibus Guillelmo Remenſi Archiepiſcopo, & M. Campaniæ Comitiſſa & multis alijs.* Philippo Valeſio hominium & fidem præſtitit Eduardus III. Rex Anglorum, Ducatus Aquitaniæ nomine, coram Paribus Galliæ, vt & Comes Flandrenſis pro Arteſiæ Comitatu Carolo
vol. 1. c. 25. & vol. 2. c. 112. VI. vt ſcribit Froſſardus. Hominio nonnumquam præter iuſiurandum acceſſerunt & fideiuſſores, dubiæ fidei vincula: de Henrici iunioris fide ſibi cauit Henricus II. Rex Anglorum eius parens, hominio & fideiuſſoriâ
lib. 2. c. 36. cautione, teſte Guillelmo Neubrigenſi. Hominium porrò aliud ligium, aliud non ligium: ligium eſt, quod Regi, aut Imperatori nullo medio debetur. Aymoïni
lib. 5. c. 54. Continuator: *Vnde Rex cum magno exercitu Normanniam aggrediens manu forti eam cepit, quam Henrico filio Comitis Andegauorum reddidit, & eum pro eadem terra in homi-*
in Chron. *nem ligium accepit.* Et Albertus Argentinenſis: *Quamuis autem iidem principes Aquilonis ipſum Francum ipſis grauem exoſum haberent, quum tamen omnes quaſi eius eſſent vaſſalli: niſi ab Imperatore mouerentur cuius eſſent homines ligij inuadendi eum cum honore occaſionem aliquam non habebant.* Quo
de re iudicat. iure in Clementina, *Paſtoralis*, Rex Siciliæ Romanæ Ec-

cleſiæ homo ligius, & vaſſallus aſſeritur : Hominium ligium ligantiam dixere, quia vaſſalli fidem alligat aduersùs omnes, nemine excepto. Robertus Montenſis: *Rex Scotiæ pacificatus eſt cum Rege Angliæ hoc modo : fecit homagium & ligantiam de omni terra ſua, vt proprio Domino.* 1176. Cui lucem affert Guillelmus Neubrigenſis : *Occurrit ei Rex Scotorum cum vniuerſis regni ſui nobilibus, qui omnes in Eccleſia beatiſſimi Apoſtolorum principis, Regi Anglorum tamquam principali Domino hominium cum ligiantia, id eſt ſolenni cautione ſtandi cum eo, & pro eo contra omnes homines rege proprio præcipiente fecerunt.* lib.2.c.37. Et Matthæus Paris de Henrico III. Rege Anglorum. *Gaſconiam contulit Eduardo primogenito filio ſuo, tamen ſibi retinuit principale dominium, ſcilicet ligantiam.* A.C.1252. Alij fidei alligationem : Anſelmus Cantuarienſis in Epiſtola ad Ernulfum, Priorem Cantuarienſem : *Si quis exegit ab aliquo monacho Eccleſiæ veſtræ ſacramentum, aut fidei alligationem.* lib.3.ep.90. & 91. Et in Epiſtola ad Gundulfum : *Nullæ minæ, nulla promiſſio, nulla aſtutia à religione veſtra extorqueat, aut homagium, aut iuſiurandum, aut fidei alligationem.* Hominium ligium maiori demiſſione quàm non ligium præſtatur ; nimirùm flexis genibus, ab inermi, & diſcincto : in hunc modum hominij fidem luit Othocarus Dux Bohemiæ apud Rodulphum Habſpurgicum, de quo Albertus Argentinenſis : *Rex autem longus & gracilis ſtaturâ, valde aquilum habens naſum, indutus griſea ruſticali tunica, cum alto galero, in communi ſtrata ſedens, Othocarum indutum pretioſiſſimè, genu flexum, more regio inueſtiuit de feudis.* in Chron. Et in ſumma genuum flexio ſymbolum adorationis principum : Corippus de laudibus Iuſtini, lib. 3.

Ter gazis ſuſpexit Auar, ter poplite flexo

Pronus adorauit, terræque affixus adhæſit.

Singulari priuilegio Dux Auſtriæ fidem & clientelam apud Imperatorem profitetur, equo inuectus, & Ducali pileo ornatus, vt eſt in ſuprà laudato Friderici I. diplomate apud Cuſpinianum. *Dux Auſtriæ principali indutus veſte, ſuppoſito pileo Ducali circumdato ſerto pinnito, baculum habens in manibus, equo inſidens, & inſuper more aliorum principum Imperij conducere ab Imperio feuda ſua debet.* Etſi verò hominium ligium ſupremo dumtaxat principi deberetur; tamen Duces, & Comites, Regalium inſani aucupes, hominio ligio vaſſallos ſibi obſtringere non dubitarunt. Raimundum Comitem Toloſanum in hominem ligium adegit Henricus II. Rex Anglorum, vt Dux Aquitaniæ, quo nomine infenſum habuit Regem Francorum, vt liquet ex Epiſtola legatorum Regis Angliæ, quæ eſt apud Petrum Bleſenſem: *Addebat*, inquiunt, *etiam ſe firmiſſimum habuiſſe propoſitum expugnandi vos, antequàm Carnotum filius veſter aduentaſſet, quòd in coronæ ſuæ diſpendium Comitem S. Ægidij in ligium hominem recepiſtis:* Ducem Britanniæ in hominem ligium aſſeruit Dux Normanniæ. Rogerus Hoüedenus, ex conuentis pacis Philippi Auguſti cum Richardo: *Et inſuper conceſſit & chartâ ſuâ confirmauit, quòd Ducatus Britanniæ in perpetuum pertineat ad dominatum Ducis Normanniæ, & vt Dux Britanniæ ſemper ſit homo Ducis Normanniæ, & ei reſpondeat ſicut ligio Domino ſuo.* Et Ioannes, Caſtellanus Cameracenſis, dicitur ligius miles Balduini Flandrenſis Comitis, apud Baldricum: *Ioannes igitur caſtellaturâ quam iniuſtè vſurpauerat priuatus, ipſum Comitem Balduinum, cuius ligius miles erat, dereliquit, & ad Imperatorem Romanorum H. ſe contulit.* Guidonem de Malouicino in Sarracenicam expe-

Robert. Mót. 1173. Hoüeden. 1173.

ep. 153.

A. C. 1191.

in Chron.

lib. 3. c. 66.

ditionem profectum, cum lecta ſuorum ligiæ fidei militum manu, teſtis eſt Ioinvilla. Semel labefactato feudorum iure, etiam Regi hominium præſtitere Duces & Comites, exceptis his à quibus alia feuda tenerent: tale hominium admiſit Philippus A. à Balduino Comite Flandrenſi, excepto Epiſcopo Leodienſi, & Imperatore, Hannoniæ nomine, vt patet ex formula eius hominij apud Innocentium III. *Ego Bald. Comes Fland. & Hainen. notum facio vniuerſis præſentibus pariter & futuris, quòd ego conceſſi & iuraui Domino meo ligio Philippo, illuſtri Regi Franciæ, quòd omnibus diebus vitæ meæ bonâ fide, & ſinè fictione ipſum iuuabo contra omnes homines, qui poſſunt viuere & mori, præterquàm de terra Hainen, contra Dominũ meum Epiſcopum Leodicenſem, ſi ipſe vellet inquietare regem Franciæ, vel Rex Franciæ eum; ſiue contra Dominum Imperatorem, de eadem terra, &c.* lib. 1. ep. 130.

CAP. IX.

Seruitium feudi. Bannum. Retrobannum.

FEVDA è militia, & bellicoſis gentibus orta, conſtituuntur ſub lege fidei; & ſeruitij militaris. Agros infeſtis graſſatoribus, beneficij nomine dedit Henricus I. Imperator, eâ conditione, vt imperij fines à Barbaris tuerentur. Vuitichindus: *Rex quippe Henricus cùm eſſet ſatis ſeuerus extraneis, in omnibus cauſis erat clemens ciuibus; vnde quemcumque videbat furum, aut latronum manu fortem, & bellis aptum à debita pœna ei parcebat, collocans in ſuburbano Meſſaburiorum, & datis agris, atque armis iuſſit ciuibus quidem parcere, in Barbaros autem in quantùm auderent latrocinia exercerent.* Hâc lege lib. 2. Sigebert. ad A.C. 933.

à Philippo Auguſto ad militiam in Anglos euocati omnes Duces, Comites, & milites Galliarum, qui feuda A.C.1213. tenebant. Matthæus Paris: *Tunc Rex Francorum rem diu deſideratam intelligens accinxit ſe ad pugnam, atque omnes ſuæ ditionis homines, Duces videlicet, Comites, & Barones, milites, & ſeruientes cum equis & armis iuſſit in Octauis Paſchæ, ſub nomine Culuertagij apud Rhotomagum ità potenter conuenire, ne crimine læſæ majeſtatis damnum exheredationis incurrere viderentur, vulgariter ſub nomine felonis.* Vnde & hiſt. Eccl. lib. 4. c. 9. ſeruitium pro feudo ipſo acceptum. Adamus Bremenſis: *Caſtra autem, & ſeruitia eius ab hoſtibus direpta ſunt.* lib. 1. c. 55. Et Helmoldus: *Comitiam eius, vrbes, & ſeruitia Henricus de Batvuide beneficio Adelberti aſſecutus eſt.* Feuda porrò diſtinxit modus ſeruitij: feuda Scutiferorum fuere, quæ deberent ſeruitium ſcuti, vel cenſum pro redemptione ſeruitij, quem ſcutagium dixere. Feuda Loricæ, *fiefs de Haubert*, quæ deberent ſeruitium loricæ. Mat- A.C.1110. thæus Paris: *Ex præcepto Henrici I. Anglorum Regis, militibus qui per loricas terras ſuas defendunt: terras dominicarum carrucarum ſuarum quietas ab omnibus geldis, & omni proprio* A.C.1160. *dono meo concedo.* Et Robertus Montenſis: *Sumptis ſexaginta ſolidis Andegauenſibus in Normannia de feudo vniuſcuiuſque loricæ.* Vaſſallorum onus eſt, cùm delectus imperatur, vt in militiam proficiſcantur per ſe, vel per vicarium idoneum, vel certum cenſum Domino penſitent, quod heribannum veteres dixere, à Germanicâ voce *Here*, quâ ſignificatur exercitus: poſteriores in hunc diem Bannum, Retrobannum: Bannum eſt edictum, delectus militum qui tenent feuda obnoxia nobili armorum ſeruitio. Retrobannum, delectus eorum qui tenent libera, ſeu franca, vt loquuntur, feuda ſpe-

ciali ſeruitio immunia, vel plebeiorum quibus ſuppetunt minora feuda ſub lege certæ penſionis pecuniæ. Auctor Anonymus de recuperatione Terræ ſanctæ : *Si verò Dominus Rex ſaniori quo poteſt fungens conſilio, iudicat omnium debentium armorum ſeruitium, auxilium ſibi non ſufficere; poteſt vocare retrobannium; videlicet primò auxilium franca feoda tenentium; & ſi ſufficiat, debet eſſe contentus; ſi non ſufficiat, vocare debet quatinus ſecundùm verum & rectum iudicium ſibi deeſt, & non vltra, auxilium populi, id eſt omnium feoda non franca tenentium.* Olim beneficiarijs tempus legitimum ſeruitij fuit per quadraginta dies, ſeu noctes, vt Gallorum mos fuit numerandi dies per noctes. Capitulare Ludouici Auguſti : *Poſtquàm Comes, & pagenſes de qualicumque expeditione hoſtili reuerſi fuerint, ex eo die ſuper XL. noctes ſit bannus reciſus*: Ex quo libatum eſt Capitulare Caroli Calui. Poſt quadraginta dies miſſio poſtulata : id temporis emenſus Henricus Comes Campaniæ in obſidione vrbis Auenionenſis, miſſionem petijt à Ludouico VIII. Francorum Rege. Matthæus Paris : *Vbi venit ad eum Henricus Comes Campanienſis, cùm iam quadraginta dies in obſidione peregiſſet petens de conſuetudine Gallicana licentiam ad propria redeundi.* Quo iure vſi & Comites Galliarum, poſtquàm quadraginta diebus excubaſſent in obſidione Andegauiæ: idem Matthæus Paris : *Qui omnes impetratâ licentiâ à Rege Francorum, completis in obſidione Andegauiæ quadraginta dierum excubijs, reuerſi ſunt in patriam ſuam.* Et quæ fuit lex principalium vaſſallorum vt principi tenerentur quadraginta dierum ſeruitio, eadem fuit ſubuaſſallorum in Dominum : Fidem & ſeruitium tot dierum Henrico II. Regi Angliæ, & eius liberis ſpopondit Raimundus Comes

cap. 76.

ad. 4. c. 84.

tit. 31. c. 33.

A. C. 1226.

A. C. 1230.

1173. idem Robert. Mõtenſ. 1174. Toloſanus. Rogerus Hoüedenus: *Deinde venit Rex Angliæ pater, & Rex filius eius cum eo, vſque ad Limoges, & Raimundus Comes de ſancto Ægidio venit illuc ad eos, & deuenit ibi homo vtriuſque, Regis Angliæ, & Richardi Comitis Pictauiæ, de Toloſa tenenda de eis iure hereditario, per ſeruitium veniendi ad eos ad ſummonitionem eorum, & moram faciendi cum eis in ſeruitio eorum per quadraginta dies ſinè aliquo cuſtamento eorum; ſed ſi illi voluerint eum habere diutiùs in ſeruitio ſuo, illi inuenient ei expenſas ſuas rationabiles.* Hodiè ſeruitiũ banni quadraginta diebus intrà regni limites, tribus menſibus extra regnum finitur. Apud Germanos, Dux Auſtriæ iure præcipuo vſus eſt, vt Imperatori militarem operam non deberet vltra menſem, idque non niſi in expeditione aduerſùs Hungaros olim Germaniæ infeſtiſſimos hoſtes, vt eſt in diplomate Friderici I. apud

in Auſtria. Cuſpinianum. *Primò quidem quòd Dux Auſtriæ nec quibuſvis ſubſidijs, & ſeruitijs tenetur, nec eſſe debet obnoxius ſacro Romano Imperio, nec cuiquam alteri, niſi ea de ſui arbitrij libertate fecerit; eo excepto dumtaxat, quòd imperio ſeruire tenebitur in Hungariam duodecim viris armatis per menſem vnum ſub expenſis proprijs, in eius rei euidentiam, vt princeps Imperij agnoſcatur.*

Cap. X.

Feudorum conditio militaris. Franca feuda. Ruptarij.

FEvda naturâ ſuâ, & lege patriâ ſunt militaria, id eſt militari ordini adſcripta; ità vt in paganos non cadant: vnde in libris Feudorum clerici & monachi in feudo non ſuccedunt, quòd deſinit eſſe miles ſeculi, qui factus eſt miles Chriſti: itidem & naturales filij à ſucceſſione feudorum repelluntur, tamquam degeneres, & nobilitatis expertes; quam ob cauſam Gregorius VII. P. in Epiſtola ad Guillelmum Comitem Pictauienſem: *Ex hoc*, inquit, *nobilitas generis valde corrumpitur, cùm proles non de legitima coniugij permixtione generatur.* Ex Conſtitutione Friderici I. nefarij presbyterorum filij, vt ruſticorum, cingulo militari vti vetantur, apud Abbatem Vrſpergenſem: *De filijs quoque presbyterorum, diaconorum, ruſticorum, ſtatuimus ne cingulum militare aliquatenus aſſumant, & qui iam aſſumpſerunt per iudicem prouinciæ à militia pellantur*: Ob id etiam feuda honores vocitarunt, vt honorem Credonenſem. Goffridus Vindocinenſis: *Deus qui permiſit vos honorem Credonenſem habere.* Et honorem Ambaſiæ. Robertus Montenſis: *Caput autem ſui honoris, ſcilicet Ambaſiam, tenebat de Rege Henrico*: nempe quòd feudorum compotes eſſent ſoli nobiles, quos labens ætas Honoratos nuncupauit: vt Maſſilienſes olim ſenatores ſuos τιμούχους, *Honoratos*, teſte Strabone. Ruente æuo feudis obrepſerunt etiam plebeij & municipales, prædia Monaſterij S. Galli à miniſtris eiuſdem in modũ beneficiorũ occupata deplorat alias Burkardus: *In hac peſtilẽtia fideles huius*

lib.2.ep.3.

A.C.1187.

lib.5.ep.27.

A.C.1161.

lib.4.

de Caſib. Monaſter. S. Galli.c.8.

Eccleſiæ inter ſe poſſeſſiones noſtras diuidebant; miniſteriales, optimos manſus curiarum noſtrarum eligebant, Cellerarij Eccleſiæ iura villicationis, in modum beneficiorum habere contendebant, & contra conſuetudinem quidam ex ipſis more nobilium gladium cingebant. Hanc labem feudis maximè arceſſierunt variæ Francorum in Syriam expeditiones, quarum causâ Duces, Comites, & alij milites feuda, & ditiones diſtrahere coacti, ea in plebeios, & clericos, ſeu Eccleſias alienarunt, vt faciliùs emptorem inuenirent, ídque ſuadentibus edictis Romanorum Pontificum eius æui, qui nihil non tentarunt belli ſacri promouendi ſtudio, & conniuentiâ etiam noſtrorum principum: quò ſpectat Epiſtola Eugenij III. apud Othonem Friſingenſem: *Liceat eis etiam terras, ſiue ceteras poſſeſſiones ſuas, poſtquàm commoniti propinqui, ſiue Domini ad quorum feudum pertinent, pecuniam commodare aut noluerint, aut non valuerint, Eccleſijs, vel perſonis Eccleſiaſticis, vel alijs quoque fidelibus liberè, ſinè vlla reclamatione impignorare.* Hoc pacto feudorum iure labefactato, ne ordinum ſtatus omnino euerteretur, & plebeij ſe pro equitibus gererent, placuit feudorum nomine his cenſum imponi, idiotiſmo, *droit de francs-fiefs*, quem in perpetuum ignobilitatis argumentum fiſco inferrent: Plebeios, Ruptarios dixere, quòd rei ruſticæ & proſcindendo, ſeu rumpendo ruri operam darent, & rupturas, noualia, id eſt agros de nouo excolendos datos ſub certo cenſu ærario, vel annonario, quem campartum, quaſi campi partum, ſiue fœtum dixere. Ordericus Vitalis: *Conceſſerunt etiam totius villæ herbagium abſque vllius participatione quietum, terram quoque tam in manſuris, quàm in rupturis totius parochiæ hominibus ibidem hoſpitatis excolendam, reſeruato ſibi tantummodò camparto.* Quo loco ſciendum Ruptarios

Lib. 1. de geſt. Frid. c. 35.

Lib. 5. hiſt. Eccl. ſ.

alios eſſe à Rutarijs, qui vnà cum Berbenſonibus damnati in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. hi enim nomen factionis accepere à Ruta, ſiue rota, quæ eſt turma equeſtris, Guillelmo Neubrigenſi: ex quo monemur, malè ſcripſiſſe Matthæum Paris Brebancijs, & Ruptarijs, pro Rutarijs. lib.2.c.27. & lib.5.c.13. A.C.1173.

Cap. XI.

Juriſdictio feudalis.

IN Gallia vt feuda, ità & iuriſdictiones quæ feudis cohærent, patrimonij iure tenentur. Cum feudis plerumque à principe conceſſa juriſdictio in colonos, vel à beneficiarijs vſucapta, occaſione feudi poſſeſſionis; ac tandem feudis deſinentibus in ditiones perpetuas, facilè iuriſdictio in fata feudorum conceſſit, vnde ferè ſemper in veteribus monumentis feuda & iuriſdictiones coniunguntur. Ciſtercienſes ſtylo perſtringit Alexander III. P. *quòd fidelitates & hominia benignè ſuſciperent, iuſtitiarias & tributarias tenerent.* Cap. recelentes.ex.de ſtat. Monach. Dico fere ſemper: nam feudum naturâ ſuâ nihil commune habet cum iuriſdictione, nec allodium, vt in Conſtitutione Friderici apud Radeuicum: *Ad hæc qui allodium ſuum vendiderit, diſtrictum & iuriſdictionem Imperatoris vendere non præſumat, & ſi fecerit non valeat.* li.2.de geſt. Frid. c. 8. Primis temporibus Domini feudales iuriſdictionem ipſi per ſe exercuerunt, & colonis ius dixere: de Geraldo Comite Aureliacenſi teſtatur Odo Cluniacenſis: *In craſtinum verò Mallenſibus vndique ad ſeniorem confluentibus iubet reum adduci.* lib.1.de vit. S. Geraldi. c. 19. De Carolo Flandriæ Comite, Gualterus Taruanenſis: *In quibus omnibus hunc ordi-* in vit. Caroli Comit. Flandr.c.10.

nem ſæpiùs obſeruabat, vt ſi quando Clerici, vel Monachi religioſi, neceſſitate aliquâ cogente, in Curia eius cauſas agere haberent, eorum ante alia & querelas audiret, & cauſas terminaret, & ſic demum ad alia ſe tractanda conuerteret. Imò & moribus Galliæ fœminæ ipſæ feudalis iuriſdictionis compotes iuri dicundo operam dedere: Innocentius III. P. *Iuxta conſuetudinem approbatam, quæ pro lege ſeruatur in partibus Gallicanis, fœminæ præcellentes in ſubditos ſuos ordinariam iuriſdictionem habere noſcuntur.* Hoc iure meretriculam, quæ conſueuerat cum clerico, intrà territorium ſuum, tonſo capillo in ſpeciem coronæ clericæ deturpaſſe fertur Matrona Gallica. Iacobus à Vitriaco: *Quædam autem nobilis mulier in villa quam habebat, frequenter admonuit presbyterum, vt ſuam relinqueret concubinam; quo renuente & reſpondente, quid ad vos de ſacerdotibus? ipſa reſpondit, contra vos nullam poſſum exercere iuſtitiam, veruntamen omnes huius villæ qui non ſunt clerici ad meam ſpectant iuriſdictionem: iubens autem ſacerdotis ad ſe adduci concubinam, fecit ei fieri amplam coronam dicens; quia non vis relinquere ſacerdotem, volo te ordinare in ſacerdotiſſam.* Labente æuo, Domini iuris dicundi officio per vicarios defuncti ſunt: verùm quia ob penuriam peritorum plerique clericos eligebant in iudices, id vetuere Patres Chriſtianæ reipublicæ. Concilium Londinenſe habitum anno ſalutis M.C.II. ſub Anſelmo, Cantuarienſi Archiepiſcopo, apud Vuillelmum Malmesburienſē: *Nec quilibet clerici ſint ſecularium præpoſiti, vel procuratores, aut iudices ſanguinis.* Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. *Sed nec procuratores villarum, aut iuriſdictiones etiam ſeculares ſub aliquibus principibus, & ſecularibus viris, vt iuſtitiarij eorum fiant, quiſquam clericorum exercere præſumat.* Alexander III. Cantuarienſi Archiepiſcopo. *Iubemus etiam*

Cap. dilecti. ex. de arbitr.

li. 1. Occid. hiſt. c. 8.

li. 1. de geſt. pontif. Angl.

cap. 1. de poſtuland.

cap. Clericis. extr. de Cleric. vel

ſub interminatione anathematis, ne quis ſacerdos officium habeat Vice-Comitis, aut præpoſiti ſecularis. Hinc ad tribunal Romanum reiectus quidam clericus, quòd iuriſdictionem pro Comite Flandrenſi exercuiſſet; de quo Stephanus Tornacenſis: *Iuriſdictionem ciuilem vſque ad rigorem, quam imperium mixtum quidam appellant, ſub poteſtate Comitis Flandrenſis procuratorio nomine diu exercuit; vbi ex officio qualitercumque ſuſcepto tenebatur, & innocentes abſoluere, & noxios condemnare: neminem tamen, vt ipſe confitetur, ad effuſionem ſanguinis ore proprio condemnauit; ſed confeſſos, aut conuictos de crimine, Communiæ Ambianenſi, ad quam iudicium ſanguinis ſpectat, ſecundùm quod meruiſſet reus iudicandos expoſuit & plectendos.* Malo æui ſydere iudices Eccleſiaſtici iuriſdictionem regiam, & feudalem fere prorſus in poteſtatem ſuam redegere, obtentu religionis iuriſiurandi, quo inſtrumenta omnia ſanciebantur: ſed temporibus D. Ludouici proceres Galliæ in vindicias regiæ, ſuæque iuriſdictionis coierunt, & hac de re libellos obteſtationis publicè ediderunt: teſtes ſunt Matthæus Paris, & Matthæus Vueſtmonaſterienſis.

monach. ſecul.

ep. 131.

A.C. 1247.

CAP. XII.
Judicium de feudo.

SI quæſtio fuerit inter maiores vaſſos de feudo regali, putà Ducatu, vel Comitatu, cognitio eſt principis, adhibitis paribus: id iuris, moribus Galliæ receptum agnouit Honorius III. in Epiſtola decretali ad Ludouicum VIII. Francorum regem, cuius ſententia hæc eſt: defuncto ſinè liberis Campaniæ Comite, cùm Aliſia Henrici II. Campaniæ Co-

cap. tuam vos de ord. cognit.

mitis nata, nupta Hugoni de Luſiniano, Regi Cypri, de ſucceſſione patrui contenderet, & re in iudicium deductâ apud Ludouicum VIII. aduersùs Reginam exciperetur de labe natalium, iuriſdictionis regiæ eſſe litem de ſucceſſione vltrò confeſſus Pontifex: ſed à Ludouico petijt, vt iudicium de ſucceſſione ſuſpenderet, quoad quæſtio natalium apud ſedem Pontificiam finem ſortiretur. Et antè, Ioanne Anglorum Rege proſcripto iudicio Parium Galliæ, & vniuerſis eius feudis ciſmarinis in fiſcum redactis, ob nefariam cædem Arturi ex fratre nepotis, partes ſuas interpoſuit Innocentius III. tamquam vindex periurij, & violatæ pacis, cognitione feudi Regi integrâ relictâ, vt liquet ex eius decretali
Cap. nouit. de iudic. Epiſtola. Hinc motâ quæſtione inter Richardum Anglorum Regem, & Dominum Virſonis Bituricenſem, non iure Virſonis Dominus in ius vocatus apud Ri-
lib. 5. Philippid. chardum, omiſſo Rege, Guillelmus Brito.

Perſtat, ſéque alias Richardus vertit ad artes,
Prouocat in cauſam Dominum Virſonis, eúmque
Ordine peruerſo iudex effectus, & actor,
Conuenit iniuſtâ coram ſe lite ſuper re
Ad Regis de iure forum ſpectante Philippi.

Si quæſtio ſit de feudo inter Dominum & Vaſſallum, lis iudicio Parium ventilanda. Cùm eſſet lis de feudo inter Hugonem & Epiſcopum Cameracenſem, ea iudi-
lib. 3. c. 75. cio Parium definita, vt narrat Baldricus: vnde malæ frugis nota aſperſa Henrico III. Anglorum Regi, quòd Guillelmum de Ros feudis multaſſet ſine iudicio parium, ob ſeruitium, etſi per inopiam, non impletum, teſte
A. C. 1242. Matthæo Paris. Quid ſi de feudo controuerſia ſit inter duos conuaſſallos? quæſtio pertinet ad Dominum feudi, conſtitutione Friderici, de qua Guntherus,

Inter Vaſſallos vnius fortè patroni lib. 8. Ligu.
Quæſtio de feudo quoties agitatur eodem,
Quo feudi Domino gaudent, hoc iudice certent.

Idem moribus Galliæ; qua de cauſa militibus à quodam in ius vocatis apud Trecenſem Epiſcopum de feudo, quod non tenebant ab Eccleſia Trecenſi, ſed à nobili quodam laïco, meritò militibus illis, laïcus Dominus feudi inhibuit, ne de ſeculari feudo reſponderent coram Trecenſi Epiſcopo, quod & Alexander III. pontifex conſultus hac de re approbauit. (in cap. ex tranſmiſſa de foro comp.) Non alio iure quæſtio de feudo, quæ agitabatur inter Rotrocum Comitem, & Hugonen Vice-Comitem Carnotenſem, & Iuonem Dominum Curuævillæ ſubuaſſallum Vice-Comitis, ab Iuone Carnotenſi Epiſcopo reiecta ad Comitiſſam Carnotenſem, vt dominam feudi. Rotrocus Comes munitionem, ſeu caſtrum poſuerat in fundo Carnotenſis diœceſis, quem ſui iuris ac tuitionis eſſe contendebat; hac de re queſti Vice-Comes, & Hugo Curuæuillæ, munitionem in fundo tuitionis ſuæ excitatam; res perlata ad Iuonem Carnotenſem Epiſcopum obtentu pacis, & ſecuritatis impenſæ militibus tranſmarinis, re diſceptatâ, lis reddita foro Comitiſſæ Carnotenſis, de cuius feudo agebatur: & cùm in eius foro pronunciatum eſſet ſecundùm Rotrocum Comitem, & rurſus ex reſcripto Vrbani II. lis redintegraretur apud Carnotenſem Epiſcopum, vt ædificatum medio tempore reſtitueretur, id eſt deponeretur, auctoritate rei iudicatę defenſus Rotrocus, quòd iudicio Comitiſſæ, quæ erat domina feudi, munitio ei addicta foret: quæ omnia colliguntur ex Epiſtolis Iuonis Carnotenſis. (ep. 168. 169. & 173.) Eodémque iure quæſtio de hereditate, quæ feudis conſtabat, meritò tranſlata ad Comitem Theobaldum, vt po-

tè Dominum feudi, & iuris ciſmontani peritiſſimum,
ep. 89. vt iam obſeruatum ex Ioanne Saresberienſi.

CAP. XIII.
Iuriſdictio temporalis Eccleſiarum.

c. 18. Can. 39. Can. 40. c. 10. c. 1. de Imm. Eccleſ.

ECCLESIARVM, & Monaſteriorum quieti omni modo proſpectum: huius causâ Concilium Arelatenſe IV. Turonenſe III. Moguntinum I. Sueſſionēſe II. & ſynodus Ioannis IX. P. conſentientem legem fecere: *Ne à Comitibus malla, & placita ſecularia habeantur in Eccleſijs, vel atrijs Eccleſiarum, vel manſionibus presbyterorum.* His acceſſere REgum præcepta; *Ne iudex publicus villas Eccleſiarum ad*
li. 1. form. 3. *cauſas audiendas, vel freda* (id eſt indicti genus) *exigēda, præſumat ingredi*, vt obſeruatū ex MARCULFI formula. Hâc ratione exactis ab Eccleſijs, & prædijs Eccleſiarū, iudicibus publicis, ſuos iudices eis habere permiſſum, mandatâ eis jurisdictione in colonos & ſeruos: Hanc exercuere ADuocati, & Vice-Domini Eccleſiarum, vt Monaſterio Laurishamenſi in Germania à Comitum juriſdictione ſoluto, beneficio Conradi II. ſuus iudex tributus ADuocatus Monaſterij, quem Abbas elegiſſet. Chronicon Laurishamenſe: *Hic itaque Conradus II. Rex rogatu præfati Reginbaldi Abbatis tradidit S. Nazario omne ſuum regale ius in mancipijs, in Gannita, eâ ſcilicet ratione, vt nullus Comes, Vice-Comes, aut alia qualibet iudiciaria perſona, in eiſdem mancipijs aliquam deinceps habeat ſui iuris exercendi poteſtatem, ſiue ad placitum ſuum conſtringendi, ſeu bannum perſoluendi, niſi prædictus Abbas, ſuique ſucceſſores, & quem ipſi Aduocatum elegerint.* Eâdem temporali iuriſdictione,

in res

in res & homines Hirſaugienſis Monaſterij perfunctus Aduocatus ipſius, priuilegio Henrici IV. apud Trithemium: *Sin autem aptum & vtilem Aduocatum vndecumque ſibi placuerit eligant; hic denique Abbate petente à Rege accipiat legitimum bannum, & ter in anno ſi neceſſe fuerit, aut in ipſam cellam, aut vbicumque, vel quando Abbati placuerit inuitatus ab illo veniat, & ibi placitum iuſſum pro cauſis & neceſſitatibus Monaſterij ritè peragat; nullum autem ſeruitium aliud ius, aut beneficium ſibi pro hoc concedi recognoſcat, niſi tertium bannum, & conſuetudinariam iuſtitiam, & legem quam ceteri Aduocati in alijs liberis Monaſterijs habent; ſuper fures proteruiam, & cenſuales, & cetera talia, & in illis trium placitorum diebus, in vnoquoque vnum malthum de frumento, & vnum friſcingum, & vnum ſiclum de vino, & cetera ad hæc pertinentia.* Fuldenſi monaſterio fuit & Aduocatus iuri dicundo inter colonos præfectus. Traditiones Fuldenſes: *Tunc Centurio Sigifrid, qui Aduocatus noſter fuit, & vnà fratres noſtri cum eo, placitum conſtituerunt, &c.* Exſtant & tabulæ Henrici Comitis Palatini pro Monaſterio Lacenſi apud Miræum, quarum præcipuæ leges hæ ſunt: *Aduocatus ne alium ſibi, niſi Abbatis ordinarium iudicem ſubroget, in cognitione cauſarum; ne've ad cauſas audiendas veniat, niſi à Monachis inuitatus.* Hoc iure, & cœnobio ſancti Martini de Campis apud Pariſios temporale ſuppetit forum in ſuos homines, ex tabulis Ludouici Iunioris, quæ inter priuilegia Martiniana cenſentur: *Scilicet quòd nos, vel heredes noſtri numquam beati Martini homines, vel hoſpites capiemus, niſi in præſenti forefacto fuerint deprehenſi; & ſi nos, vel homines noſtri querelam aduersùs eos aliquam habuerimus, in curiam beati Martini ibimus, & iuſtitiam per manum Prioris, vel monachorum indè ſuſcipiemus.* Appellationes ab Epiſcopis in his quæ ſunt

in Chron. Hirſaug.

lib. 2. p. 514.

lib. 2. dipl. c. 25.

priuileg. Martin.

temporalis iuriſdictionis ad Metropolitanum deferri voluit Bonifacius VIII. Pontifex, ſed minimè id ſeruatur in Gallia.

in cap. Romana. de appell. in 6.

Cap. XIV.
Releuamentum feudi.

Mortvo Vaſſallo heres eius, niſi intrà annū & diem feudum releuarit, id eſt inueſtituræ reſtaurationem petierit à Domino, feudum amittit, conſtitutione Friderici I. Guntherus.

lib. 8. Ligur.

Succeſſor feudi totum ſi fortè per annum,
Atque diem, tacto primæ iam tempore pubis
Siue dolo, ſeu deſidiâ, ſeu mente ſuperbâ
Spreuerit à Domino feudalia poſcere iura
Perdat, & hæc Dominus proprios aſſumat in vſus.

Moribus Galliæ, ceſſante vaſſallo, ſi non petatur inueſtitura intrà quadraginta dies, Dominus ſtatim ipſo iure feudum non vindicat iure commiſſi; ſed iure pignoris feudalis manum inijcit, & interim fructus ſuos facit: ſic Iuliacenſi Duce inueſtituram non petente ſubfeudi Viarſonis nomine, Dux Bituricenſis, Dominus feudi poſſeſſionem arripuit, & fructus lucrifecit, teſte Froſſardo. Nec diſpari ratione libertos Eccleſiarum intrà annum ordinationis noui Pontificis profeſſionem repetere, & chartulam manumiſſionis ſuæ edere oportuit, teſtationis causâ: quò pertinet Can. IX. Concilij Toletani VI. & Can. IV. Concilij Cæſarauguſtani III. Moribus feudo ad ſuos heredes tranſlato, non debetur redemptio feudi, ſed iuſta releuatio, id eſt renouatio

vol. 3. c. 98.

c. longinquitate 12. qu. 2.

inueſtituræ. In Conſtitutione Henrici I. Anglorum Regis apud Matthæum Paris : *Si quis Baronum meorum, Comitum, vel aliorum, qui de me tenent, mortuus fuerit, heres ſuus non redimet terram ſuam, ſed iuſtâ & legitimâ releuatione releuabit eam : ſimiliter, & homines Baronum meorum legitimâ & iuſtâ releuatione releuabunt terras ſuas de Dominis ſuis.* Feudo vendíto, debetur Domino pretij pars pro redemptione feudi : ea eſt quinta, & quintæ quinta, *droit de quint & requint :* quod prꝫſtationis genus, εἰσδεκτικὸν in Nouella Leonis XIII. noſtris releuium : ídque, niſi Dominus malit vti iure προτιμήσεως. Mutato morte vaſſallo debetur ἀνάκαμψις, ſeu redemptio feudi, ea eſt reditus vnius anni, vel certa ſumma, aut arbitraria. A.C. 1110.

Cap. XV.

Alienatio, & diuiſio feudi.

NOVELLA Conſtantini Porphyrogennetæ περὶ στρατιωτικῶν, prꝫdia militaria, quæ feudis comparantur, nullomodo potuere à militibus alienari. Ex Conſtitutionibus Lotharij III. & Friderici I. feudum alienari non poteſt, inuito Domino, alioquin irrita eſt venditio, feudúmque committitur. Guntherus, lib. 8. Ligur.

Si quis habens feudum pretio ſeu vendere totum,
Seu pro parte velit, dominique licentia deſit,
Seu dare, ſeu vadio ſupponere cogitur illud,
Qui dedit amittet, non qui ſuſcepit habebit.

Et paulò pòſt.

Hæc magnus fieri vetuit Lutherius, at nos

Facta retractari volumus, facienda caueri.

Ex eiſdem conſtitutionibus non poſſunt feuda donari, etiam ex pia cauſa, ſinè conſenſu Domini, ne ſeruitium militiæ pereat. Moribus Galliæ idem iuris eualuit, vt ſuprà ex varijs Orderici locis probaui, in diſſertatione de iure amortizationis: quibus adde quod ſcripſit Author anonymus vitæ Burchardi Comitis, Ermenfridum militem donaſſe prædia Foſſatenſi Monaſterio, non ſinè conſenſu Burchardi Comitis Domini principalis: *Deprecatus eſt itaque eum, quatinus villam, quam de eius beneficio tenebat, quæ Licias appellatur, Eccleſiæ Foſſatenſi daret, ità vt etiam prædium ſuæ poſſeſſionis, quod Aiureum dicitur, ſpontaneâ voluntate ſimul tribueret.* Nonnumquam tamen ex pacto, vel beneficio, libera feudi alienatio à Domino principali conceſſa, fauore piæ cauſæ; vt factum ab eodem Burchardo Comite, pro Foſſatenſi cœnobio meminit eius vitæ Autor: *Statuit denique decretum, vt quicumque fidelium ſuorũ ex ſuis caſtris vellet aliquam partẽ terrarum Eccleſiæ Foſſatenſi tribuere, liberam haberet licentiã dandi abſque iuſſione ſuorum ſucceſſorum, quicquid animo libuiſſet.* Sed hodiè aliter vſu venit, vt feuda vendi, & alienari omnino poſſint ſinè voluntate Domini, quia feuda deſciuerunt à ſui natura, & patrimonij iure cenſentur: ſed Domino volenti debentur εἰσδεκτικά; non aſſentienti, integrum eſt ius προτιμήσεως: nec non eo iure quo vtimur feudum Eccleſiæ vendi poteſt, ſed cum ſua cauſa; quo caſu ne quid Domino principali deſideretur, quòd Eccleſia ſit immortalis, militiæque inhabilis, cogitur Eccleſia præſtare hominem, à quo debita obſequia exhibeantur, quóque mortuo fidelitas redintegretur. Ex conſtitutione Conradi, Dominus ſinè Vaſſalli voluntate feudum alienare non poteſt, quod temperatum

in ſupplem. antiq. Paris.

moribus Mediolanenſium, quibus permiſſa alienatio in parem vel majorem: hâc ratione cùm Ioannes rex Anglorum regnum Innocentio III. Romano Pontifici vectigale feciſſet; hoc audito Philippus Auguſtus palàm edixit coram Vualone legato Pontificio, minimè potuiſſe regem id facere ſinè conſenſu Baronum: *Nullus*, inquit ille apud Matthæum Vueſtmonaſterienſem, *Rex, vel princeps poteſt dare regnum ſuum ſinè aſſenſu Baronum ſuorum, qui regnum illud tenentur defendere; & ſi Papa hunc errorem tueri decreuerit perniciosiſſimum regnis omnibus dat exēplum.* Sic & Aquitaniâ pactione pacis Bretiniacēſi Anglis deditâ, plures Aquitanorum procerum vix Anglum in Dominum agnouerunt, quòd rex imperium abdicare, & Vaſſallos inuitos à ſe alienare potis non fuiſſet, teſte Froſſardo: quod iuuatur argumento *legis, legatus. ff. de officio præſidis.* Inter pares etiam conſociatio, & communitas vaſſallorum contrahi poteſt, qualem pacti ſunt Humbertus Delphinus Viennenſis, & Comes Sabaudiæ, vt mutuas de Vaſſallis controuerſias dirimerent. Albertus Argentinenſis: *Humbertus frater eius dominium Delphinatus nanciſcens, ità Aymoni Comiti reformabatur, quòd pro majori cautela quilibet eorum vaſſallus alterius eſt effectus, ſicque inter eos briga ceſſauit.* Moribus Galliæ etiam majora feuda, putà Ducatus, & Comitatus diuiſionem non ferunt: eodem iure vtitur Germania, conſtitutione Friderici. Guntherus,

A.C.1216.

vol.1.c.214.

in Chronic.

Marcus deciſ. 335. p. 1. Boër. deciſ. 204. Guido Pap. d. 476.

Marchia, ſeu Comitis poſſeſſio, ſiue Ducatus
Integra permaneant, feudalia cetera multis
Participanda patent, Domino dum quiſque fidele
Spondeat obſequium, iuranda fœdera præſtet.

lib. 8. Ligur.

Quod & ſolutâ oratione expreſſit Otho Friſingenſis.

li. 1. de geſt. Frid. c. 5.

Sic Auſtriæ Ducatui propria lex dicta ne diuiſionem patiatur, ex decreto Friderici I. apud Cuſpinianum: *Inter Duces Auſtriæ, qui ſenior fuerit dominium habeat dictæ terræ, ad cuius etiam ſeniorem filium iure hereditario deducatur; ità tamen quod ab eiuſdem ſanguinis ſtipite non recedat, nec Ducatus Auſtriæ vllo vmquam tempore diuiſionis alicuius recipiat ſectionem.* Maiora inquam feuda diuidi non poſſunt, niſi accedente conſenſu principis: ſic conſenſu Imperatoris, Luneburgenſis ditio abſciſſa è Ducatu Bruinſuicenſi, iudicio familiæ erciſcundæ inter Albertum Ducem Bruinſuicenſem, & Ioannem fratrem. Paulus Langius: *Hic*, inquit, *cum fratre Ioanne patriam partitus eſt ditionem, cum Cæſaris conſenſu, vt dominium Luneburgenſe retineret Ioannes, Brunſuuicenſe remaneret ſibi; & ità fecerunt: verùm arma indiuiſa mutuò, & per poſteros vſque in præſens ſeruauerunt.*

in Auſtria.

in Chron. Citiz.

Cap. XVI.

Commiſſum, & Reuerſio feudi.

Feudum committitur ob feloniam, id eſt perfidiam, putà ob fugam ad hoſtes. Vaſſallos amiſit Comes Ioppenſis, quòd à Fulcone Rege Hieroſolymitano tranſijſſet ad hoſtes regni: *Hæc videntes*, inquit Vuillelmus Tyrius, *quidam de fidelibus eius, relinquentes quæ ab eo habebant beneficia, meliores partes ſecuti ad Dominum Regem ſe contulerunt.* Ob defectionem feudis multatus Comes de Baſſeuilla, à Guillelmo Rege Siciliæ. Robertus Montenſis: *Guillelmus Rex Siciliæ exhereditauit etiam Comitem de Baſſeuilla, cognatum ſuum, quia ab ipſo deſciuerat.* Feudum etiam committitur ob deſertionem Domini, vel principis in acie & militare ſeruitium non impletum. Ordericus Vitalis: *Certum*

lib. 14. de bell. ſacr. c. 16.

A.C. 1157.

lib. 10. hiſt. Eccleſ.

eſt quòd quiſquis Dominum ſuum in mortis periculo ſponte deſerit aliúmque pro auiditate lucri appetit, ſeu militare ſeruitium, quod vltrò pro defenſione regni exhibere debet, regi ſuo venale facit, eúmque proprijs ſpoliare dominijs contendit, indicio rationis & æquitatis vt proditor iudicabitur, & hereditarijs rebus meritò nudatus extorris effugabitur. Feudum & committitur ob contumaciam, & iniuriam in Dominum, vel principem; & hoc eſt quod ſcripſit Sugerius; lege Salicâ, id eſt moribus Francorum, feudum ob iniuriam amitti: *Aſſiſtunt equidem qui magnificis exhorrent ſupplicijs, multo etiam & ſumptuoſo ſeruitio ad partes Bituricenſium Dominum Ludouicum tranſmeare ea in parte, quâ confinia Lemouicenſium autumant, ad caſtrum videlicet ſanctæ Seueræ nobiliſſimum, & hereditariâ militiæ poſſeſſione famoſum, pedite multo populoſum dominium, & illius virum nobilem Heinbaldum ad exſequendum iuſtitiam cogere, aut iure pro iniuria caſtrum lege Salicâ amittere.* Carolo Flandrenſi Comite per proditionem quorumdam optimatum nefariè trucidato, Guillelmus Comes, Alardi Vuarneſtimenſis feudis manum iniecit, ob receptatum vnum ex percuſſoribus, de quo Gualterus Taruanenſis: *Vnde & idem domnus Guillelmus hominium Alardi guerpiuit, & eo diffiduciato totum feodum eius ſaiſiuit.* Feudum etiam committitur ob malas conſuetudines, id eſt nouos cenſus indictos. Robertus Montenſis: *Vuillelmus Talauacius Comes Sagienſis, & filius eius Ioannes, & item Ioannes nepos eius, filius Guidonis primogeniti ſui, Comitis Pontiui, conceſſerunt Regi Henrico caſtrum Alenceium, & Roccam Mabirit, cum eis quæ ad ipſa caſtella pertinent, & forſan ideò prædictas munitiones perdiderunt, quia malas conſuetudines ipſi, & eorum interceſſores diu ibi tenuerant.* Feudum Eccleſiaſticum ex conſtitutione Conradi non committitur

in Lud. Craſſ.

in vit. Carol. Com. Fland. c. 37.

A.C. 1166.

in perpetuum, ob noxam Epiſcopi, vel Abbatis, ſed in eius vitam; quia, vt ſuadent canones, delictum prælati non debet nocere Eccleſiæ: ſic decreto Friderici I. Halberſtadenſis, & Bremenſis Epiſcopi feudis regalibus multati in vitæ tempus, quòd Friderico defuiſſent in expeditione Italica. Guntherus,

Can. ſi Epiſcopum. 16. qu. 6.

lib. 2. Ligur.

Quin & Pontifices Halberſtadenſis, & ille
Sub quo Brema fuit, tali regalia iura
Amiſere notâ, perſonæ ſcilicet ipſæ,
Non tamen Eccleſiæ, neque enim quod paſtor iniquè
Geſſerit, Eccleſiæ fas eſt in damna refundi.

Cuius rei teſtem habemus & Friſingenſem. Feudi porrò commiſſum, exheredationem vocitauit poſterior ætas, quòd ademptionis feudi eædem ferè ſint cauſæ, quæ exheredationis. Rogerus Hoüedenus: *Vuillelmus Comes de Moretunio exheredatus eſt de tota terra ſua, quam habuit in Anglia.* Matthæus Vueſtmonaſterienſis: *Eodem anno Rex Anglorum Henricus, exheredauit Gulihelmum Peuerel, causâ veneficij, quod Ranulfo Comiti Ceſtrenſi fuerat propinatum.* Subfeudo fiſco commiſſo, id intrà annum princeps dimittere debet, ne culpa vaſſalli Domino feudi fraudi ſit, vt in edicto Ioannis Regis Anglorum apud Matthæum Paris: *Nos autem non tenebimus terras eorũ, qui conuicti fuerint de felonia, niſi per vnum annũ & vnũ diem, & tunc reddantur terræ Dominis feudorum.* Majora feuda, putà Ducatus, & Comitatus lege feudorũ redeunt ad principẽ deficiẽtibus maſculis heredibus: hoc iure, morte Friderici Moſellanorũ Ducis ſinè heredibus maſculis, Ducatus ad Imperatorem reuerſus. Sigebertus: *Friderico Moſellanorũ Duce mortuo, quia mares filios non habebat, quibus Ducatus cõpeteret, Gothelo Dux, impetrato ab imperatore etiam Moſellanorum ducatu in Lotharingia potentiùs principatur.*

A.C. 1155.

A.C. 1215.

A.C. 1034.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
MEMORABILIVM,

Quæ tribus his libris de Ducibus, Comitibúſque Prouincialibus: itémque Libro ſingulari, de origine Feudorum, continentur locupletiſſimus, ſerie alphabeticâ digeſtus.

A

ABBAS olim ſinè conſilio Epiſcopi diœceſani lites intentare, & proſequi per ſe non poterat, 29. 30.
Abbas S. Dionyſij noxas capitales remittit in iuriſdictionis ſuæ limite, ex priuilegio Dagoberti Regis 151. Officialium maiorum comitatu olim vſus, 236.
Abbas S. Germani de Pratis Pariſijs annuum cenſum exigere ſolitus à ſuis hominibus, & hoſpitibus ex conſuetudine. 119.
Abbas Vviſimburgẽſis, diœceſis Spirenſis, cum ſuo monaſterio, habet ius cudendæ monetæ à Dagoberto Rege fundatore, 143. V. *Moneta.*
Abbas Prumienſis in Germania olim dapifero vſus, & pincerna, 236.
Abbates Regalium nomine per ſe militare prohibiti, decreto Cõcilij Sueſſionenſis, 299.
Abbates olim ſigillo imagine ſua inſculpto vſi, etiam ſanctiſſimi, 220. hinc quoque per ſigilli traditionem inſtitui ſoliti in Oriente, ibid. & ſeq. vti & per eiuſdem ſigilli fractionem prælaturâ abire iuſſi in Occidẽte, ibid. in Germania vtplurimum ſunt Comites, & Principes ſancti Imperij, 228.
Abbatiæ, magnatibus in allodium, & beneficium, id eſt feudum datæ, ſub lege ſeruitij militaris, 67. & earum mãſus & prædia ab iiſdem in retrofeudũ militibus data, ibid. & ſeq. imò & mundo muliebri Reginarum, & illuſtrium matronarum indultæ, 68.
Abbatiſſa Monaſterij S. Crucis Pictauienſis coniecta in carcerem, ſoluta in Paſchate, inſtante Epiſcopo, 140.
Abbatum inueſtitura per baculum celebrata, 310. & per funem campanæ, ibid. V. *Inueſtitura.*
Abbatum nomen tabulis & actis publicis inſcriptum, cum conſenſu Monachorum, & Aduocati, 30.
Abbi-Comites laïci, in Gallia, quinam, à quibus Regibus, & quamobrem inſtituti, 64. 65. 66. bona & titulos Abbatum vſurpantes & Deca-

nes monachi relicta portiuncula imponentes, ibid. ita vt etiam in Monaſterijs Monachorum & ſanctimonialiũ cum vxoribus,militibus,&canibus habitarent,ibid.& bona Eccleſiarum in retrofeudum darent militibus ſuis,67. cõtra quos abuſus acriter declamarunt Synodi Galliæ, & Germaniæ, 66. 67.

Abbo, Abbas Floriacenſis Baiulo vſus, itineris ſui indiuiduo comite, 236. quem & martyrij ſui teſtem habuit, ibid.

Abbo Comes temporarius Pictonibus à Carolo magno impoſitus. 17.

Abolitiones criminum, ius exceptum à Duce Britanniæ Petro in pactis initis cum D. Ludouico, 452. V. *Criminum remiſſio*, lit. C.

Abolitionum arbitrium in vnum Regem collatum in Gallia, ex edicto Ludouici XII. 152. V. *Indulgentia criminum*, lit. I. & *Remiſſio criminum* lit. R.

Abſoluti à crimine per Regem, excommunicationi, ſi quæ crimini ſit annexa, non ſubiacent, 145. quid ita, ibid.

Acatius Berœnſis Epiſcopus maximè commendatus ab hoſpitalitate, 80.

Accipitrum maxima cura, & ſtudium apud Francos venationis gratia, 257. 258. hinc in obſidione Pariſiaca per Normannos, non ſoluti niſi in extremis, 258. V. *Venatio.*

Acradinâ captâ, arce Syracuſanâ, quâ liberalitate vſi Rom. erga ſeruos, & vinctos, 148.

Adalbertus Comes Petragoricẽſis inſultat Regibus Hugoni & Roberto, quærentibus per Miſſum, quis eum Comitem conſtituiſſet, temerario, & arroganti reſponſo, 263. 264.

Adelbero Auguſtenſis Epiſcopus, præbendarius monachus in monaſterio Laurishamenſi effectus, 59.

Adelricus Vaſconum Dux, Corſonem Comitem Toloſæ ad ſacramentum fidei adigit. 17.

Adoclericus ſedi Aruernenſi à Comite Stephano intruſus. 39.

Adrianus Papa Carolo magno ius eligendi Epiſcopos concedit, 34.

Adſeſſores Præſidum in prouincijs, Comites dicti. 5.

Aduenæ, & peregrini iure ciuili factionem teſtamenti actiuam vel paſſiuam non habebant, 157. eorum bona in Gallia cùm moriuntur fiſco cedunt 157. niſi ſint litteras regijs adlecti in ciues, ibid. lege Gotthica, nõ niſi mortuorũ abſque vel herede legitimo, vel teſtamentario, ibid. & ex conſtitutione Friderici II. ibid. V. infra *Albanagij ius*, *Albani*, & *Peregrini*, lit. P.

Adulfus Seneſcallus ſub Carolo magno contra Brirones miſſus. 280.

Aduocatia, & defenſio Eccleſiarum tum Cathedralium, tum Conuentualium, quo iure nixa, 20. 21. libera nonnunquam ex mera voluntate Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum ibid. annua dona pro ea regibus illata 23. 24. interdum pecunia 29. primis ſeçulis gratis præſtita. 24. ius regium coronæ inhærens, & inſeparabile 26. ne quidem cum alienatione, vel conceſſione Ducatus vel Comitatus in quo ſunt ſitæ, ibid. probatur exemplis ibid. & ſeq. etiam à Germanis Imperatoribus exercita, 24.

Aduocatia Eccleſiarum Burgundiæ vindicata à Philippo Auguſto aduerſùs Hugonem ducem Burgundiæ, 27.

Aduocatiæ regiæ in Eccleſias, priuilegia quæ, 23.

Aduocatiæ nomine olim certa prædia

aſſignata in beneficium, 31.

Aduocatiæ Epiſcoparuum & Carhedralium Eccleſiarum nonnunquam in beneficium datæ, 29. patet exemplis ibid.

Aduocati iuriſdictionem temporalem Eccleſiarum & monaſteriorũ exercere permiſſi, 328. 329. beneficio Imperatorum, Regum, & Principum ibid. eorũ iuriſdictio temporalis in ſeruos & colonos Eccleſiarum 30. ſtipendia, 31. & annonæ, 24. 25. tandem graues & oneroſi Eccleſijs per exactiones indebitas, quibus modus impoſitus à Lucio III. 32. & Eugenio. 21. ibid. expletis viginti aduocationis annis Comitum titulo decorati, 6. & ſeq. eorũ munus quod 29. 30. cur & quãdo expetiti ab Eccleſijs Africanis, & ciſmarinis, 27. 28. item in Gallia, & Germania, 28. ab Imp. impetrandi ex reſcripto Caroli magni, ibid.

ab Aduocatis in Anglia vſurpata vacantiũ Eccleſiarum cuſtodia, 51.

Ædium culmina faſtigiata, domorum Cæſarum inſignia 250. cum antea ædium ſacrarum & templorum eſſet priuilegium ibid. impoſitæ etiam deorum ſtatuæ culminibus, æqua cum ſacris affectatione, ibid.

Ædium triumphalium Romæ veteris inſigne, quale, 249. 250.

Æris & ferri fodinæ, priuatis in Macedonia relictæ, 187. 188.

Agathenſis Epiſcopus, poſtulatus naufragij raptati apud Innocentium III. 192.

Agiprandus Dux ſub Luitprando rege Longobardorum. 294.

Agnatorum proximiorum in feudis ſucceſſio iure è moribus orto recepta 291.

Agri limitanei, militibus limitaneis diſtributi, apud Rom. & in heredes tranſlati, ſub perpetuo onere militiæ, 284.

Agri infeſti graſſatoribus ab Henrico I. Imp. infeudati, quâ lege. 317.

Aimericus Comes Narbonæ à Carolo magno inſtitutus, recepta Narbona à Sarracenis, 17.

Aimericus Vicecomes Toarſij in parlamento Galliarum Pariſijs conuocato hominium Regi Ludouico VIII. præſtat, 312.

Alanus Dapifer Archiepiſcopi Dolenſis inter heroës ſacræ expeditionis memoratus, 236.

Alardus Vvarneſtimenſis feudis multatus à Guillelmo Comite Flandriæ ob receptatum vnum ex ſicarijs Caroli Comitis, 335.

Albanagij ius acerbiùs exercitum in Gallia, flagrante bello contra Anglos, 158.

Albani, peregrini in Gallia, & examinatum huius vocabuli etymon 153. non tamen à Scotis, Albianis dictis. ibid. V. ſup. *Aduena*.

Albero Metenſis Epiſcopus 40. frater Theodorici Ducis Moſellanorum, ib.

Albertus Magdeburgenſis Archiepiſcopus quomodo multatus ab Othone magno, pro occurſus honore impenſo Herimanno Saxoniæ duci, 91. 92.

Albinates, ſiue *Aubains*, iidem qui Aduenæ, & Albani, in quibuſdam diplomatibus, 152.

Albinus Seuero Imp. ſuſpectus, quâ arte & dolo oppreſſus, 140. 141.

Albinus inſtitutus à Dynamio in Epiſcopatu Vzerienſi, præcipiti fato remotionis dedecori ſe eripit. 38.

Albretius Dynaſta potens in Vaſconia, quib⁹ copijs ſe pro Principe Vvalliæ, duce Aquitaniæ, contra regem Caſtellæ militaturum profitetur, 261.

Alexander magnus victor Aſiæ à Pontifice Iudæorum Iaddo, cum occurſus honore exceptus Hieroſolymis, 89.

Alexandria, ciuitas libera conceſſione Seueri, 135.

Aliſia Henrici II. Campaniæ Comitis filia, vxor Hugonis de Luſiniano Regis Cypri, 325. 326. contendit de ſucceſſione patrui ſinè liberis defuncti, coram Ludouico VIII. ibid. cui ob eam rem quæſtio de ſtatu mouetur, quam priùs terminandam cenſet Honorius, ibid.

Allodium conſiſtere poteſt ſinè iuriſdictione, vti & feudum, 323.

Alphonſus Comes Pictauienſis, frater germanus D. Ludouici, Comes Toloſanus, ex capite Ioannæ Toloſanæ, vxoris, 276.

Alzeco, Dux Bulgarorum, iuſſu Grimoaldi Longobardorum Regis Caſtaldus creatus, pepoſito Ducis nomine. 294.

Amiſeronum ciuitas, libera ſub Traiano, 135.

Amortizatio feudorum collatorum Eccleſijs Anglicanis neceſſaria, moribus regni, 102. vſurpata à Ducibus & Comitibus in Gallia, 103. & alijs minoribus feudorum dominis. ibid. V. *Manus mortua*, lit. M.

Ἀνάκαμψις Græcis, nobis redemptio feudi, quale ius, & quando domino feudi competat, 331.

Andegauum. V. *Comitatus Andegauenſis*, lit. C.

Ἀνδρολημψία, quid apud veteres Græcos, 194.

Andronici Comneni ludicrū inuentum in ludibrium infelicium maritorum, quorū toros adulterio fœdabat 252.

Angli ante aduentum Normannorum in Angliam quo pacto firmabant chirographa, 218.

Angli ad Epiſcopatus promoti in Gallia in ditionibus, quæ Anglis parebāt ſub titulo Ducatus vel Comitatus, 160.

Annonæ poſterioribus ſeculis Eccleſijs impoſitæ, pro aduocatia, 24. 25.

Anſcarij Subdiaconi confeſſio, & penitentia, in ſynodo Tullenſi, de ſua in Lingonenſem Eccleſiam intruſione, ſuperſtite etiamnū Iſaac Epiſcopo 56.

Anſelmus Beccenſis Abbas poſtulatus in Archiepiſcopū Cantuarienſem in Anglia, cum conſenſu Roberti Comitis Normanniæ, 160.

Anteſtius Dux Santonum, eius impietas ob violatam Paſchatis celebritatē, in Palladio Santonum Epiſcopo. 149.

Antiochus Theodoſij Iunioris Baiulus apud Cedrenum, 282.

Apollinaris Eccleſiæ Aruernenſi Epiſcopus impoſitus à Theodorico rege, 33.

Appellationes à foro temporali Epiſcoporum, non deuoluuntur ad Metropolitanum in Gallia, contra decretalem Bonifacij VIII. 330.

Aquitania occupata à Carolo Caluo aduerſùm Pipini filios, 17. 18. olim ditionis Anglicæ Ducatus, varijs & diuturnis inter Anglos & Gallos iactata bellis, tandem à Carolo VII. recepta 278. eius pars Henrico III. Angliæ Regi conceſſa à D. Ludouico, diſſentientibus regni proceribus ibid. tota Anglis dimiſſa ſub Ioanne rege captiuo, regis redimendi gratiâ ibid. an potuerit tranſmitti in Anglum pace Bretiniacenſi ſinè conſenſu procerū, 333.

V. *Barones Aquitaniæ*, infr. lit. B.

Archiatri ſacri palatij, primi ordinis Comites. 7.

Archicapellanis, & cœtu clericorum Capellas regiū in morem inſtruere ſoliti Duces & Comites Prouinciales, 235

Arduinus Dux Gallus, euocatus à Græcis in Siciliam aduerſùs Sarracenos,& ab ipſiſmet Græculis ἀυλεξύσιος exiſtimatus, 262.
Arelatenſis Archiepiſcopus habet ius ſtādæ monetæ in Caſtro Bellioadri, quo ſimul cum caſtro cedit in fauorem Simonis Comitis Montisfortis. 142.
Ariander Ægypti præfectus ſub Dario, & ab eodem ſupplicio capitali ſublatus, quam ob rem, 140.
Aribertus Aruernis Comes impoſitus à Carolo Caluo, 18.
Ariſtodemus, heres Tarquiniorum, Cumis naues Rom. iure pignorationis, ſiue repreſaliarum pro bonis expulſorum retinet, 194.
Armeniacus Comes V. *Ioannes Armeniacus Comes*, lit. I. infr.
Armentarius, Comes Lugdunenſis vrbis 12.
Armorum ius interdictum ſubditis pop. Rom: etiamſi armis impeterentur, ſinè Romano duce, & exercitu, 106. imò & ciuibus ipſis Rom. ſub Cæſaribus, ibid.
Armorum vſus etiam inter priuatos apud Francos iam à prima Regum ſtirpe, vlciſcendis priuatorum iniurijs, 107. maximè Duces inter & Comites 108. 109. V. *Bellijus*. infra lit. B.
Armorum vſus etiam à Clericis olim in Gallia vſurpatus, ad repetendas res Eccleſiæ, 109.
Armorum gentilitiorum ſtudium etiam à ſummis Pontificibus approbatum, 215. patet in Clemente VI. Rom. Pont. Gallo, ibid. V. *Inſignia gentilitia.*
Arnoldus Baiulus Ludouici Pij ſub Carolo magno patre, & ab eo cum filio in Aquitaniam miſſus, 281. 282.
Arnulphus, Dux Bauarorum, ius regalium in Baioria impetrat ab Henrico Imp. 43.
Arnuſtus Comes infeſtus Floriacenſi monaſterio crebra & frequenti mutatione, 84.
Arteſiæ Comitatus, feudum regni Franciæ, 314.
Artoldus Epiſcopus Remenſis, dono accipit à Ludouico Tranſmarino Comitatum Remenſem, & perpetuum ius cudendæ monetæ. 141.
Arturus Dux Britonum, iuſtúſque Angliæ heres, nefariè occiſus à Ioanne patruo Angliæ Rege, 277.
Aruernia. V. *Comitatus Aruernenſis*, in lit. C.
Arundelionum Comitum in Anglia, ſcutum gentilitium, quale, 214.
Athanaſius requirit conſenſum Conſtantini Imp. in conſecratione Alexādrinæ Eccleſiæ ipſius ſumptibus extructæ, 75. vectigalis ſuo nutu Ægyptijs impoſiti inſimulatus apud Conſtantinum, ab Arrianis doli artificibus, 116. ab exſilio redux gratanter ab Alexandrinis exceptus, 87.
Attalus Aſiæ Rex Athenas ingrediens à ſacerdotibus cum inſignibus ſuis exceptus, 89.
Auguſtus Imp. quare pilam ſcuto ſuo primus affixerit, 13. peculatus Licinij præfecti Galliæ particeps, 116.
Aurei nummi fabrica Helenæ Auguſtæ à Conſtantino filio permiſſa, ſuâ icone impreſſâ, 140.
Aureus nummus peculiaris Rom. Imp. moneta, 138. cuius imaginem præferebat, ibid.
Aurelianenſis Epiſcopus liberat reos incarceratos in ſolenni ſuo in ciuitatem ingreſſu, 151.
Aurelianus Dux à Clodouæo Rege, Caſtro Milidunenſi cum tota regione

donatus iure beneficiario, 19. 285.
Auri & argenti fodinæ, iuris publici, ideóque Reip. & fiſco addictæ, & publicanis locatæ, 187. vt ſubacta Macedonia, ibid. in Hiſpania tamen argenti fodinæ etiam priuatis permiſſæ, 188. in Gallia, aurifodinæ ſoli Regi cedunt, argenti Comitibus & Baronib. 188.
Auſtriæ Ducatus olim erectus in regni apicē à Friderico II. quod tamen effectu caruit, 217. V. *Dux Auſtriæ*, lit. D.

B

BAchelarij infimi ordinis milites, 169 170. vnde ſic dicti, ibid. aliàs indigitati Baculares, ibid. hoc vocabulum adaptatum iunioribus cādidatis Theologiæ, ibid.
Bailliui qui dicti ſub tertia Regum ſtirpe, & quod eorum munus 282. etiam ſub Ducib. & Comitibus non incogniti, ibid.
Baiuli nomen etiam ad priuatorum infantum pædagogos detortum 282. tandem ſub tertia Regum proſapia à ſchola ad forum tranſlatum, & ſub appellatione Bailliuorum Iuridicis & prætoribus tributum, ibid. quod munus viguit etiam ſub Comitibus & Ducib. Prouincialib. ibid.
Baiuli qui dicti apud Scriptores mediæ ætatis, 281. hoc munere qui functi in aula Galliæ, ibid. Græcis etiam cogniti, 282.
Baldricus fidem & hominium præſtat Roberto Abbati Vticenſi, 311.
Balduinus Rex Hieroſolymorum commendatus à notitia iuris conſuetudinarij, 132.
Balduinus Comes Flandrenſis quandò, vbi, & quo ritu præſtitit hominium Regi Philippo, 314. exceptis Epiſcopo Leodienſi, & Imperatore, pro Hannoniæ Comitatu, 317.
Balduinus Ferreus Comes Flandrenſis de raptu poſtulatus ex ducta Iudith vidua Edilulfi Regis Angliç, filia Caroli Calui, clam patre, 204. fugere coactus delitеſcit in Lotharingia, ibid. ope Nicolai Papæ reconciliatus & coniugium confirmatum, ibid.
Balearibus bellum indictum à Romanis Duce Metello, quorſum, 194.
Balia, pro Bailliuorum diſtrictu, ſeu territorio, 282. alio nomine præpoſitura, ibid.
Bannum quid, 318.
Banni ſeruitium 40. diebus intrà regni limites, 320. extra, tribus menſibus finitur, moribus Galliæ, ibid.
Barones Aquitaniæ ad homagium admiſſi à Duce Lanclaſtriæ Duce Aquitaniæ, & oſculo viciſſim excepti, 312.
Barones Angliæ poſt fidelitatis iuramentum oſculo excepti à Ioanne Rege in ſignum fidei, 312. item à Richardo II. ibid.
Barones qui propriè dicantur in ordine Dynaſtarum, 226. & moribus Angliæ, ibid.
Barones Britanniæ homagium præſtant Gaufrido filio Henrici 2. Regis Angliæ in Eccleſia Rhedonenſi, ob iuriſiurandi religionem, 313.
Baronum elogium non ſolùm Comitibus & Ducibus prouincialibus, & aliis Dynaſtis temporalibus tributum, ſed etiam illuſtribus Eccleſiaſtici ordinis viris 226. imò & cælitibus ipſis, ibid. exemplum in D. Iacobo Apoſtolo, Hiſpanorum D. Tutelari, ibid.
Baſilius Cæſarienſis Metropolitanus ſub Valente 69. cui maximè inuiſus & hinc diuiſio Cappadociæ in duas pro-

uincias, 70.
Baſſus præfectus Prætorio, ſub Marco Antonnio, 230. 231.
Baſtardi, & degeneres, ſiue nothi, iidem, 178. vnde deductum vocis etymon, ibid. dictio vſitata ſcriptoribus labentis æui, ibid. Græcis σκότιοι id eſt obſcuri, & ignobiles, 178. V. *Nothi*, lit. N. infra.
Beatrix vidua Bonifacij Marchionis Italici, nubit inſcio Imp. Godefrido Lotharingiæ Duci perduelli, 208. ideóque proſcripta ab Henrico III. ib.
Becco Comes ſuperbus & iniquus in iudicijs, 12. 13. illius inſanum & ardens ſtudium accipitrum, 257. 258.
Beliſarij merita in remp. inſigni elogio, & moneta à Iuſtiniano commendata, 140.
Bella priuata maximè vſitata Francis ſub prima, & ſecunda ſtirpe fruſtra in contrarium conantibus Carolo magno, & Carolo Caluo, 107. 108. 109. & ſub tertia nondũ adulta, ibid. etiam in vſu apud Germanos ſub ipſis Impp. 112. quibus tamen modus impoſitus ſub Friderico I. Ludouico Bauaro, 112. & renouata antiquà denunciationis lex, ibid. & ſeq. quomodo interdicta ſub Philippo Pulchro, ibid.
Belli ius integrum relictum Duci Britonum cognomento Mauclerc in conditionibus pacis inter D. Ludouicum & ipſum Ducem, 112. in veteri rep. Rom. penès ſenatum & populum Rom. 105. hoc ius reſtitutum Senatui ſub Stilicone, 106.
Belli ius & pacis apud Ætolos quomodo regeretur, ibid.
Belli ius in controuerſiam vocatũ quod ad Comites Niuernenſes ſub Ludouico Hutino, & quid ea de re Rex edixerit, 112.
Bellicadrum caſtrum de dominio Archiepiſcopi Arelatenſis, 142. quando, à quo, & cui venditum, ibid. huic caſtro emunitas conceſſa à Comite Toloſ. Raimundo, dempto ſalis pedagio, 124.
Benedictus Vicecomes Toloſæ, nepos Geraldi Comitis Aureliacenſis, dolo captus à Raimundo Comite filio Odonis, & ab eo in captiuitate detentus, 262. 263.
Beneficia, ſiue feuda, facta hereditaria à tempore Ludouici Pij, ſed non ſinè Principis aſſenſu, 290. confirmatur exemplis ibid. & iure è moribus orto, 291.
Beneficia Eccleſiæ in gratiam militum quorſum inſtituta, 298. Caſamenta dicta, & Beneficiarij, Caſati, ibid. V. *infra*, lit. C.
Beneficia, ſiue feuda Monaſterio Croylandienſi in Anglia, à Bertulpho Rege Merciorum tranſcripta, libera, 299
Beneficia in dotem data cœnobio Vticenſi ab eius fundatoribus, & inſtauratoribus, libera, ibid.
Beneficiarijs, ſiue vaſſallis, ceu feudatarijs, 40. dies legitimum ſeruitij tempus, 319. 320. patet exemplis, ibid. tam in feudis primarijs, quàm retrofeudis, ibid.
Bennæ regię quid in Scriptoribus mediæ ætatis, 126. & quid Caroli Benna apud Helgaldum Floriacenſem, ibid. aliàs Venna, 127.
Bernardus, Dux Septimaniæ, in bello ciuili Lotharij regis aduersùs Carolum & Ludouicum fratres neutram partem ſequitur, 18. 290. quid à victore Caluo poſtularit, per Vvillelmum filium, ibid.
Bernardus Abbas Belliloci, ſimoniacam inueſtituram Cadurcenſis Eccleſiæ

ſibi à Vvillelmo Comite Toloſano oblatam recuſat, 41. V. *Vvillelmus Comes Toloſ.* lit. V.

Bertmundus in Aruernorum Comitatu Icherio ſuffectus, 17.

Bertoldus Dux Zeringiæ Aduocatus beneficiarius Epiſcopatuum Lauſanenſis, Geneuenſis, & Sedunenſis, ex dono, & conceſſione Friderici I. 29.

Bertramus Burdegalenſis Epiſcopus, ſub Guntranno Rege, 33.

Bertrannus Comes Prouinciæ, ſe principem Dei gratia iactat, 223.

Bertulphi Regis Merciorum liberalitas in Monaſterium Croylandienſe in Anglia, 299.

Bertulphus Archicapellanus & Cācellarius Comitis Flandrenſis, 235.

Berulphus Dux Turonum, Pictauorum, Andegauorum, & Nannetum, 11.

Betuniēſis Decanus, itidē Aduocatus, 30

Bituricenſis Comitatus à Philippo I. ſexaginta aureorum millibus ab Hirpino in ſacrum bellum accincto, receptus, 276.

Boamundus etiānum ſanguinolētus Ducatu Apuliæ inueſtitus à patre per ſceptrum aureum, 308. vt beneficiarius Alexij Imp. CP. ei hominiū præſtat.

Bodegiſilus Dux Maſſiliæ, 11.

Boſo, Richildis Reginæ coniugis regis Caroli Calui frater, honorum Gerardi Comitis Bituricenſis ſucceſſor, 18. inueſtitus ab eo de Ducatu Papienſi per coronam Ducalem, 211.

Bona vacantia, Græcis ἀκληρονόμητα, quæ, & cui cedant ex lege Iulia caducaria, & moribus Galliæ, 184.

Bona vacantia in Italia, reges Gothi ſuo fiſco adſcribunt, 182.

Bona vacantia militum Eccleſiæ Cantuariēſis Reges Angliæ fiſco ſuo adiiciunt. 182. 183.

Bona clericorum decedentium ſinè herede, Eccleſiæ in qua deſeruiunt debita, 182. ſecus in Anglia, 183. 184.

Galli etiam in concilio olim gladijs cincti, ex Cæſare, 232. imò & inter epulas, ibid.
Galli regnicolæ non poſſunt poſtulari in Epiſcopos exterarum prouinciarum ſinè aſſenſu Regis, Principis, vel domini ſub cuius ditione erat poſtulatus 160. probatũ in Anſelmo, ibid.
Gallia ſub Ducibus & Comitibus ancillans, à quibus Regibus exancillata 1. 2. à Carolo Martello octoginta annis ſinè ſynodo, vnde hoc, 64.
Gallorum mos numerandi dies per noctes, teſtimonio comprobatus, 319.
Gallus Epiſcopus Aruernis impoſitus poſt Quintianum à Theodorico Rege, 33.
Galterus, Cameracenſis Caſtellani defuncti nepos, de Caſtellania iure hereditario ab Epiſcopo Cameracenſi Lietberto inueſtitus, imperatore licèt reclamante, 291.
Garſo Comes tributorum ex officio exactor, 14. Gaſtaldus, V. *Caſtaldus* lit. C.
Gauena, ius Aduocatiæ in Eccleſias Cameracenſes pro Comite Flandrenſi, 31. vulgò dicta *La Gauene de Cambreſis*, apud Monſtreletium, ibid.
Gaufredus Carnotenſis Epiſcopus, 30.
Gaufredus Plantegeneta Dux Normannorum, & Comes Andegauenſis ridet excommunicationem interminatam ab Archiepiſcopo Turonenſi, 62.63. quid ita, 62. Canonicus honorarius s. Martini Turonenſis, & Monachus majoris Monaſterij, 63.
Gufridus per gladium Comitatus Eſſexiæ inueſtituram capit à Ioanne Rege Angliæ, 309.
Gaufridus Griſogonella Comes Andegauenſis inueſtitus de munere Seneſcalli Galliæ à Roberto Rege Franciæ, iure feudi, 280. 281.
Gaufridus Martellus Comes Andegauenſis, bello priuato Guillelmum Comitem Pictauienſem aggreditur, quem vincit, capit, & in vinculis toto triennio habet, nec dimiſſurus niſi duriſſimis conditionibus, 109.
Gaufridus Comes Andegauenſis Conſulis titulum Comitali adſuit, 225.
Gemmelaus Comes, increpitus quòd Gemblacenſe monaſterium fundaſſet & dotaſſet inſcio Imp. 101.
Genebaldus primus Laudunenſis Epiſcopus à D. Remigio inſtitutus 70.
Gentilitia inſignia depicta in ſcutis, an originem trahant à ritu Rom. militiæ, quo ſcuta militum depingere moris erat, & ornare ſignis facinorum editorum, 212. V. *Inſignia*.

Genuum flexio ſymbolum adorationis principum, 315.316.
Geraldus Comes Aureliacenſis feuda à vaſſis per ſeniores auferri ſuo tempore non patitur, 290.
Gerardi Comitis crudelitas in Decanum Magdeburgenſem 168. qua pœna multata, ibid.
Gerardus Epiſcopus Cameracenſis reiicit Abbates à Comite Rainero inſtitutos, quare hoc, 41.
Gerardus Comes Aureliacenſis Eccleſias ſui iuris confert, 54.55.
Gerardus Lemouicibus Comes præfectus à Carolo Caluo, 18.
Gerberga Regina mater Ludouici Trãſmarini pro celebratis cum Heriberto Veromanduorum Comite clandeſtinis nuptijs, inconſulto rege, multata Abbatijs, & alijs beneficijs dominicis, 168.204.
Gillebertus de Gant de Comitatu Lincolnienſi inueſtitus per gladiũ à Ludouico 8. in Regem Angliæ euecto, 309.
Gladij geſtatio inſigne Imperij & ſummæ poteſtatis, 230. prælatus Imp. Rom. à præfecto Prætorio, ibid. inde Vitellio ſiniſtrum augurium gladij depoſitio, 230.
Gladij geſtatione Duces, Comites, nobiléſque à plebeijs diſtincti in Gallia, ab antiquo, 232. vſurpata à plebeijs deteriori ſeculo, 233. 234. priuatis interdicta in veteri Roma, 232.
Gladio cincti Præfecti prætorio, Præſides prouinciarum, & Tribuni militum, ab Auguſto, 230. 231.
Gladios olim in ingreſſu Eccleſiæ à Ducibus & Comitibus, omnibúſque qui gladij geſtandi ius haberent, vnico rege excepto, poni ſolitus, 233.
Glanafolium monaſterium Benedictinorũ fundatũ à Floro Comite Andegauenſi, & B. Mauro D. Benedicti diſcipulo traditum, annuente Theodeberto Rege, 99. & ſeq.
Godefridus Lotharingus Bullionem caſtrum Leodienſi Epiſcopo pignori dat in ſumptus Syriacæ expeditionis, 272. 273.
Godefridus Dux Lotharingiæ metu abſolutus ab Henrico III. Imperatore à nuptijs cum Beatrice vidua Marchionis Bonifacij contractis, 208. abducta tamen Beatrice, ibid.
Gothelo Dux Lotharingiæ, Moſellanorum Ducatum ab imperatore impetrat, 336.
Gothi Rom. nominis hoſtes infenſiſſimi, 8. inuaſâ Galliâ, ſtatum prouinciarum, qui fuerat ſub Rom. Imp. retinent. 8.
Gothi Reges nummis vtriuſque ſpeciei aureis & argenteis vſi, 139.140.
Gothorum inſigne veſtis pellicea, vnde & dicti pelliti, 246.
Gothofredus Barbatus Comes Andium à Fulcone Rechino Comite Vvaſtinenſium fratre ſuo in prælio deuictus & carcere quoad vixit incluſus, 275. 276.
Gozelinus Archiepiſcopus Burdegalenſis conſtitutus ſacrorum curator in Epiſcopatu Pictauienſi, pendente contumacia Iſemberti Pictauienſis Epiſcopi ſub Greg. VII. 49.
Græciæ ciuitates exciſa Corintho priuatæ iure vniuerſitatis, 136. poſtmodum reſtitutæ ſuis legibus, ibid.
Gratianus primus ex Cæſaribus Chriſtianis, Pontificis mag. titulum abiecit, 86.
Gregorius Thaumaturgus primus Neocæſareæ Epiſcopus à Phædimo Amaſeæ Metropolitano verbo tanquam

abſens ordinatus, 69.
Gregorius Epiſcopus Turonenſis lectus à Sigiberto. 33.
Gregorius Nazianzenus Saſimorum Epiſcopus deſignatus à Baſilio Cæſarienſi Metropolitano, 69.
Grimoaldus Rex Longobardorum in Italia, 294.
Grimoaldus Maior domus Regis Sigiberti fundat duo monaſteria dè conſenſu Regis, eáque committit diſciplinæ s. Remacli Leodienſis, 77.
Guaimarij Ducis Capuani ſigillum quale ſub Conrado Imp. 219.
Gueules, quis color in arte inſignium depingendorum, & vnde ortum hoc nomen, 213.
Guichardus Lugdunenſis Archiepiſcopus Comitatu Lugdunenſi donatus à Guidone Comite, 228. hinc Canonici illius Eccleſiæ dicti Comites, ibid.
Guidagium, vectigal à Comite Toloſano inſtitutum in ſuis ditionibus, quorſum, 198.
Guido Comes Aruernorum Comitatu priuatus ob deprædationem Claromontenſis Eccleſiæ, 271.
Guido de Malouicino milites ligios ſuos in Sarracenicam expeditionem ducit 317.
Guillelmus I. Rex Angliæ venationem interdicit quamuis nobilibus in Anglia, ſub pœna corporali, quam deinde commutat Richardus in pecuniariam vel relegationem, 256. 257.
Guillelmus Normannus Rex Angliæ Odonem fratrem Baiocenſem Epiſcopum, Cantiæ Comitem in Anglia creat, & Angliæ Proregem, 229. quo reſponſo eluſerit exceptionem fori à fratre per eum in carcerem conjectò, propoſitam, ibid.
Guillelmus filius Roberti Ducis Normanniæ licèt ex concubina ſuſceptus à patre pro legitimo & herede ad Ducatum euectus, 174.
Guillelmus I. Dux Aquitaniæ Conſulis titulum aſſumit inter cetera elogia, 224.
Guillelmus Dux Aquitanorum & Comes Pictauienſis Comitatum Toloſanum oppignerat Raimundo Comitis s. Ægidij in ſubſidium transmarinæ peregrinationis, 273. quot equitum & peditum millia in Syriacam expeditionem conduxerit, 261.
Guillelmus Dux Aquitaniæ temporalium curam in Epiſcopatu Pictauienſi contra Iſembertum Epiſcopum accipit ex reſcripto Greg. VII. 49.
Guillelmus Dux Aquitaniæ Caput ſtupæ dictus, Principē ſe Dei gratia indigitat vana principatus affectatione, 222.
Guillelmus Dux Aquitaniæ tuetur Euſtachium Comitem Aruerniæ clientem ſuum contra Ludouicum Craſſum Regem, 306.
Guillermus Epiſcopus Altiſſiodorenſis liberationem regalium pro Eccleſia ſua impetrat, 46.
Guillelmus Comes Matiſconenſis Comitatu ſpoliatus à Ludouico Craſſo, quid ita? 271.
Guillelmus de Rupibus donatus Comitatu Andegauenſi à Philippo Auguſto, ob egregiè nauatam operam contra Anglos, quare denominationem Comitis repudiarit, 281.
Guillelmus Abbas s. Dionyſij renunciat Abbatiæ in manus Capituli, 35.
Guillermus Comes Montiſpeſſulani quare non potuerit impetrare à ſum. Pont. legitimationem naturalium ex Agnete pellice ſuſceptorum, 172.
Guillelmus Comes Dienſis inueſtitu-

Zz 2

ram Epiſcopatus Dienſis vſurpare tentat, 41.
Guillelmus Peuerel exheredatus, id eſt priuatus feudis ab Henrico Rege Anglorum, cauſâ veneni propinati Ranulfo Comiti Ceſtrenſi, 336. V. plura in verbo, *Willelmus* infr. lit. V.
Gundelandus Abbas Monaſterij Laurishamenſis Monaſterium ſuum ſub mundeburde Regio Caroli M. ponit, 22. 23. legat tertiam partem mobilium ſui monaſterij interueniente conſenſu Imp. 25. 26.
Gūdegiſilus ex Comite Santonico Epiſcopus Burdegalenſis creatus ſuffragio Guntranni. 53.
Gundoualdus Comes Meldenſis, 12.
Gundulfus ſe & ſua deuouet B. Martino, ſub beneplacito Regis, 99.
Guntranus Rex exceptus à Gregorio Turonenſi Eulogias D. Martini in Epiſcopio accipit, 81. 82.
Gyroëtæ ius, ſiue ἀκροτήρια in caſtris inſigne nobilitatis, 250. quid ſignificet, ibid.

H

Haymo Albigenſibus Comes præfectus à Carolo magno, 17.
Heimericus Comes in lite contra monaſterium Laurishamenſe, cauſâ cadit, 23.
Henricus 2. Anglorum Rex exigit titulo Ducis Aquitaniæ hominium ligium à Raimundo Comite Toloſano, 316. quam ob rem ſuccenſet Rex Galliæ Regi Anglo, ibid. fideiuſſores requirit in hominio Henrici Iunioris filij ſui, quare, 314.
Henricus III. Rex Anglorum de multa præpoſterè contra Guillelmum de Ros ſinè iudicio Parium indicta inſimulatus, 326. non agnoſcit poteſtatem Parium in Anglia, æqualem & parem dignitati Parium in Gallia, 240.
Henricus rex Angliæ, vt Dux Normanniæ curiam ſolenniter tenet in Normannia. 244. prohibita interim Baronibus omni curiæ conuocatione, 245.
Henricus IV. Imperio exturbatus, præbendarium agit in Eccleſia Spirenſi, 58. 59.
Henricus V. Imp. à Patritijs Rom. ſummo patriciatus honore per circulum aureum capiti impoſitum inueſtitus, 210. 211.
Henricus I. Dux Saxonum ius regalium in Sclauonica obtinet à Friderico Ænobarbo, 43.
Henricus Dux Burgundiæ Ottonem Guillelmum, natione Longobardum quamuis peregrinum ſcripſit heredem, 160.
Henricus Comes Campaniæ Ludouico VIII. Regi Francorum per 40. dies ſeruitium præſtat in obſidione Auenionenſi, 319.
Henricus Comes ſpurius regno Caſtellæ habilitatus ab Vrbano V. Papa, abdicato Petro, 175.
Henricus, præfectus Narbonæ à Sarracenis receptæ, per Carolum magnum ſub titulo Vicecomitis. 268.
Herbertus Comes Viromanduorum, ſucceſſorem habet in Comitatu, & heredem filium cognominem, 19.
Herbipolenſis Eccleſia nobiles tantùm recipit in Canonicos, 166.
Herculea via quæ dicta, apud Ariſtotelem, 125.
Herebannum quid, & vnde ſic dictum, 318.
Herluinus Cancellarius, & Archicapel-

ſanus Hugonis magni, ducis Francorum, 235.
Hermarius Baiulus Ariberti, occiſus ab Agniano, 181.
Herodes Atticus ſuper theſauro domi ſuæ inuento Imperatorem Neruam conſulit, & quid ei Imp. reſponderit, 186.
Herodis liberi apud Auguſtum à patre veneficij accuſati, 173. hæc accuſatio quomodo eluſa à filijs, ibid.
Heruens Comes Niuernenſis receptus in Canonicum honorarium S. Martini Turonenſis. 63.
Hiberniæ ſub tit. regni inueſtitura à ſum. Pont. regib. Angliæ quo ritu data, 308.
Hærpinus Biturigum Comes oppigneraro Comitatu in Syriam proficiſcitur, 273. captus à Sarracenis toto triēnio carcere cohibetur, ibid. à Conſtātinopolitano Imp. tādem redemptus, in Galliam redux & inanis Monachiſmum Cluniaci amplectitur, neceſſitate an conſilio incertum, ibid.
Hiſpani, fugientes tyrannidem Sarracenorū qua conditione recepti in Gallia à Carolo magno, & Ludouico Pio, 12. 156.
Hiſpanicæ potentiæ viciſſitudo, 270.
Homicida Epiſcopi vel presbyteri, cuinam luere pœnas debeat, Principi vel Eccleſiæ, 145. quæſtio deciſa in Concilio Cabillonenſi II. in fauorum Principis, ibid. & ſeq.
Homicidia incertis autoribus quomodò expiata apud Græcos, 126.
Hominium duplex, ligium, & non ligium, 314.
Hominium ligium quid, & quo ritu præſtandum, 314. 315.
Hominium ligium ſupremo tantùm principi debitum, 314. 316. vſurpatum tamen à Ducibus & Comitibus n vaſſallos, 316. 317.
Hominium pro iuramento fidelitatis in feudis, 311. vnde ſic dictum, ibid. eius formula quæ, ibid.
Hominijs nonnunquam præter iuſiurandum fideiuſſores adhibiti, quid ita, 314.
Hominia Ducum & Comitum in Concilio generali Galliarum recipi ſolita, patet exemplis, 312. vulgò in Natali Chriſti, ibid. & ſeq.
Hoſpitalitas exercita ab Epiſcopis non ſolùm in clericos & peregrinos, 79. 80. ſed etiam in proceres & magnates poſterioribus ſeculis, 80. imò & in reges præcipuè in Gallia, confirmatur exemplis, 81.
Hugo magnus Comes Pariſiorum, & Dux Francorum accipit in beneficium à Rege Carolo, Abbatias & Comitatus 67. obſequij & fidei irritamenta, ibid. deficit tamen à Carolo Simplici, quare hoc, 68.
Hugo Capetius maieſtatis regiæ egregius vindex contra Duces & Comites prouinciales tyrannos 1. quare hereditaria & perpetua beneficia in Comitatibus & Ducatibus prouincialibus admiſit, 20.
Hugo Dux Burgundionum, Ducem ſe Dei gratia gloriatur, 223.
Hugo Dienſis electus à Gregorio ſeptimo conſecratus, 41.
Humbertus Viennenſis Delphinus ſtudio religioſæ vitæ Delphinenſem principatum eiurat, & in fauorem cuius, 276.
Humbertus Comes Biturigum à Carolo magno inſtitutus, 17.
Hungari Reges ſoli in ſuo regno monetæ & vectigalis ius habent, 140.

I

Illegitimi in nonnullis Galliæ Eccleſijs ex albo Canonicorum faceſſere iuſſi, 175. patet exemplis, 176.

Imperator Rom. conſecratus, in Canonicum S. Petri honorarium recipitur, & Papæ in ordine Subdiaconatus miniſtrat, 62.

Imperator Græcorum à Patriarcha Conſtantinopolitano thuris odore in ſolennibus perfundi ſolitus 98. cum aulæ proceribus, ibid.

Imperatores quo ritu apud Romanos excepti à Pontificibus templum ingredientes, 89. & in eius Oriëte à poſterioribus Græcis die feſto Paſchatis & alijs ſolennioribus, ibid.

Imperatoris nomen primum generale pro omnibus exercituum præfectis 2. deinde proprium Principis ſub Cæſaribus, ibid.

Imperia, & regna ſuas habent vices, 1.

Imperij cunabula, noui nummi fabrica tanquam principatus inſigni ab Imp. decorata, 138.

Incurſus ob hæreſim, quid ſit in veteribus chartis, 180. V. *Damnatorum bona ob hæreſim* lit. D.

Indulgentia criminum à Principe varijs de cauſſis concedi ſolita, 146. quænam illæ ibid. cum exemplis ab hiſtoria petitis, ibid. & ſeq. V. *Abolitio criminum* lit. A.

Indulgentia criminum Paſchalis vulgaris in Gallia, 149. hanc ſibi vindicat Archiepiſcopus Ebredunenſis intrà fines ſui temporalis dominij 151.

Innocentius & III. primus ſum. Pont. ius legitimandi ſpurios ad vtroſque actus, ſpirituales, & ſeculares vſurpat, quo argumento, 174. 175. & quomodo accipienda hæc doctrina, 175. cui non acquieuere ſeqq. Pont. ibid.

Innocentius 4. volens obtrudere Canonicos alienigenas in Eccleſiam Lugdunenſem, minis Canonicorum Lugdunenſium deterritus, 158.

Inſignia gentilitia delata in funeribus illuſtrium virorum, ſed deorſum verſa, 215. probatum in funere Ioannis Bohemiæ Regis, ibid. ſecus verſa in ſignum infamiæ quod factitatum in proditores & proſcriptos, ibid. diſtincta aliqua nota peculiari inter maiores natu & minores eiuſdem gentis & proſapiæ, ibid. quibus coloribus depinguntur vulgò inſignia & ſcuta noſtris moribus, & quibus nominibus in idiotiſmo vocentur, 213. V. *Metalla*, lit. M.

Inſignia, virorum fortium ornamenta, ideóque ſummo in ſtudio Gallis, Germanis, & Anglis habita, tum in bello, tum in pace, 213. 214.

Inſignia Druidarum Germanorum, & Sueuorum quæ, 213.

Interceſſor quis dictus in Concilio Carthaginienſi V. can. 8. 44.

Inueſtitura quid in materia feudorum, 307. non transfert poſſeſſionem, ſed dat ius ad poſſeſſionem, ibid. quibus modis fiat inueſtitura, ſiue regni feudatarij, ſiue prouinciarum, ſiue Ducatus, ſiue Comitatus, ſiue Epiſcopatuum, ſiue Eccleſiarum, ſiue Officiorum Eccleſiaſticorum, ſiue Abbatum, ſiue præbendarum, 307. 308. & ſeq. & Cancellariæ, 310.

Inueſtitura Epiſcopatuum in Gallia, & Germania, quoad regalia, per virgam paſtoralem & annulum fieri ſolita, pro Regis & Imp. 36. 37. item in Oriente ab Impp. Græcis, 38.

Inueſtituræ Laicæ Epiſcoporum reprobatæ

batæ à ſummis Pontificibus, 37.
Inueſtituræ vulgò in domo Domini petendæ, ibidémque hominia offerenda, niſi ſecus conuentum ſit, 313. in Gallia coram Paribus pro maioribfeudis, 314.
Ioanna vxor Villelmi Regis Siciliæ, filia Henrici Regis Angliæ, mater Boamundi Ducis Apuliæ, 308.
Ioannes Rex Angliæ damnatus iudicio Parium ob necem Arturi nepotis, & feuda quæ in Gallia tenebat fiſco commiſſa, 239. 277. 326. approbata iam antea in alio iudicio eorum poteſtate, 277. reus violatæ pacis itéque periurij apud Innocentium III. 326. iure regalium in vacantes Angliæ Eccleſias cedit in fauorem Innocentij III. 47. cui ceſſioni nón ſtetere ſucceſſores, ibid. an potuerit regnum ſuum vectigale facere ſummo Pontifici ſinè conſenſu Baronum, 333.
Ioannes Dux Lancaſtriæ inueſtitus de Ducatu Aquitaniæ per virgã & pileum à Richardo II. rege Angliæ, 308.
Ioannes Armeniacus Comes, perduellionis reus apud Carolum 7. quòd ſe Dei gratia Comitẽ inſcriberet, 233.
Ioannes de Nantolio, Protocamerarius Ducis Bituricenſis, 234.
Ioannes Protoſpatarius Conſtantini Irenes filij Baiulus, 282.
Ioannis Chryſoſtomi nomen in ſacris diptychis reſtitutum ab Attico ſucceſſore, quia iniuſtè pulſus, 94.
Ioinuilla Seneſcallus Campaniæ, quàre à ſecunda D. Ludouici in Sarracenos expeditione abfuerit, 274. 306.
Ioſeph Tiberiadenſis Architectus, Comitiuæ honore donatus, ibid. 7.
Ioſſelinus, de Comitatu Edeſſano inueſtitus à Balduino II. Rege Hieroſolymitano per vexillum, 308.
Iouinus legitimus ſucceſſor Ferreoli in Epiſcopatu Vzetienſi, ex diplomate regio dejectis intruſis, 38.
Iſembertus Pictauienſis Epiſcopus Gregorio VII. contumax & rebellis, 49.
Iſciacus villa regia cum piſcatoria Sequanæ dono collata in Abbatem S. Vincentij à Childeberto Rege, 127.
Itherius Comes Aruernorum ex inſtitutione Caroli magni, 17.
Iudices ſeculares vetiti placita ſecularia habere in Eccleſijs, atrijs, vel villis Eccleſiarum, & manſionibus presbyterorum, 328.
Iudices Eccleſiaſtici, iuriſdictionis regiæ, & feudalis aucupes, prætextu religionis iuriſiurandi, 325. ſub D. Ludouico cedere coacti, ibid.
Iudith Caroli Calui filia primò Edilulfo Anglorum Regi enupta, 204. deinde Balduino Ferreo Comiti Flandriæ, inſcio patre, vnde iudicium de raptu legibus peractum, & quæ hinc ſequuta, ibid.
Iuo Carnotenſis armorum vſum ſuis ciuibus prohibet aduerſùs Vicecomitẽ ſui liberandi cauſa, 109. 110.
Iura regalia vſurpata ab Epiſcopis Italiæ ſuper Impp. labente imperio, 127. quæ poſtmodùm reſtituta Friderico I. ſinè ſpe regreſſus, ibid. & ſeq. niſi facta fide legitimis inſtrumentis, 128.
Iura clientum & patronorum merè perſonalia apud Rom. 284. in ciuili tantum obſequio, vel etiam pecuniario ſubſidio conſtituta, ibid.
Iuriſdictio regia ſtabilita, & aſſerta, per abſentiam Ducum & Comitum in tranſmarinis expeditionibus, 274.
Iuriſdictio in ciuitatibus quo pacto di-

uiſa inter Comites, & eorum Vicarios Centenarios, ſiue Scabineos, 14.
Iuriſdictio temporalis Eccleſiarum vel monaſteriorũ permiſſa Aduocatis, & Vicedominis, 328. conſtat exemplis, ibid. & ſeq.
Iuriſdictio feudalis vſucapta occaſione feudi poſſeſſionis, 323. exercita primùm ab ipſis Dominis feudalibus in colonos per ſe, 323. 324. dein per Vicarios vt plurimum clericos penuria aliorum, 324. 325. quod vetitum decretis Conciliorum, ibid. vſurpata à Clericis obtentu iuſiurandi, 325.
Iuriſperiti expleto docendi vicennio, Comitum nomine inſigniti, 6.
Ius conſuetudinarium deriuatum è Gallia in Orientem penès Reges Hieroſolymitanos, illius peritiſſimos, 132.

K

Καπνικὸν, ius dominicum apud Græcos, reſpondens noſtro focagio, 122. a quo primùm inſtitutum, ibid. V. *Focagium*, lit. F.
Kenulphus Rex Merciorum vincit in prælio Edbithum Regem Cantuarienſium, & in vinculis habet, 150. quo euentu ſolutus, ibid.
Κλληρεία quod genus conuiuiorum apud recentiores Græcos, 242. continentia Iuſtiniani Impp. in his, ibid. contrà Leo Philoſophus, ibid.

L

Laban Epiſcopus Eluſenſis, 33. cui ſuccedit Deſiderius, ibid.
Laïci ſeorſim à Clericis in Eccleſijs, antiquo ritu, 84. & inter eos etiam confeſſus diſtinctus, quo pacto, ibid. & ſeq.
Laïcis templi adyta interdicta olim, ſolo Imp. dempto, cùm ad altare accederet oblationis ergo, 85. demonſtratum exemplis in Valente & Theodoſio Impp. 86. & laïcis communionis gratiâ, ibid.
Laudramnus nepos Flori Vicecomitis Andegauenſis de feudis patrui ſui per ſceptrum inueſtitus à Theodeberto Rege, 309.
Lauriſhamenſi monaſterio in Germania à iuriſdictione Comitum exempto, ſuum iudicem habere conceſſum beneficio Conradi II. 328. ſub mundeburde Caroli magni traditum, 22.
Legata pia Eccleſijs relicta, à Conſtantino Imp. approbata, 98. à Valente reſciſſa, ibid. & ſeq. reſtituta à Iuſtiniano, 99. Chilpericus in Gallia reſcindit, Guntranus recipit, ibid. quid deinde motibus Galliæ ſuper his inualuerit, ibid.
Leges & conſuetudines prouinciarum Galliæ nihil valent, niſi principali autoritate confirmatæ, & approbatæ, 130.
Leges & conſuetudines datæ prouincialibus ſuis à Comitibus in Gallia, 130. præcipuè labente Carolinæ ſtirpis robore, ibid.
Legitimatio opus ſupremæ poteſtatis in temporalibus, 172. & in ſpiritualibus pontificiæ, 174. licèt poſtmodùm ad vtroſque actus ſpiritales & temporales a ſummis Pontificibus exercita, ibid.
Legum ferendarum ius in veteri Rep. Rom. penès populum, 128. hoc ius tranſlatum in Principem lege regiâ, ibid. vt & interpretatio, & emendatio earumdem, ibid. quo iure hoc ſibi ius Rom. Pontif. arrogarunt, 129. idem in Gallia, reges ſtabilito

Francorum

Francorum imperio, ibid. ſed reſeruata promulgatione in generali Ordinum conuentu, ibid. nouas omnes leges & conſuetudines in ſolenni inauguratione eiurantes, ibid.
Leo Armenius Imp. hymnodiam in choro diebus ſolennibus intonat, 61.
D. Leonardus accipit à Clodoueo facultatem ſoluendi quoſcumque incarceratos inuiſeret, 150.
Leontius Burdegalenſis Archiepiſcopus commendatus à nobilitate generis apud Fortunatum, 165.
Leudaſtes Comes Turonenſis temporarius, 16.
Leudes, ſiue Leodes regij, paſſim celebrati apud Scriptores mediæ ætatis, qui, 286. 287. ijdem cum Vaſſis dominicis, 287. V. *Vaſsi*, lit. V.
Lex Iulia majeſtatis armorum vſum priuatis prohibens quando lata, 106.
Lex grauiſſima in Græcos Rom. ciuitate donatos lata, quorum filij partibus Græcorum ſtuderent, 155. ab Antonino quo pacto abrogata, ibid.
Liberti Eccleſiarum, profeſſionem repetere coacti coram nouis pontificibus intrà annum, ex decretis Conciliorum, 330.
Libratæ, quod genus veſtis, quibus conceſſus eius vſus, & quare, & vnde ſic dictæ, 241. 242.
Licinius præfectus Galliæ, vectigalium vltra modum præfinitum exactor, quo modo pœnam peculatus effugerit apud Auguſtum, 116.
Lietbertus Epiſcopus Cameracenſis ſucceſſionem hereditariam in feudis admittit, 291.
Ligantia, pro hominio ligio, apud quoſdam Scriptores mediæ ætatis, & quare ſic dicta, 315. alijs fidei alligatio, ibid.
Lindoinus Vicecomes in Narbonenſi diœceſi ſub pontificatu Ioannis VIII. Papæ, 262.
Lithra quid ſit, moribus Galliæ, 215. neotericum inuentum priſcis incognitum, ibid. & vnde nominis etymon, ibid. & ſeq. qui ius lithræ habeant, 215.
Liuius Cenſor Rom. vnde & quare dictus Salinator, 123.
Longobardi quo tempore è barbarico ſolo in Italiam migrarunt, 285. in eorum legibus nihil de feudis cautum, ibid. manente tertiâ frugum parte vectigali, vti quondam ſub Gothis, ibid. & ad quæ tempora referenda ſint quæ de eorum Capitaneis, Valuaſſoribus, & plebeijs narrat Otho Friſingenſis, 286.
Luci, ſiue Vvarennæ, notæ peculiares domorum illuſtrium, 252. etiam in veteri Roma, ibid. & Ducalium & Comitalium in Gallia, ibid.
Lucij prænomen repudiatum à gente Claudia, quorſum, 266.
Lucius Pſeudopatriarcha Alexandrinus, 69.
Ludi equeſtres, cum largitione, & pompa olim editi à Regibus Franciæ in conuentibus publicis diebus ſolennibus, vt plurimum quater in anno, tum in regno, tum extra regnum, 243.
Ludouicus Pius in choro cum ſacerdotibus diebus ſolennibus perſeuerat, 60, 61.
Ludouicus Pius Imp. Epiſcoporum iudicio penitentiæ cauſa armis diſcinctus, 233.
Ludouicus Iunior per annulum de regno Franciæ à Ludouico Craſſo patre inueſtitus, 308. quare abſtinuerit iure regali in conferenda primò vacatura

præbenda pro iucundo aduentu, 53. malè affectus erga Henricum Ducem Normanniæ, & Regem Angliæ, ob ductam ſe inſcio, Eleonoram à ſe dimiſſam, 206. graues inde rixæ, & lethale vulnus Reip. inflictum, ibid.
Ludouicus XI. rex Galliæ Comitatum Andegauenſem à Renato Comite recipit, 277. item & Comitatum Prouinciæ à Carolo Comite iure teſtamentario, ibid. aſſerit etiam regno Ducatum Burgundiæ, ibid.
Ludouicus Comes Niuernenſis Canonicus honorarius S. Martini Turonenſis, 63.
Luneburgenſe Monaſterium, nobiles tantùm admittit in monachos, 166.
Luneburgenſis ditio, abſciſſa à Ducatu Brunſuicenſi, accedente Imp. conſenſu, 334.
Lupus Dux Campaniæ, 10. 11.
Lutrinæ pelles V. *Pelles pretioſæ*, lit. P.
Lydorum, Medorúmque fœdus nuptiarum politicum inuentum, 202.
Lyſiardus Archidiaconus Pariſienſis notatus à Fulberto, quòd decimas inconſulto Epiſcopo ſeculari militiæ per ambitionem & gratiam traderet, 304.

M

MAcomus Comes Pictauienſis, 13.
Macedonibus quare nuptiæ inter ſe vetitæ extra fines ſuæ cuique regionis à Paulo Æmilio, 202.
Magalonenſis Epiſcopus increpitus à Clemente IV. P. ſuper fabrica monetæ Melgorenſis, 141. 142.
Magiſtratus maiores, & officiales ſemper à Regibus in Gallia creati, 133. 134.
Magiſtratuum creatio Romæ exactis Regibus populi ſuffragijs commiſſa, 132. 133. deinde ſub Iulio Cæſare partita cum populo, 133. ſub Tiberio tota ad Principem tranſlata ibid. poſteri Principes totum hoc ius ſibi arrogarunt, ibid.
Magiſtratibus defuncti quibus vocabulis olim deſignati, 14. 17.
Maioratus domus Regiæ apud veteres Scriptores, idem quod Seneſcalcia regni, 280. 281. V. *Seneſcallus*, lit. S.
Malmundarienſe Monaſterium fundatum à Grimoaldo Maiore domus Sigiberti Regis, de conſenſu Regis, 77.
Cn. Manlius accuſatus de illato Gallogræcis bello abſque autoritate Senatus, & iniuſſu populi Rom. 106.
M. Manlij nomen exactum à familia & gente Manlia, priuato gentis decreto, quid ita, 266.
Mantilia corniculata, faſtus Comitalis & Ducalis in conuiuijs, 262.
Manus mortua in donationibus pijs Eccleſijs & Collegijs Monachorum collatis, vnde ſic dicta, 102. V. *Amortizatio*, ſup. lit. A.
Marcellus intruſus in Epiſcopatu Vzetienſi, inde videiectus, 38.
ius Marchiæ quid ſit, & vnde ſic dictum, 194. idem cum pignoratione, & iure repreſaliarum, ibid. exercitum à militib. ſub Carolo VI. 196. V. *Repreſaliarum ius*, lit. R.
Marchiæ Comitatus olim ab Imperio Galliæ abſciſſus, quo pacto poſtliminio ad illud redierit, 276.
Marchio Montisferrati quibus priuilegijs donatus ab Henrico Lucceburgenſi, 344.
Marchiones, ſiue Marchiſi, qui & vnde ſic dicti, 266. 267. malè à Græcis pro ſigniferis accepti, 267. hæc denominatio aliquando detorta ad Du-

ces & Comites ibid. vt patet exēplis ibid. lapſu temporis prælati Comitibus, primo à Ducibus honoris loco occupato, ibid.
Marchionis Magdeburgenſis in Germania priuilegium eligendi Præpoſiti Eccleſiæ Collegiatæ recēns à ſe extructæ, 56.
Mareſcallus adhibitus funebri pompæ Præpoſiti de Parais Matiſconenſis diœceſis, 236. quem viuus comitem habebat in negotijs Eccleſiæ ſuæ procurandis, ibid.
Margareta Comitiſſa Flandriæ parum conſtans in fœdere coniugali 173. hinc diſſidium inter eiuſdem filios duplicis thori ibid. quo pacto ſedatum à D. Ludouico Rege, matre etiamnum ſuperſtite, 173. 174.
Margaretæ Comitiſſæ Flandriæ liberalitas in ſeruos & ancillas ſuæ ditionis, 184.
Marketa, quod genus vectigalis in Scotia, & pro qua re, & à quibus penſum 210. ſimile quoddam exactum in pago quodam propè Louanium à loci præfecto, ibid.
D. Martinus quare Vincentium præfectum prætorio Galliarum conuiuio excipere noluit in ſuo monaſterio, contra quàm D. Ambroſius faceret in ſuo Epiſcopio. 81.
S. Martini de Campis, Pariſijs, cœnobium, fultum priuilegio Ludouici Iunioris pro ſuo foro tēporali, 329.
Marturinæ pelles, V. *Pelles pretioſæ* lit. P.
Maſculorum ſucceſſio hereditaria excluſis femellis, lege Salicâ, 264. quæ viguit etiam apud Anglos & Thuringos, ibid. & Armenios ſed à Iuſtiniano Imp. damnata, ibid. V. *Lex Salica*, lit. L.
Maſſilia ſub Gothica ditione à Comite recta, 8.
Maximilianus Imp. receptus in Canonicum honorarium Eccleſiæ Aquenſis 62.
Megenardus Monachus, deſignatus Abbas S. Petri de Cultura à Theobaldo Comite Bleſenſi, 39. arte & aſtu duorum Monachorum, ibid. & ſeq.
Melæ Rhinocurtēſis Epiſcopi ſingularis humanitas & hoſpitalitas erga ſicarios Arrianos in ſe ſubmiſſos, 80.
Merouæus natu maior Chilperici filius, quare in Monaſterium à patre detruſus, 203.
Μεσίλης, quis apud Zonaram, 44.
Metalla quæ adhiberi ſolita in depingendis inſignijs, neoterico inuento, 213.
Metati ius competens regibus in Gallia, in Epiſcopijs, quale 79. 80. 81. 82. & Imperatori, & legatis eius in Epiſcopijs Italiæ & Germaniæ, 82. quod ius negatum legatis ab Adriano IV. Papa contra Fridericum I. & qua ratione illud tueretur Imp. 83. vetitum Comitib. & Ducib. à Ioanne IX. P. 84.
Metellus quare, & vnde cognominatus Balearicus, 195.
Μετοικιον vectigal annuum apud Græcos, pro incolatu penſitatum, 152.
Milidunum caſtrum Aureliano Duci à Clodoueo Rege iure beneficij conceſſum, 286.
Militare celeuſma Regum Franciæ quale, 110.
Militare celeuſma Comitum Toloſæ quale, 110. Eduardi Ducis Aquitaniæ in prælio Pictauienſi, ibid. Comitis Campaniæ ibid. & 111. Ludouici xj. Borbonij Ducis 111. Dynaſtarum Montiſmorenciaci, ibid. Comitis Ar-

tiſſiodorenſis, ibid. Bertranni Gueſclini, ibid.
Militaria celeuſmata, idiotiſmo, *Cris de guerre*, à Ducibus & Comitibus diuerſimodè vſurpata, 110.
Milites qui olim dicti iure feudorum, 295. ſoli moribus Galliæ feudorum capaces, 321. non pagani, non monachi, non ſpurij, ſiue baſtardi, ibid. neque presbyterorum filij ex conſtitutione Friderici I. ibid.
Milites veterani alimentarij cœnobijs oblati, iure Regio, in Gallia, 57. poſtmodùm in Anglia, imitatione Francorum, ibid. quod ius deinde productum ad veteranos palatinos, ibid. idem ius vſurpatum à Ducibus & Comitibus in Monaſterijs ſuæ fundationis, vel aduocationis, ibid. & retentum, etiam vnitis coronæ Ducatibus & Comitatibus, in Monaſterijs Ducalis, vel Comitalis fundationis, ibid.
Milites ſacræ expeditionis in Syriam, eorúmque bona tutelæ Eccleſiæ commendata, nouo exemplo, & inaudito, 198.
Milites penitentes, veteri Eccleſiæ inſtituto, armis diſcincti, 233. imò & ipſi Reges penitentiæ cauſa, ibid.
Militia prima primogenitorum Angliæ decorari ſolita donatiuo à ſubditis, 120. quale oblatum Eduardo I. pro militia filij tum à clero, tum à plebe, ibid. & ſeq.
Militum nomine, veniunt equites apud Scriptores mediæ ætatis, & vnde ſic dicti, 168. diſtincti à ſeruientibus, id eſt militibus ſtipendiarijs, ibid.
Militum delectus in ſua quiſque ciuitate, munus Comitum, 12.
Militum apparitio inſigne Ducum, 4.
Militum præfecti, vnde Græcis poſterioribus dicti Comites, 6.
Milo, tonſura clericus, moribus & habitu laïcus, quadraginta annis Rhemēſē & Treuirēſem Eccleſias occupat, 64.
Miſſorum Dominicorum iuriſdictio, & coërcitio in Vicarios Comitum, 134.
Modoinus Auguſtodunenſis Epiſcopus Aruernis datus ab Carolo Caluo, 17. 18.
Monachi olim extrà clerum, 84. quis eorum conſeſſus in Eccleſia, ibid.
Monachiſmus an habilitet in Gallia ad Epiſcopatus, & maiores dignitates Eccleſiaſticas, vt ad minores, & ordines ſacros, 175.
Monaſteria ædificari vetita ſinè conſenſu Diœceſani Epiſcopi, & ritus qui ſeruandi in dedicatione Monaſteriorum, ibid. imò & poſterioribus ſeculis quæſitus aſſenſus ſummi Pont. 77. & in Gallia præter ceteras regia approbatio, ibid. quod probatur exemplis, ibid. idem in reformatione, ſiue emendatione Monaſteriorum obtinuit, 78. ſimilis conſenſus expetitus à Ducibus & Comitibus in quorum prouincijs excitabantur, vel reformabantur Monaſteria, 79.
Monaſteria ſub Mundeburde regio poſita, vel tradita, 22. 23.
Monaſterij Auguſtodunenſis qui fundatores, 55. quíque ius eligendi Abbatis in eo habeant, ibid & ſeq.
Monaſteriorum nouorum conſtructio vetita in Oriente ſub Nicephoro Phoca, item & collatio prædiorum, & fundorum, 102. quæ lex modo fixa, modo refixa, pro libito Imp. 103.
Monaſterium Caſæ Dei in Aruernis, à quo, & quorum conceſſione exædificatum, 77. 78.
Monaſterium S. Galli ſecuritatis gratia,

Pipino Regi traditum à Vualtramo Comite, 22. priùs Ludouici Pij tuitioni commiſſum, ibid. & ſeq.
Monaſterium Stradenſe tuitioni Regis Pipini traditum, 22.
Mondericus à Guntrano perfuga donatus nouo Epiſcopatu Antiſtenſi in gratiam eius erecto à Sigiberto Rege, 72.
Mondericus Lingonenſis Epiſcopus Tetrico ſuperſtiti additus à Guntranno Rege, 33.
Moneta quæ fungibilis in Oriente, tempore belli ſacri, 143.
Monetæ cudendæ ius ad ſolum Romanum principem ſpectans ex lege Cornelia nummaria, & Conſtantini edicto, 138. raro communicatum à regibus regiæ majeſtatis vindicibus, 139. 140. aliquando illuſtribus perſonis, ibid.
Monetæ ius cudendæ nulli communicatum in Gallia ſub Carolo magno, 141. neque alibi quàm in Palatio cuſa moneta, ibid. quibus oppidis conceſſum hoc ius ſub Carolo Caluo, ibid. labente Carolina ſtirpe prolata facultas cudendæ monetæ ad Epiſcopos & Comites priuilegio, conſuetudine, vel vſurpatione, ibid.
Monetæ priuilegium vſurpatum ab Epiſcopis & Comitibus in Germania & Italia, 144. & Friderico I. cum ceteris iuribus reſtitutum, ibid.
Monetam augere vel minuere ſoli principi datum, 144. licèt id quandoque tentatum ab Epiſcopis & Comitibus, ſed iniuriâ, ibid.
Moniales S. Eligij Pariſienſis, & S. Ioannis Laudunenſis, quare abactæ ſubintroductis monachis, & quorum autoritate, 78.
Moniales Argentolienſes exactæ, reddito Monaſterio Sandionyſianis monachis, operante Ludouico Craſſo, & principibus, 78.
Monſpeſſulanus Comitatus per Philippum Valeſium, à Ioanne Rege Maioricarum ære redemptus, 277.
Moſellanorum Ducatus ad Imperatorem reuerſus morte Friderici Ducis ſinè liberis maſculis, 336.
Moſes aſceta deſignatus Epiſcopus ad conuerſionem infidelium, 69.
Mothona ciuitas Meſſeniorum, libera ſub imperio Traiani, 135.
Mulieres olim in Eccleſia ſeorſim à viris conſidentes, 85.
Mummolus Patricius Guntranni Regis beneficiarius, ratione Machouillæ in Aruernis, 286.
Mundeburdium apud Scriptores mediæ ætatis, quid, 20. Regi præcipuè incumbit, & competit in Gallia, 20. 21.

N

NAturales filij quot modis legitimati olim apud Romanos, 171. reſcripto principū quondam ij tantùm natalibus reſtituti qui nati eſſent ex muliere cum qua propter inæqualitatem iuſtæ nuptiæ non erant, ibid. duo tantùm modi recepti in Gallia, quinam ij, 171. 172. V. *Nothi*, infra.
Naufragorum præda prohibita, conſtitutionibus Impp. 189. licèt olim ex conſuetudine fiſco cederet, ibid. inhumanum & iniuſtum lucrum, ibid. repetita lege à Friderico II, contraria conſuetudo damnata, ibid. & renouata etiam in Oriente ab Andronico Comneno. 190. & Pontificijs, Conciliorúmque decretis confirmata, interminata excommunicatione,

191. retenta tamen à Ducibus Britanniæ, Normanniæ, & Aquitaniæ, praua conſuetudine, quam poſtea eiurarunt, ibid. V. *Vareck.* ius naufragij litt. V.

Nauiculariorum præfecti, Comites tertij ordinis, 8.

Nauis, Germanorum inſigne, & Sueuorum, & vnde hoc inuentum, 213.

Negotiatores ſiue mercatores, vnde olim dicti Syrij, 233. 224. V. *Syrij*, lit. S.

Neuſtria conceſſa Hugoni Abbati ſub Carolo Simplici, 26. ſaluis Epiſcopatibus, ibid. & ſeq.

Nicenſes ius in bona ciuium ſuorum inteſtatorum ex Auguſti priuilegio ſibi vindicant, 181. quod exquirere mandat Traianus, ibid.

Nicephorus Phocas primus in Oriente regalium in Eccleſias vacantes vſurpator, 47. 48.

Nicetius Aquenſis Epiſcopus Fauſtiniano ſuffectus à Synodo Matiſconenſi II. cur hoc, 33.

Nicetius Dux in Aruenis, Ruthenis, & Veeticis inſtitutus, 10.

Nicolaus I. ſcribit Salomoni Duci Britonum pro iure Metropoleos Archiepiſcopi Turonenſis in omnes Eccleſias Britanniæ, 73. 74. malè hæc epiſtola adſcripta Ioanni VIII. 74.

Niuardus miles, abſolutus à ſacramentis præſtitis Vvillelmo II. Regi Angliæ, in necem verorum & legitimorum Dominorum, de quorum manibus hereditaria ſua beneficia ſuſceperat, 291. 292.

Nobiles vbique à plebeijs diſtincti per veſtes, & alia inſignia pro varietate gentium 245. olim Honorati dicti, 321. apud Francos etiam ab initio Imp. Gallici ad militiam & præfecturas prouecti, 165. imò & ad Epiſcopatus, ibid. ſoli Canonici & Monachi in quibuſdam collegijs Galliæ, 165. 166. virgis vel flagellis cædi olim vetitum in Gallia, 167. iniuſti exactores vectigalium & cenſuum, priuatione feudorum mulctari ſoliti, 119.

Nobiles, alij etiam à Rege, ad militiæ apicem euehere poſſunt, 163. monſtratur exemplo in Scotiæ rege ab Henrico III. Angliæ rege milite creato, ibid.

Nobilibus Anglis quomodo conſultum pro immunitate prædiorum ab Henrico I. 167.

Nobilitandi ius vſurpatum ab Epiſcopis & Baronibus in Prouincia, & pago Bellicadrenſi, 163.

Nobilitas triplex genere, dignitate, & codicillis, quarum vltima deterior, prima nobilior, 161. quadruplex ex Nazianzeno, 192. codicillaris vulgò damnata, 161. 162. apud Rom. codicillaris ſolius Principis beneficium olim fuit, 162. vt & hodie apud Gallos, Germanos, & Anglos quod probatum exemplis, ibid.

Nobilitas ex materna origine in Campaniæ Comitatu paratur, vnde hoc, & quare, 163.

Nobilium ſumma ratio in Gallia etiam ab antiquo, 164. plebe fere ad ſeruitutem redacta, ibid. & nobilibus honor ſeruatus à Rom. victoribus, ibid. dato eis in conuentu generali Galliarum Arelate quotannis conuocari ſoliſo primo conſeſſu, & inde honorati dicti, 164. habent prima vota in electione Epiſcoporum ſeorſum à beple 164. eorum clariſſimum inſigne vectigaliũ & ſubſidiorũ immunitas, 167. ideóque grauis ſemper & odio habita fuit iſtius priuilegij alte-

ratio, & diminutio, ibid.

Nobilium ordo tripartitus in Milites, Scutiferos & Bacalarios. 168. per Noctes numerare Galliſoliti, 319.

Nomenous Dux Britonum Epiſcopatus nouos in ſua ditione erigit, 73. hinc diſſidia inter Duces & Carolum Caluum, ibid. & inter Turonenſem Archiepiſcopum & Dolenſem, ibid. quæ lis ſopita ſub Innocentio III. decretali epiſtola in gratiam Turonenſis edita, ibid. querela hac de re Philippi Auguſti, 75.

Nomina fidelium, tum viuorum, tum mortuorum in ſacris diptychis veteri Eccleſiæ inſtituto referri ſolita, 93. & recitata inter Miſſarū ſolennia & primò quidem Ss. & Martyrum, ibid. deinde ſummi Pont. ibid. tū Patriarcharum & Epiſcoporum 94. vnde nec expungenda ante damnationis ſententiam ibid. nomina Regum, Imperatorum, & principum pari priuilegio donata, 95.

Nomina damnatorum è ſacris diptychis eraſa, & ſilentio in ſacris Miſſarum ſolennijs prætcrita, 94. patet pluribus exemplis ibid. nec damnatorū modò, ſed & Epiſcoporū malè meritorum de Eccleſia ſua. 95.

Nomina laïcorum offerentium recitata inter Miſſarum ſolennia, 96. & benefactorum, & fundatorum Eccleſiarum, ibid. & ſeq.

Nominatio Epiſcoporum & Abbatum penès ſolos Reges in Gallia, 33. 38. & coronæ annexū ibid. & ſeq. etiam ſub prima ſtirpe, 33. probatur exemplis, ibid. item ſub ſecunda ſtirpe 34. & in Oriente penès Impp. Græcos, 38.

Nominis relatio in ſacris diptychis olim beneficium, nunc obſequium, & ius honorificum in Eccleſijs, p. tronis & fundatoribus debitum, 93. ius Epiſcopale etiam in monaſterijs, 95.

S. Norbertus Præmonſtratenſis fundator Ordinis, cur Theobaldum Comitem Bleſenſem ſe, & ſua Monaſterio offerentem non admiſit, 100.

Nothi, ſiue filij naturales nihil apud Romanos ab inteſtato capere ſoliti in bonis parentum, 177. quid iure introductō per Iuſtinianum ſiue ab inteſtato, ſiue ex teſtamento exſtantibus, vel non, legitimis, ibid. Gallicis moribus nil præter alimenta capiunt, neque generis nobilitatem retinent, 178. V. ſup. *Naturales filij.*

Nothi excluſi ab hereditatibus, & ſacris gentilitijs apud Athenienſes, ſuperſtitibus legitimis, 177.

Nothi in Epiſcopos eligi non poſſunt, bene quidem poſtulari, 174. probatum exemplis, ibid.

Nouilliacum, villa ditionis Eccleſiæ Rhemenſis à Carolo magno poſt obitum Tilpini, Anſchero Saxoni in beneficium temporarium data, quibus conditionibus. 45. 289.

Nummi ex auro puriſſimo cuſi ſub Carolo V. rege Francorum, & ipſius iuſſu à Ioanne Duce Bituricenſi, 143.

Nummi Iſaaci Comneni imago, cum eius interpretatione, 138. 139.

Nummo aureo vſi Gallianum reges, cum ſua imagine, 139.

Nummus Damaretius, quando, & cuius permiſſu cuſus, & vnde ſic dictus, 140.

Nundinæ S. Lazari apud Pariſios, conceſſæ noſocomio leproſorum, tranſlatæ in vrbem beneficio Philippi Auguſti, redempto hoc iure à leproſis, ibid.

Nundinarum concedendarum ius in vetere rep. Rom. penès Senatum vel Principem, 192. patet exemplis, ibid. interdum à Conſulibus petitæ, ibid. moribus Galliæ Regibus ſolis competit, 192. 193. & in Anglia, 193.
Nuptiæ principum regiorum, & illuſtrium perſonarum, aſſenſum regum requirunt in Gallia, 203. probatum frequentibus exemplis, 203. 204. & ſeqq. item in Germania imperatorum, 208.
Nuptiæ inter ſubditos filiorum Caroli magni viciſſim permiſſæ politica ratione, fouendæ ſcilicet inter fratres paci, 206.
Nuptiæ impares illuſtrium puellarum irritę habitæ autoritate Impp. Orientis, 203. niſi ipſorum aſſenſus interueniſſet, ibid.
Nuptiæ illuſtrium puellarum vetitæ apud Anglos ſinè conſenſu Principis ex conſtitutione Henrici I. 208. hinc conditiones nuptiarum Henrici Comitis Erbicenſis ſubditi & Vaſſalli regis Angliæ, cum filia Ducis Borbonij repudiatæ à Carolo VI. rege Francorum, donec Comes aſſenſum regis ſui meruiſſet, 209.
Nuptiæ pactæ inter Eduardum Regem, & Philippiam Comitis Flandrenſis filiam, rege Philippo Pulcro inſcio, quo pacto ab ipſo diſſolutæ, 206. & inter filium Comitis Campaniæ, & filiam Comitis Flandrenſis, itémque filiæ, ipſius Comitis Campanię cum Comite Sueſſionenſi à Ludouico Iuniore improbatæ, quo colore, 205. D. Bernardi hac de re iudicium, ſanè audax, ibid.
Nuptiæ ex reſcripto, & præcepto principum ambitæ inconſultis parentibus, vulgari abuſu in Gallia, 206. qui mos reprobatus in Concilijs ibid. & ſeq.
Nuptiæ priuatorum, tam eorum qui ſub clientela, & dominio Comitum & Ducũ viuerẽt, quàm aliorũ dominorum, quos Seniores vocant, ad ſuperiorum arbitrium & poteſtatem redactę, 209. vel ſaltem vectigali obnoxiæ ratione foriſmaritagij, ſi extra ordinem enuberent, ibid.
Nuptiæ inter priuatos liberæ, & parentum, quoad liberos non emancipatos arbitrio relictæ 223. ideóque damnatæ, ſi ex reſcripto petantur, ibid.
Nuptiæ libertinorum cum ingenuis non iuſtæ in veteri rep. Rom. 202.
Nuptię inter Macedonas extra fines ſuę cuique regionis quorſum prohibitæ à Paulo Æmilio, 202.
Nuptiarum illuſtrium arbitrium labente Rom. rep. in Cæſares tranſlatum, ibid.
Nuptiarum vectigal, Caligulæ Imp. inuentum, 209. etiam in terris Eccleſiæ Rom. olim exactum à colonis ibid. moderatum à Greg. I. ad ſummam vnius ſolidi, ibid. V. *Connubium*, lit. C.

O

Odenatus Palmyrenorum tyrannus venaticæ laudis præcipuè auidus, 254. & ſuis etiam hac de cauſa infenſus, ibid.
Odo Comes Carnotenſis, Comitatum Trecenſem tanquam proximior poſt mortem Comitis Stephani iure hereditario repetit, ſed fruſtra, 241.
Odo Campaniæ Comitis titulo, Conſulatum adiungit, 225.
Oeconomus in Eccleſijs Orientis vacantibus quorſum, & à quo primum inſtitutus

inſtitutus, 47. 48. hinc Oeconomi maioris in Patriarchali Eccleſia creatio, ab Imp. 48. quod ius deinde remiſſum Patriarchæ ab Iſaacio Comneno, ibid. cum vaſorum cuſtodia, ibid.

Officia feudalia, etiam impropriè dicta, feuda, 296. exempla, ibid.

Officiales auguſtales Regibus tantùm & Reginis quondam in vſu, 234. quinam ij vulgò in aula Regum, ibid. à Comitibus & Ducibus poſtmodùm ſequelæ ſuæ adhibiti, ibid. & ſeqq. deinde etiam ab Epiſcopis & Abbatibus adſciti, 235. 236.

Officiorum Eccleſiaſticorum inueſtitura ſolennis per librum, 310. item & Eccleſiarum, ibid.

Ommatius Epiſcopus Turonenſis à Chlodomiro lectus, 33.

Osbernus Cormelienſis Prior, à Duce Normanniæ per cambutam Archiepiſcopi Rothomagenſis Mauritij, Abbas Vticenſis Abbatiæ inſtitutus, 40.

Oſculum, fidei ſymbolum, pro beneficiarijs & vaſſallis, ex parte dominorum, 312.

Otho IV. Imp. prohibet alienationem bonorum immobilium in Eccleſias, 101.

Otho Baiulus Sigiberti Regis in eius tenera ætate, 281.

Othonis III. Imp. auſus in reformandis Romæ monachis s. Pauli, ob diſciplinæ lapſum, quo pacto tardatus & impeditus, 78.

Othonis magni virtus & conſtantia in deneganda Comiti Bauariæ Lauriſhamenſi Abbatiâ, etiam in ſummo rerum diſcrimine poſiti, 68.

Ottocarus quo pacto inueſtitus à Rudolpho Habſpurgico de prouincijs Bohemiæ & Morauiæ, 307. 308.

genu flexo, 315.

Ouetum oppidum in Hiſpania receptũ à Sarracenis in Epiſcopatum erectum à Froila 73. idem in metropolim autoritate Ioannis VIII. improbatâ priori erectione, ibid.

Ouum, inſigne Druidarum, tanquam rerum omnium ſymbolum, 213. eius deſcriptio ex Plinio. ibid.

P

PÆdagogiani qui apud veteres, an ijdem cum ijs quos idiotiſmo pagios appellamus, 240. miniſterijs cubiculi Rom. Imp. deſtinati, ibid. & vulgò purpurea veſte inſignes 240. 241. ſub cuius cura erant florente Imperio, 241. olim & in vetere rep. Rom. ſub nomine pædagogiorum cogniti 240. 241. maxima cura educati, ibid. ita vt etiam pubeſcentibus fibula argentea fuerit impoſita tutandæ pudicitiæ ibid. in delicijs etiam habiti apud Francos Dynaſtas, 240. 241. quos & pueros & pædagogos vocauit ætas poſterior, 241. apud Romanos pro Curſoribus & Numidis, principibus viris procedentibus præire ſoliti, 241. & in comitatu etiam Epiſcoporum ſub nomine comatulorum puerorum aſſumpti, ibid. quo pacto diſtincti priuati, à Palatinis ibid. & ſeq.

Palatini Comites, iuris ratione diuerſi à Comitibus Prouincialibus, 225.

Palatinorum nomen & titulus à Ducibus & Comitibus Galliæ prouincialibus affectatus, 225. eorum primus quis hoc elegio auctus, ibid.

Palladius Santonum Epiſcopus coniectus in carcerem ab Anteſtio Duce, ipſo Paſchatis die, 149.

Pandenulphus Caſtaldus ſub pontificatu Ioannis 8. P. 294. alias Iudex Capuanus appellatus, ibid.
